

Digitized by Google

– MAG 4482

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AD JUS
ECCLESIASTICUM
UNIVERSUM

R. P. FRANCISCI SCHMALZGRUEBER

INDICES UNIVERSI

PRIMUS

TITULORUM

ALTER

RERUM SECUNDUM ORDINEM DECRETALIUM

POSTREMUS

VERBORUM




ROMAE
EX TYPOGRAPHIA REV. CAM. APOSTOLICÆ
1846.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

TITULORUM



Digitized by Google

VOLUMEN I.

DISSERTATIO PROEMIALIS

Digitized by Google

§. VIII.

§. IX.

§. X.

§. XI.

TITULUS I.

De summa Trinitate, et fide catholica.

TITULUS II.

De constitutionibus.

Digitized by Google

TITULUS III.

De rescriptis.

TITULUS IV.

De consuetudine.

TITULUS V.

De postulatione praelatorum.

TITULUS VI.

De electione, et electi potestate.

Digitized by Google

TITULUS VII.

TITULUS VIII.

TITULUS IX.

De renuntiatione.

TITULUS X.

De supplenda negligentia praelatorum.

VOLUMEN II.

TITULUS XI.

De temporibus ordinationum, et qualitate ordinandorum.

TITULUS XII.

TITULUS XIII.

TITULUS XIV.

De aetate, et qualitate, et ordine praeficiendorum.

TITULUS XV.

TITULUS XVI.

TITULUS XVII.

De filiis presbyterorum ordinandis, vel non.

TITULUS XVIII.

TITULUS XIX.

TITULUS XX.

TITULUS XXI.

TITULUS XXII.

TITULUS XXIII.

TITULUS XXIV.

Digitized by Google

TITULUS XXV. XXVI. et XXVII.

TITULUS XXVIII.

De officio vicarii.

TITULUS XXIX.

De officio, et potestate judicis delegati.

TITULUS XXX.

TITULUS XXXI.

De officio judicis ordinarii.

TITULUS XXXII.

De officio judicis.

TITULUS XXXIII.

De majoritate, et obedientia.

TITULUS XXXIV.

De treuga, et pace

TITULUS XXXV.

De pactis.

TITULUS XXXVI.

De transactionibus.

Digitized by Google

TITULUS XXXVII.

De postulando.

TITULUS XXXVIII.

De procuratoribus.

TITULUS XXXIX.

TITULUS XL.

De his, quae vi metusve causa fiunt.

TITULUS XLI.

De in integrum restitutione.

TITULUS XLII.

TITULUS XLIII.

De arbitris.

VOLUMEN III.

TITULUS I.

De judiciis.

TITULUS II.

De foro competente.

Digitized by Google

TITULUS III.

De oblatione libelli.

TITULUS IV.

TITULUS V.

TITULUS VI.

TITULUS VII.

TITULUS VIII.

TITULUS IX.

De feriis.

Digitized by Google

TITULUS X.

TITULUS XI.

TITULUS XII.

De causa possessionis, et proprietatis.

TITULUS XIII.

De restitutione spoliatorum.

TITULUS XIV.

De dolo, et contumacia.

TITULUS XV.

De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae.

TITULUS XVI.

TITULUS XVII.

VOLUMEN IV.

TITULUS XVIII.

De confessis.

TITULUS XIX.

De probationibus.

TITULUS XX.

De testibus, et attestationibus.

TITULUS XXI.

TITULUS XXII.

De fide instrumentorum.

TITULUS XXIII.

De praesumptionibus.

TITULUS XXIV.

De jurejurando.

TITULUS XXV.

De exceptionibus.

Digitized by Google

TITULUS XXVI.

De praescriptionibus.

TITULUS XXVII.

De sententia, et re judicata.

TITULUS XXVIII.

De appellationibus, recusationibus, et relationibus.

Digitized by Google

TITULUS XXIX.

TITULUS XXX.

VOLUMEN V.



TITULUS I.

De vita, et honestate clericorum.

TITULUS II.

De cohabitatione clericorum, et mulierum.

TITULUS III.

De clericis conjugatis.

TITULUS IV.

De clericis non residentibus in ecclesia, vel praebenda..

TITULUS V.

De praebendis, et dignitatibus.

TITULUS VI.



TITULUS VII.

De institutionibus.

TITULUS VIII.

TITULUS IX.

TITULUS X.

TITULUS XI.

TITULUS XII.

TITULUS XIII.

De rebus ecclesiae alienandis, vel non.

Digitized by Google

VOLUMEN VI.

TITULUS XIV.

De precariis.

TITULUS XV.

TITULUS XVI.

TITULUS XVII.

De emptione, et venditione.

TITULUS XVIII.

De locato, et conducto.

TITULUS XIX.

De rerum permutatione.

TITULUS XX.

De feudis.

TITULUS XXI.

De pignoribus, et aliis cautionibus.

Digitized by Google

TITULUS XXII.

De fidejussoribus.

TITULUS XXIII.

De solutionibus.

TITULUS XXIV.

De donationibus.

TITULUS XXV.

De peculio clericorum.

TITULUS XXVI.

De testamentis, et ultimis voluntatibus.

TITULUS XXVII.

De successionibus ab intestato.

TITULUS XXVIII.

De sepulturis.

TITULUS XXIX.

De parochiis, et alienis parochianis.

TITULUS XXX.

De decimis, primitiis, et oblationibus.

VOLUMEN VII.

TITULUS XXXI.

De regularibus, et transeuntibus ad religionem.

TITULUS XXXII.

De conversione conjugatorum.

TITULUS XXXIII.

TITULUS XXXIV.

De voto, et voti redemptione.

TITULUS XXXV.

De statu monachorum, et canonicorum regularium.

TITULUS XXXVI.

TITULUS XXXVII.

TITULUS XXXVIII.

De jure patronatus.

Digitized by Google

TITULUS XXXIX.

De censibus, exactionibus, procurationibus.

TITULUS XL.

De consecratione ecclesiae, vel altaris.

TITULUS XLI.

De celebratione missarum, et sacramento eucharistiae, et divinis officiis.

TITULUS XLII.

Digitized by Google

TITULUS XLIII.

TITULUS XLIV.

TITULUS XLV.

De reliquiis, et veneratione sanctorum.

TITULUS XLVI.

TITULUS XLVII.

TITULUS XLVIII.

De ecclesiis aedificandis, et reparandis.

TITULUS XLIX.

De immunitate ecclesiarum, coemeterii, et rerum ad eas pertinentium.

TITULUS L.

Ne clerici, vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.

VOLUMEN VIII.

TITULUS I.

De sponsalibus, et matrimonio.

SECTIO I.

De sponsalibus.

SECTIO II.

De matrimonio.

SECTIO III.

De matrimoniorum impedimentis in genere, et quibusdam in specie.

TITULUS II.

De desponsatione impuberum.

TITULUS III.

De clandestina desponsatione.

Digitized by Google

TITULUS IV.

De sponsa duorum.

TITULUS V.

De conditionibus appositis in desponsatione, et aliis contractibus.

TITULUS VI.

Qui clerici, vel voventes matrimonium contrahere possint.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.

VOLUMEN IX.

TITULUS VIII.

TITULUS IX.

TITULUS X.

TITULUS XI.

De cognatione spirituali.

TITULUS XII.

TITULUS XIII.

TITULUS XIV.

De consanguinitate, et affinitate.

Digitized by Google

TITULUS XV.

De frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi.

TITULUS XVI.

De matrimonio contracto contra interdictum ecclesiae.

PARS IV.

De nuptiarum legitimarum effectu et dissolutione.

TITULUS XVII.

Qui filii sint legitimi.

TITULUS XVIII.

TITULUS XIX.

De divortiis.

TITULUS XX.

De donationibus inter virum et uxorem, et de dote post divortium restituenda.

TITULUS XXI.

De secundis nuptiis.



VOLUMEN X.

PARS I.

De criminibus oppositis cultui divino et verae religioni.

TITULUS I.

De accusationibus inquisitionibus et denuntiationibus.

TITULUS II.

TITULUS III.

De simonia et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.

Digitized by Google

TITULUS IV.

TITULUS V.

De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

TITULUS VI.

TITULUS VII.

De Haereticis

TITULUS VIII.

TITULUS IX.

PARS II.

De criminibus adversantibus charitati proximi.

TITULUS X.

§. XI.

TITULUS XII.

De homicidio voluntario, vel casuali.

TITULUS XIII.

TITULUS XIV.

De clericis pugnantibus in duello.

TITULUS XV.

Digitized by Google

TITULUS XVI.

De adulteriis et stupro.

TITULUS XVII.

De raptoribus incendiariis, et violatoribus ecclesiarum.

TITULUS XVIII.

De furtis.

TITULUS XIX.

De usuris

TITULUS XX.

TITULUS XXI.

TITULUS XXII.

TITULUS XXIII.



VOLUMEN XI.

PARS III.

De delictis propriis clericorum.

TITULUS XXIV.

TITULUS XXV.

TITULUS XXVI.

TITULUS XXVII.

TITULUS XXVIII.

TITULUS XXIX.

TITULUS XXX.

TITULUS XXXI.

TITULUS XXXII.

TITULUS XXXIII.

De privilegiis et excessibus privilegiatorum.

TITULUS XXXIV.

TITULUS XXXV.

TITULUS XXXVI.

De injuriis et damno dato.

Digitized by Google

PARS IV.

De poenis delictorum.

TITULUS XXXVII.

De poenis.

TITULUS XXXVIII.

De poenitentiis et remissionibus.

TITULUS XXXIX.

De sententia excommunicationis suspensionis et interdicti.

PARS V.

Appendix pro toto jure canonico.

TITULUS X.



Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX II.

RERUM

SECUNDUM ORDINEM DECRETALIUM

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX II.

RERUM

Secundum ordinem decretalium.

Dissertatio proemialis

Verbi *Jus* etymologia est incertissima.
Etiam significationes nominis ejusdem sunt variae apud doctores; nam
Aliquando significat idem quod justum,
Accipitur aliquando pro loco in quo jus redditur,
Significat etiam sententiam judicis.
Saepe denotat moralem facultatem aliquid agendi aut omittendi.
Passim juris nomine venit ipsa ars sive scientia jurium.
Praecipue significat legem vel canonem.
Justitiae nomen et ipse varie accipitur, nam
Sumitur aliquando pro lege,
Pro observantia legis,
Pro habitu gratiae sanctificantis,
Pro collectione omnium virtutum,
Pro cujuslibet virtutis habitu vel actu,
Pro omni et sola virtute.
Pro speciali virtute morali.
Ab Ulpiano definitur « constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi »
Justitiae quatuor assignantur species, nempe commutativa, distributiva, legalis et vindicativa.
Commutativa exercetur in contractibus.
Distributiva ordinat communitatem ad cives.
Legalis ordinat cives ad communitatem.
Vindicativa bonum comune procurat per inflictionem poenae.
Ut intelligatur quotupliciter jus dividi possit, videndum in qua acceptione nomen juris accipiatur.

Jus pro *justo* sumptum accipitur in duplici sensu, videlicet *late* pro eo quod rectae rationi aut legi humanae et divinae, conforme est, et *stricte* pro eo quod est equum et alteri debitum.

Videndum insuper quotuplex sit jus sumptum pro facultate aliquid agendi vel omittendi aut ad hoc obligandi alterum: quod dicunt duplex, videlicet *jus proprietatis* et *jus jurisdictionis*.

Jus proprietatis est facultas voluntate vere vel interpretative sua et in suum comodum obligandi alterum ad aliquid praestandum vel omittendum.

Jus jurisdictionis est potestas publica obligandi voluntate sua alterum ad aliquid faciendum vel omittendum in totius communitatis aut etiam privatorum bonum.

Ut jus proprietatis acquiratur requiritur titulus aliquis.

Jus proprietatis est *reale*, *personale*, et, secundum opinionem aliquorum, etiam *mixtum*.

Jus reale respicit immediate rem, quae propterea transit semper cum onere suo.

Jus personale respicit immediate personam ex contractu vel quasi contractu, delicto vel quasi delicto obligatam.

Jus mixtum secundum aliquos de utroque jure participat.

Ex jure reali descendit actio realis, ex personali personalis, ex mixto mixta.

Ut actio realis competat, requiruntur *existentia rei*, *titulus juxtus*, *traditio*, praeter casus exceptos.

Jus proprietatis reale subdividitur in dominium plenum seu perfectum et in non plenum seu imperfectum.

Perfectum dicitur quod complectitur et proprietatem rei et illius emolumenta, nec gravatur jure alterius.

Imperfectum, quod aut tantum habet proprietatem rei seu dominium directum, vi cujus aliquis *proprietarius* et dominus directus appellatur, vel tantum habet emolumenta rei seu fructus; et hoc dicitur *dominium utile*.

Dominium perfectum est jus perfecte disponendi de re corporali nisi lege prohibeatur.

Imperfectum est jus disponendi de re sed non perfecte.

Jus jurisdictionis aliud est divinum, aliud humanum; quod dividitur in *ecclesiasticum* et *politicum*.

Illud versatur circa causas ad Dei cultum et spiritualem animarum salutem pertinentes, posterius circa res temporales.

Utrumque subdividitur 1. in jurisdictionem *ordinariam* et *delegatam*, 2. in jurisdictionem *fori interni* et ista quidem in *volun-*

Digitized by Google

tariam et *contentiosam*, 3. in *personalem* et *realem* seu *territorialem*, 4. in *imperium et jurisdictionem simplicem*.

Jus pro *lege* acceptum dividitur in *naturale* et *positivum*. Positivum vero subdividitur in *divinum* et *humanum*; humanum denique in *jus gentium*, *civile* et *canonicum*.

Jus naturale dicitur quod est comune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturae non constitutione aliqua habetur.

Est triplex secundum triplicem inclinationem quam homo habet ad bonum prosequendum et ad malum vitandum.

Putant aliqui jus naturale non solum ad creaturas rationales sed etiam ad irrationales extendi.

Sed a sanioris notae DD. negatur quia ut creatura jure afficiatur oportet ut rationis usu et libertate sit praedita, et obligationis et poenae capax.

Ne quidem materialiter comune est brutis et homini.

Definitur « ordinatio rationis per sapientiam divinam facta et per lumen rationis a Deo hominibus manifestata, praecipiens ea quae rectae rationi sunt consentanea, contraria prohibens, permittens indifferentia.

Complectit omnia praecepta seu principia moralia quae evidentem habent honestatem necessariam ad rectitudinem morum.

Praecepta juris naturalis in particulari, alia concernunt Deum, alia ad nos pertinent, alia proximum spectant.

Ex his alia sunt affirmativa quae aliquid praecipiunt, ut Deum colere ec. alia negativa, quae aliquid prohibent tanquam malum; haec obligant semper, illa quidem semper sed non pro semper.

Jus naturale non solum prohibet actus inhonestos, sed aliquos ex iis irritat.

Ut discernantur actus jure naturali irriti ab iis qui solum eo jure sunt prohibiti, prima regula est irritos esse omnes illos actus qui deficiunt in valoris principio substantiali; secunda irritos esse etiam illos qui illiciti sunt propter malitiam intrinsecam perpetuam, sive turpitudinem semper durantem.

Jus naturale, formaliter et proprie loquendo, nulla authoritate etiam divina mutari potest.

Utrum jus naturale in aliqua particulari materia sit penitus immutabile, vel an contra mutationem aliquam saltem materialem et improprie dictam recipiat, videndum est an materia illius juris pendeat ex aliqua conditione quae auferri potest, an vero non pendeat ex tali conditione.

Digitized by Google

Jus naturale admittit epiikiam improprie dictam seu talem quae est nuda legis declaratio et explicatio.
Jus *positivum* dicitur quod ultra ea quae jus naturale praecipit ut prohibet vel permittit, aliquid ponat; estque illud quod procedit ac pendet a libera voluntate superioris, scilicet Dei vel hominis aliquid praecipientis, prohibentis, vel permittentis.
Discrimen inter jus naturale et civile triplex est. 1. Jus naturale id quod praecipit honestum esse supponit, et quod prohibet supponit esse inhonestum; jus positivum autem objectum prohibendo facit malum, praecipiendo facit bonum. 2. Jus positivum multiplex et varium est pro varietate locorum et temporum; naturale autem, licet pluribus praeceptis etiam ipsum constet, unum idemque est in omnibus hominibus ubique et semper. 3. Jus positivum, ex legislatoris voluntate, manentibus iisdem circumstantiis mutari, ejusque obligatio tolli potest; praecepta et obligationes juris naturalis ex sua natura immutabilia sunt.
Praecepta juris positivi alia sunt *negativa* quae aliquid prohibent et semper obligant, alia affirmativa quae aliquid mandant etsi non obligent semper pro semper.
Jus positivum aliud est divinum aliud humanum.
Jus divinum vetus est quod Deus in veteri testamento ipse condidit, et per Angelos, Moysen, et prophetas tradidit populo israelitico, ut ad finem aeternae beatitudinis, per fidem in Christum venturum obtinendae disponeretur.
Triplicis generis praecepta continentur in lege veteri, nempe *moralia*, *ceremonialia*, et *judicialia*.
Moralia sunt quae directionem morum et istorum secundum rectae rationis dictamen, conformationem, et reformationem spectant.
Ceremonialia quae determinant tempus ritus et ceremonias sive modos debitum Deo cultum exhibendi.
Judicialia quae ad politicum regimen reipublicae et justitiae administrationem spectant.
Jus positivum divinum veteris testamenti easdem divisiones recipit.
Ex his juribus in lege nova remansit solum morale, non quatenus veteris testamenti, sed quatenus jus naturale.
In veteris testamenti libris nulla praecepta fuerunt mere humana, etsi aliud disputent plerique doctores.
Jus divinum novum est quod Christus dominus, Deus simul et homo, in novo testamento condidit, et vel per seipsum, vel per apostolos promulgavit.
Hujus juris praecepta sunt de fide, spe, et charitate, de dilectione inimicorum, de ritibus substantialibus sacrificii et sacramento-

rum, et quaecumque ex ore Christi excerpta Apostoli tradiderunt. Sunt igitur vel *moralia* vel *ceremonialia*.

Praecepta quae Apostoli nobis tradiderunt non omnia divina sunt sed ea solum quae ex ore Christi excerpta nobis tradiderunt; reliqua ad jus humanum ecclesiasticum spectant.

Christus in materia morali novum addidit praeceptum positivum, quo praecepta moralia legis naturalis confirmavit et sic auxit obligationem, adeo ut Christiani peccatum contra legem naturalem, ceteris paribus, sit gravius quam in homine gentili in eadem materia: non tamen obligationem istam, quae jure naturali dabatur, auxerit extensive, ut plura objecta jam nunc contineat, quam quot continentur per se in jure naturali indeterminate.

In antiqua lege praecepta ceremonialia circa quatuor versabantur; sacrificia, sacramenta, sacra, et observantias. De duobus posterioribus Christus nullum dedit praeceptum positivum, sed potestatem instituendi illa commisit ecclesiae: de duobus prioribus praecepta dantur in lege nova.

Lex nova praecipit actus internos et externos.

Jus positivum humanum est, quod homines, a Deo accepta potestate, condiderunt ac promulgarunt; sive quod obligandi vim immediate obtinet a libera voluntate hominis, publica authoritate aliquid praecipientis vel prohibentis.

Jus humanum necessarium erat etiam existentibus legibus naturalibus et divinis.

Jus humanum est *scriptum* et *non scriptum*.

Scriptum est quod publica authoritate ejus qui legum ferendarum potestatem habet mandatum, conditum et expressum est.

Non scriptum est quod usu et moribus introductum est et approbatum.

Jus gentium, ita dictum quia consensu omnium vel plerarumque gentium est introductum, habet cum jure divino positivo et naturali valde propinquam cognationem, quia universalitate sua ad omnes porrigitur.

Gentium appellatione intelliguntur homines qui in corpora civilia concesserunt.

Jus gentium a pluribus dd. accipitur latius pro omni illo jure quod omnibus hominibus proprium est, iisque solis convenit, sive interim illud revera pertineat ad jus naturale, sive ad jus gentium.

Jus gentium primarium vocant quod solis hominibus convenit, sic tamen ut non ab aliqua hominum constitutione, sed

a naturali instinctu rationis ortum habeat, utpote ab initio cum hominibus natum et mentibus eorum a Deo naturaliter inditum.

Jus gentium secundarium, quod etiam ad distinctionem prioris *jus gentium humanum* appellant, dicunt illud quod ex ratione quidem naturali proficiscitur non tamen simpliciter et ab initio solo rationis instinctu ac lumine hominum menti est inditum et nobiscum natum, sed postea exigentibus humanis necessitatibus vel suadentibus usu et moribus omnium aut fere omnium gentium est introductum, sive per modum legis praeceptivae aut prohibitivae sive per modum potestatis seu facultatis permissivae quidpiam agendi quod usu, seu consuetudine omnium, aut pene omnium gentium concessum est tamquam utile hominibus in comuni societate viventibus.

Etsi disputent aliqui an detur jus gentium proprie dictum, dicendum tamen dari, tum ex comuni gentium sensu, tum ex ratione.

Jus gentium ex toto positivum est atque a naturali jure adaequate distinctum, et mere humanum.

Definiri potest esse id quod exigentibus necessitatibus et utilitatibus suadentibus usu et moribus omnium aut fere omnium gentium est introductum.

Subjectum istius juris est solus homo consideratus ut civis.

Homo considerari potest, 1. ut animal, 2. ut creatura ratione praedita, 3. ut membrum totius communitatis humanae, 4. ut subditus romano imperio, 5. ut christianus sive subjectus sanctae matri ecclesiae, 6. denique ut civis seu membrum certi alicujus principatus vel reip.

Si *primo modo* spectatur utitur jure naturali prout illud dictat inclinatio potentiae sensitivae; si *secundo* utitur jure naturali proprie dicto; si *tertio* subest juri gentium; si *quarto* utitur jure civili; si *quinto* dirigitur jure canonico; si *sexto* subest statutis particularibus reip. vel regni.

Jus gentium supra definitum est duplex; nam aliud est propriissime tale, aliud minus proprie.

Jus gentium propriissime acceptum est cum mutua obligatione et jure, ita scilicet ut ob comunem omnium gentium utilitatem illud inter se seu inter gentes observandi sit obligatio.

Jus gentium minus proprie acceptum est illud quod receptum est inter gentes sine obligatione mutua, seu quin obligatio detur illud inter se observandi.

Ad jus gentium propriissime acceptum in genere spectant ea quae cum natura non praeceperit vel prohibuerit, gentium paene

Digitized by Google

omnium usu et moribus propter communem omnium seu totius comunitatis humanae utilitatem cum mutua obligatione sunt introducta et recepta.

Talia sunt, jus legatorum principum, jus belli, foedera pacis et induciarum, servitus, jus commercii, jus sepulturae.

Exempla juris gentium minus proprie dicti sunt, modus determinatus exhibendi Deo cultum per sacrificia, institutio certi status hominum ad sacrificia Deo offerenda, usus panis pro cibo, constructio aedium, munitio civitatum, divisio rerum, jus postliminii, contractus non pauci, plerique modi acquirendi.

Jus gentium producit obligationem in conscientia.

Stringit ipsos etiam supremos principes et summa orbis capita.

Jus gentium *minus proprie* dictum potest mutari, non usu cujusque gentis vel usu contrario, imo lege etiam publica.

De propriissime dicto etsi major sit difficultas dicendum tamen mutabile esse non tantum per accidens ratione materiae seu objecti mutati sed etiam per se et formaliter.

Jus gentium differt *a naturali* ratione originis, causae efficientis, subjecti, objecti, finis, obligationis.

A civili differt, quin jus civile non est omnibus comune, quia jus gentium derivatur a naturali, quia jus civile est magis mutabile.

Jus civile varias significationes habet; nam 1. accipitur generaliter pro omni jure quo cives utuntur et sicut comprehendit jus naturale gentium et civile in specie. 2° pro jure positivo quod expresso legislatoris consensu pro certa rep. in ordine ad finem temporalem ordinatum est: 3° pro jure romano: 4° pro jure civili in specie sic dicto, quatenus a jure honorario et praetorio distinctionem recipit et huic opponitur: 5° strictissime pro leg. 12. tabularum.

Hic accipitur pro eo quod cujusque reip. legislator in proprium reip. comodum constituit, et dividitur in

Jus civile publicum et jus civile privatum.

Illud ita dictum ab eo quod manifestum sit, et triplicem acceptationem in jure habet, nam 1. jus publicum vocatur a *causa efficiente*, quod authoritate publica constitutum est: 2. aliquando ab *usu et effectu* jus publicum dicitur quod omnibus est comune ac universos concernit cives: 3. *a fine* jus publicum dicitur quod ad utilitatem publicam directe, principaliter et immediate est constitutum.

Digitized by Google

In hoc tertio sensu acceptum est jus quod de causis publicis ad publicam utilitatem directe, principaliter et immediate est constitutum.

Dividitur per modernos juris interpretes in *commune* et *antiquum* de quo maxime in tribus libris ultimis codicis.

Et in *speciale* sive *hodiernum* quod post translationem romani imperii e graecis ad germanos in persona Caroli Magni, sedis Apostolicae auctoritate observari coepit.

Consistit in modernis romano-germanici imperii constitutionibus, puta aurea bulla Caroli IV, instrumento pacis monasteriensis, in capitulationibus imperatoris, recessibus imperii etc.

Author et causa efficiens juris publici est solus imperator in imperio.

Jus publicum consistit et est in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus.

Sacra sunt quae Deo et ejus cultui consecrata sunt.

Per sacerdotes intelliguntur omnes qui Deo et sacris vacant.

Magistratuum nomine intelliguntur personae publicae in principali dignitate constitutae, penes quas est ordinaria jurisdictio et merum imperium.

Juris publici in imperio romano-germanico hodie vim obtinent, 1. *bulla aurea*, 2. *pax. publica profana*, 3. *ordinatio camerae et judicii imperialis aulici, pax religiosa, pacificationes aliae* (inter quas primum locum obtinet *pax Osnabrugo-monasteriensis*), *capitulatio caesarea, recessus imperii.*

Legibus publicis obligantur omnes imperii status ac subditi.

Imperator his legibus non tenetur vi coactiva, sed directiva.

Ipse has leges solus et in totum abrogare non potest, quippe quas ipse solus non sanxit; sed debet hoc facere de consensu statuum imperii.

Imperator potest dispensare cum uno vel altero in legibus publicis, si dispensatio ista in praejudicium imperii non vergat.

In casu extremae necessitatis, vel maxime utilitatis videtur imperator posse mutationem facere in capitulatione sua, etsi illam se servaturum promiserit.

Jus civile privatum definiri potest quod sit jus positivum authoritate principis vel magistratus saecularis conditum et ad singulorum civium temporalem utilitatem immediate directe et temporaliter ordinatum.

Dividitur primo in *jus civile merum* quod ex mera civili ratione excogitatum est, et in *jus civile mixtum* quod de jure naturali et gentium participat.

Dividitur secundo in *jus comune et particolare.* Primo nomine veniunt jura quae in imperio, ab imp. statibus imperii vel expresse sancita vel usu recepta generaliter vigent; secundo jura illa quae introducta sunt in particularibus imperii territoriis, civitatibus etc.

Dividitur tertio in *scriptum* et *non scriptum.*

Jus civile scriptum subdividitur in *civile in specie ita dictum*, et in *praetorium.*

Jus civile est quod ex legibus, plebiscitis, senatus consultis, decretis principum, authoritate prudentum venit.

Jus praetorium est quod praetores introduxerunt adjuvandi vel supplendi vel corrigendi juris civilis gratia propter utilitatem publicam, quod et honorarium dicitur ad honorem praetorum sic nominatum.

Jus praetorium adjuvat jus civile, restringendo corrigit, extendendo supplet.

Juris civilis origo ab ipsarum rerump. ortu et ex jure naturali ac gentium deducitur non per modum conclusionis sed per modum determinationis et arbitramenti humani.

Jus civile neque in totum a jure naturali vel gentium recedit, neque per omnia ei servit.

Jus romanum temporum successu conditum perfectumque est.

Primo *leges regiae* a Sexto Papirio collectae *juris papiniani* nomen obtinuerunt.

Sublatis deinde his legibus populus romanus maxime utebatur *consuetudine.*

Deinde ex grecis constitutionibus *leges XII. tabularum* acceperunt.

Iisdem accessit *interpretatio jurisconsultorum* quae *jus civile* communi nomine dicebatur.

Accesserunt insuper *actiones legis*, *plebiscita*, *senatusconsulta*, *edicta praetorum.*

Constituto tandem principe, *placita principum* successerunt, et facta juris consultis licentia respondendi solemniter, *responsa prudentum.*

Tempore Hadriani, et opera Salvii Juliani in lucem venit *edictum perpetuum*, praetorum edicta complectens.

Successerunt codices *Gregorianus*, *Hermogenianus*, *et Theodosianus.*

Postremo a Justiniano, opera praesertim Triboniani et aliorum sexdecim juris consultorum, *jus justinianeum universum* apparuit.

Germania hoc jure ante saeculum 15 uti non coepit.

Corpus juris civilis romani quatuor praecipue partes continet, nempe volumina pandectarum, institutionum, codicis, et novellarum.

Praeter haec inveniuntur eidem corpori inserta edicta 13. a Justiniano proprio motu promulgata, et quaedam aliorum constitutiones, nempe Justini Augusti, Tiberii, Leonis; et consuedines feudales.

Denique alia jura et constitutiones postea accesserunt quae vim juris perpetui in imperio romano germanico hodie habent, quamvis in dicto corpore non clausae.

Pandectae graecum nomen quasi omni capientiam significat: datum hoc nomen isti juris civilis parti est, quod omne jus antiquum contineat. Appellantur etiam *digesta*, quod scilicet confusa prudentum argumenta in justum modum digesta sint, et sunt distinctae in septem partes.

Institutiones sunt quoddam juris compendium, ex variis antiquorum institutionibus, et praecipue ex commentariis Caji, ex Digestis, ex codice Justinianeo antiquo, aliisque novis constitutionibus jussu et authoritate Justiniani, opera Treboniani, Theophili, et Dorothei confectum, ut sint totius legitimae scientiae prima elementa; dividuntur in 4. libros et 99 titulos.

Codex Justinianeus duplex est, primae et repetitae praelectionis.

Primae lectionis est quam Justinianus ex Gregoriani Hermogeniani et Theodosiani codicum aliorumque imperatorum constitutionibus concinnatum, a suo nomine Justinianeum dixit. Repetitae lectionis est quem laudatus imperator post volumina actenus recensita jam edita vulgavit, et solum observari in posterum voluit.

Codici adiectae sunt constitutiones aliquae quae, ceu spuriae, juris authoritate destituuntur.

Eidem insertae leguntur aliae particulae quae vocantur authenticae, quarum plures authoritate Friderici imperatoris insertae sunt et ideo vocantur authenticae Friderici.

Novellarum nomine venit volumen novarum constitutionum Justiniani, quas idem imperator diversis temporibus pro causarum emergentium varietate tam suppletorias quam correctorias promulgavit, atque ex his unum singulare volumen confici jussit.

Dicitur etiam jus novissimum quia constitutiones novissime post codicem Justinianeum sunt promulgatae.

Tredecim Justiniani edicta quae novellis istis subjiciuntur, et aliae Justini, Tiberii et Justiniani constitutiones illis annexae in foro, et quoad causarum decisiones omni juris authoritate desti-

Digitized by Google

tuuntur. Quod etiam dicendum de novellis Leonis, constitutionibus imperatoriis quae illas sequuntur, et de libris basilicis.

Libri feudorum praedictis juris civilis partibus accesserunt, et jura feudalia quae a veteribus jura militaria solebant appellari, continent.

Jus canonicum sic dicitur a graeca voce *canon*, quod latinis *regulam* denotat, ac proinde idem sonat quod *jus regulare*. Vocatur etiam *jus pontificium*, *jus ecclesiasticum*, *jus sacrum etc.*

Definiri potest quod sit jus positivum quod a summis pont. constitutum vel approbatum, ecclesiae traditum, fideles proxime ad cultum divinum pacem et justitiam christianam conservandam, ultimo ad aeternam beatitudinem, tamquam ultimum finem, consequendam dirigit.

Ex quo deducitur jus canonicum excellere supra jus civile.

Jus canonicum originem debet ipsis Apostolis, qui ad gubernandam ecclesiam et stabiliendam ac propugnandam evangelicam doctrinam, in coetus aliquoties coeuntes varias sanctiones condiderunt ac promulgarunt: hujusmodi coetus ab Apostolis celebrati inveniuntur quatuor.

Decretis habitis isce quatuor coetibus accesserunt successu temporis quidam alii canones et leges ecclesiasticae ab Apostolis conditae.

Canonibus apostolicis cum tempore successerunt constitutiones apostolicae octo libris comprehensae.

Deinde cum insequentes ecclesiarum rectores in rebus dubiis, vel synodi alicujus vel pontificis summi definitionem exquirerent, plures aliae tum a conciliis tum a pontificibus romanis constitutiones decreta et canones editi, ac promulgati sunt.

Pro faciliori ergo illorum notitia diversae conscriptae decretorum istorum collectiones sunt decem.

Prima confecta creditur a Dionysio abbate romano circa a. C. 527.

Secundam saeculo eodem concinnavit Fulgentius Ferrandus diaconus ecclesiae Carthaginensis.

Tertiam sub annum Christi 571 et Honorii I tempus, partim ex synodis graecis, partim ex latinis, praecipue toletanis, conciliis elaboravit Martinus ordinis s. Benedicti.

Quarta, eodem fere tempore, sub nomine *Concordia canonum* vel *libri canonum* data est a Cresconio episcopo Africano.

Quinta, auctorem Isidorum habet.

Sextam edidit s. Brocardus, sive Burchardus.

Septimam fecit Cardinalis Deusdedit.

Octava edita est ab Anselmo Mantuano.

Digitized by Google

Nonae auctor est Ivo gallus.

Decimo tandem loco post relatas et Photii, Harmenopoli, Siagrii et aliorum minoris notae compilationes, in lucem prodiit *Corpus juris canonici*, quo hodie in foro utimur.

Jus canonicum dividitur in scriptum et non scriptum.

Jus scriptum subdividitur in jus comune et speciale seu statutarium.

Comune dicitur quod pro universa ecclesia latum est.

Speciale quod pro certo loco, provincia etc. latum est.

Jus comune iterum subdividitur in illud quod in corpus juris canonici legitima authoritate translatum est, et in id quod est extra corpus juris canonici.

Corpus juris canonici, prout de facto circumfertur, complectitur tria volumina.

Primum volumen comuni usu vocatur *decretum*, saepe cum addito *Gratiani*, ab authore qui illud elaboravit atque in tres partes divisit, quarum *prima* continet *distinctiones* centum et unam divisas in *canones* seu *capitula*; *secunda* continet 36 *causas*, quarum fere singulae plures habent *quaestiones* et istae suos *canones*; *tertia* inscribitur *de consecratione* et habet *distinctiones* quinque.

In prima parte decreti agitur de varia juris origine, partibus, et speciebus; item de iis quae ad jura et dignitates, gradus, electiones, ordinationes et officia personarum ecclesiasticarum pertinent. Altera pars materiam rerum juridicarum et judiciorum ecclesiasticorum complectitur. In tertia parte totius jurisdictionis et ministerii ecclesiastici jura, ritus, ordinationes etc. explicantur.

Alterum volumen complectitur quinque *libros decretalium*, intellige *epistolarum*: a Gregorio IX nomen accepit opus. In his libris plures sunt epistolae SS. Pontiff. quam aliae authoritates simul sumptae.

Tertium volumen continet tres partes. *Prima* est liber IV decretalium, divisus iterum in quinque libros eo modo quo decretales priores. *Secunda* sunt Clementinae, sic dictae, quia a Clemente V editae, quamvis eas non Clemens ipse, quippe ante perfectionem illarum morte praeventus, sed Joannes XXII vulgarit Avenione. *Tertia* extravagantes sic appellatae, quod ante hac extra corpus juris, quasi incerta sede vagarentur. Priores Joannis XXII dicuntur, quia hic fuit illarum conditor, qui etiam illas juris corpore clausis addidit; posteriores seu *comunes* nullius pontificis summi authoritate sunt compilatae, atque idcirco ad authores suos et tempus *data* sunt reducendae.

Digitized by Google

Etsi nonnulli cum Magdeburgensibus omnem vim canonibus apostolicis denegent, dicendum tamen, canones Apostolorum 85 omnes prout de facto in corpore juris inveniuntur, esse authenticos et vere canonizatos.

Author decreti fuit Gratianus, professione monachus ex ordine S. Benedicti.

Decretum istud juxta verisimiliorem sententiam in lucem prodiit anno 1151 tempore Eugenii III.

Quamvis doctores disputent de vi decreti Gratiani, certum tamen est vim approbati juris et legis ecclesiasticae non obtinere, nisi cum fontibus suis concordet; quia Gratianus, tanquam privatus, condendae legis authoritatem non habuit.

Paleae, quae numero 116 in Gratiani decreto reperiuntur, tum incertitudine auctorum, tum quia sine ulla potestate redactae, licet non sint omnino contemnendae, non tamen habent vim juris et canonis; imo minoris sunt authoritatis quam decretum et dicta Gratiani.

Epistolae in collectione Isidori comprehensae non extra omnem suspicionem sunt; ideoque incerta earum vis.

Ante Gregorium nonum compilationes variae tentatae et factae sunt. Primam fecit Bernardus Balbus praepositus papiensis; secunda tentata quidem a Gilberto Abate et Alano Episcopo altissiodorensi, sed perfecta a magistro Joanne Gallensi seu Wallensi: qui compilatione hac complexus est decretales usque ad Innocentii tempora; tertia primum a Bernardo archidiacono compostellano privata authoritate facta Romae, unde et *romana* dicta est, absoluta tamen jussu Innocentii III fuit a Petro Beneventano subdiacono, et praedicti papae notario. Quia vero tertia haec compilatio eas tantum constitutiones complectebatur, quas Innocentius usque ad duodecimum sui pontificatus annum ediderat, ideo quarta compilatio emanavit, authore, ut plerique putant, Tancredo bononiensi archidiacono, et huic volumini insertae constitutiones dicti pontificis posteriores, cum lateranensis concilii sub eo celebrati canonibus. Quinta denique accessit mandato Honorii III, et ipsius constitutionibus confecta.

Has omnes compilationes anno 1230 in unum volumen quinque libris distinctum redegit Gregorius nonus cura S. Raimundi Pennafortii. Ordo et summa quinque librorum continetur hoc versu. Judex, Judicium, Clerus, sponsalia, crimen.

Huic Gregoriano volumini ejusque textibus vim et authoritatem juris indubitati competere certum est.

Digitized by Google

Inter textus decreti et decretalium cum certum sit plures sibi opponi, tenendum per hos priores correctos esse, cum non appareat qua interpretatione in concordiam reduci possint.

Cum in jure canonico contrarietas canonum sese offert, interest an dubia sit contrarietas an vero certa. Si dubia sit eaque talis, ut comoda aliqua interpretatione, salva verborum proprietate et ratione recti sermonis, conciliari possit, expedit jura juribus concordare ut evitetur jurium correctio et contrarietas; si vero certa sit contrarietas, eaque talis ut conciliari nulla arte et modo possit, stabitur posteriori decisioni, quia jus posterius derogat priori.

Volumen tertium ex quo componitur jus canonicum diversos habet authores. Librum sextum decretalium compilarunt Guillielmus de Mondagoro archiepiscopus ebredunensis, Berengarius Fredellus vel Stredelius episcopus bitterensis et Richardus de Senis S. R. E. vice-cancellarius mandato Bonifacii VIII, qui dein huic libro juris ecclesiastici authoritatem dedit. *Clementinas* partim ex canonibus concilii viennensis circa annum 1311 celebrati, partim ex propriis constitutionibus colligendas curavit Clemens V, easque Joannes XXII ejus successor absolvit. Dividuntur Clementinae in quinque libros, libri dein in titulos, tituli denique in capitula. *Extravagantes Joannis XXII* continent 20 constitutiones dicti pontificis, in 14 titulos distributae. Extravagantes comunes dividuntur in quinque libros, libri in titulos, tituli in capitula, quorum singula novam et distinctam constitutionem, sive extravagantes continent.

Liber VII decretalium constans bullis et constitutionibus posteriorum pontificum, collectus opera Petri Matthei juris consulti lugdunensis additur in aliquibus recentioribus juris canonici editionibus.

De alio septimo decretalium libro curam susceperunt Gregorius XIII Sixtus V et Clemens VIII; et hujus opera jam expleto et typis excuso, non tamen in lucem prodiit, ne a jurisperitis super decretis concilii trid. huic libro insertis glossae edi possent, ac super aliis compilationibus.

Certum est juris ecclesiastici plenum robur et authoritatem eandem, quam decretalium libri priores habent, competere libro VI, Clementinis, et extravagantibus Joannis XXII.

Dicendum etiam juris ecclesiastici vim et authoritatem concedendam extravagantibus comunibus, licet alicujus pontificis authoritate non sint compilatae; dummodo tamen posteriore aliqua consti-

tutione aut consuetudine legitime praescripta iisdem non sit derogatum.

Liber VII decretalium a Petro Matthei compilatus, et alius jussu Clementis VIII primum impressus postea suppressus, quamvis novas constitutiones ecclesiasticas contineant, nullam vim juris ecclesiastici perfectam habent; primus quia authoritate tantum privata collectus est, alter quia non promulgatus, cum lex nulla sine promulgatione valeat.

Rubricae praefixae textibus voluminis Gratianaei legis ecclesiasticae authoritatem non habent; praefixae vero textibus duorum posteriorum voluminum maxima authoritate pollent.

Summaria capitulorum vim authenticam et decisivam in judiciis nullam habent, nisi in quantum concordant cum textu subsequenti.

Superscriptiones decretalium omnino authenticae sunt, atque ex illis in jure validum est argumentum, quia totum volumen decretalium a papa est approbatum.

Glossae magna authoritas est.

Concilium ecclesiasticum definitur congregatio publica prudentum virorum ecclesiasticorum authoritate praelati convocatorum ad tractandum de rebus ecclesiae utilitatem vel necessitatem publicam concernentibus.

Antiquissimus conciliorum usus in ecclesia est.

Quamvis Albertus Pighius contendat conciliorum originem esse humanam, aliqua concilia et pontifex Coelestinus docuerunt esse institutionem divinam, ex verbis Christi „ *ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic in medio illorum sum.*

Causa convocandi hujusmodi concilia fuit justissima, ne pontifex in decidendis omnibus controversiis, temere videretur agere.

Causae ob quas concilia generalia convocari solent sunt variae, nempe 1.° nova et non ante judicata haeresis: 2.° Schisma in ecclesia ortum, dum plures pro pontifice romano se gerunt: 3.° Ut Turcis aliisque ecclesiae hostibus comuni consilio resistatur: 4.° Suspicio haeresis vel infidelitatis, aut tyrannidis incorrigibilis in romano pontifice: 5.° Reformatio abusuum et extirpatio vitiorum, quae in ecclesiam irrepunt. 6.° Excogitari posset si cardinales aut nollent aut non possent eligere pontificem per morbos, mortem, vel alium casum inevitabilem impediti; nam tunc utique ad concilium generale spectaret determinare de electione pontificis.

Concilia, aliqua sunt generalia, alia particularia.

Generalia sunt quae congregantur summi Pontificis authoritate, omnibus christiani orbis episcopis convocatis.

Particularia vero sunt quae celebrantur convocatis non orbis totius, sed alicujus tantum nationis, provinciae aut dioecesis episcopis, vel praelatis et clericis.

Particularia sunt triplicis generis

1. Nationalia quae celebrat aliquis Patriarcha vel Primas, aut etiam Papa cum Archiepiscopis et Episcopis unius alicujus regni, vel duarum vel trium provinciarum.
2. Provincialia quae archiepiscopus vel Metropolitanus celebrat cum suis suffraganeis, episcopis, abbatibus, aliisque clericis suae provinciae.
3. Dioecesana seu episcopalia quae celebrantur ab Episcopo, aut sede vacante a capitulo cum Abbatibus aliisque praelatis et clericis suae dioecesis.

Ad provincialia concilia revocari possunt ea quae legatus a latere vel alius ex speciali mandato suae legationis celebrat cum metropolitanis et aliis clericis provinciae aut provinciarum intra terminos suae legationis contentarum.

Ut legitimum et perfectum dicatur concilium generale requiritur ut hujusmodi concilia congregentur summi pontificis mandato vel approbatione; ut pontifex concilio praesit per se vel per legatos suos; et ut ad concilium vocentur omnes qui jus habent suffragii.

Ad concilium vocari debent

1. Omnes totius orbis christiani episcopi, ex jure proprio.
2. Cardinales etiam non episcopi, ex privilegio vel consuetudine.
3. Generales ordinum regularium et Abbates consecrati habentes jurisdictionem, ex usu et privilegio.

Episcopi in concilio suffragium seu vocem decisivam habent, eaque illis competit jure ordinario et ex officio proprio.

Ibi similiter suffragium decisivum habent cardinales, et quidem ante episcopos, licet ipsi episcopi non sint, quia ex usu et privilegio Pontificum illis praeferuntur in iis, quae non descendent a charactere episcopali.

Et ex usu et privilegio votum habent etiam Abbates et generales ordinum regularium.

Reliqui minores clerici qui ad concilium generale vocantur, tale votum non habent, sed consultivum tantum.

Personae laicae, licet principes, reges, aut imperatores vel istorum legati sint, votum decisivum non habent, nam licet interesse possint et nonnumquam interfuerint conciliis, interfuerunt solum-

modo, ut defensores, testes, consiliarii, suggestores, vel executores.

Praelati vel. clerici qui loco episcoporum absentium intersunt concilio generali, etsi olim ferrent suffragium ac episcopi a quibus mittebantur, tamen nemo in concilio novissimo tridentino ad suffragium decisivum admissus est.

Prae ceteris eminet potestas cardinalium legatorum, qui pontificis summi loco concilio praesident.

Duo sunt casus in quibus concilium generale a collegio S. R. E. cardinalium absque pontificis romani authoritate convocari potest; unus si Papa lapsus esset in haeresin; alter si duo de papatu contenderent, et neuter in concilii convocationem consentire vellet.

Praesidere concilio generali pertinet ad summum pontificem jure, quo utitur vel per se vel per legatos.

Concilia ex divisione Bellarmini sunt

1. quaedam a sede Apostolica approbata et ab ecclesia universa recepta.
2. quaedam omnino reprobata
3. quaedam partim approbata, partim reprobata
4. quaedam nec approbata nec reprobata

Concilia generalia approbata numerantur octodecim, Nicaenum I, Constantinopolitanum I, Ephaesinum I, Chalcedonense adversus haeresim Eutychetis, Constantinopolitanum II, Constantinopolitanum III, Nicaenum II, Constantinopolitanum IX, Lateranense I, II, III, et IV, Lugdunense I, et II, Viennense anni 1311, Florentinum anni 1439, Lateranense V, Tridentinum.

Concilia generalia reprobata Bellarminus recenset octo, Antiochenum anni 345, Ariminense anni 363, Ephesinum II, Constantinopolitanum anni 730, et 756, Pisanum anni 1511, Wuttenbergense, quod lutherani generale vocant, preside Luthero, anno 1536.

Concilia partim approbata, partim reprobata inveniuntur sex, scilicet Sardicense convocatum anno 351, Syrmiense celebratum anno 356, Quinisextum a quo canones Trullani editi sunt, Francofordiense celebratum anno 794, Constantiense inchoatum anno 1514 et finitum 1518, Basileense indictum a Martino V. et ipso e vivis exempto, ab aliis continuatum.

Generale concilium nec probatum nec reprobatum videtur esse Pisanum quod anno 1409 deposuit Gregorium XII. et Benedictum XIII. pro pontifice se gerentes et elegit Alexandrum V.

Decisiones et decreta conciliorum generalium, si a Sede Apostolica confirmata sint, obtinent plenum robur et authoritatem ita ut

hujusmodi decreta, si fidei orthodoxae doctrinam concernant, perinde ut quatuor Evangelia amplectenda et retinenda sint; si vero morum reformationem spectant, vim legis universalis, omnes Christifideles obligantis obtineant.

Concilium generale condere non potest leges ipsum Papam obligantes.

Concilia particularia, modo nihil statuant contra canones et consuetudines universalis ecclesiae, ut certae nationis, provinciae, dioecesis subditos obligent, non opus habent confirmatione apostolica.

Haec, decreta fidei nulla condere possunt, seclusa commissione apostolica; decreta vero morum non obligant ultra provinciam, nationem etc.

Conciliorum generalium novissimum est sacrosancta synodus tridentina.

Hujus concilii par cum ceteris oecumenicis et ab Ecclesia receptis conciliis authoritas est.

Authoritas declarandi decreta hujus concilii, olim soli pontifici reservata, a Pio IV. fuit deinde delegata congregationi octo cardinalium, qui concilio interfuerant; qui tamen in rebus dubiis ad pontificem referre debebant.

S. Pius V. postea eidem congregationi indulsit ut posset decidere casus quos claros putaret, dubiis ad se remissis; ac non multo post facultatem ipsi concessit decidendi causas et controversias, interpretationem concilii concernentes.

Denique Sixtus V. reservatis sibi et successoribus suis tantum iis quae ad Fidei dogmata pertinent, etiam concessit praedictae congregationi potestatem declarandi decreta morum reformatoria, etiam in casibus dubiis, papa tamen in his consulto.

Congregatio praedicta habet facultatem executionis vel observantiae, ut hujus concilii decreta serventur.

Interpretari potest concilium quoad decreta morum.

Concessa eidem a Sixto V. est facultas synodos provinciales et dioecesanas in usum deducendi, ut hae singulis, illae tertio quovis anno celebrentur; item facultas recognoscendi decreta synodorum provincialium, audiendi postulata archiepiscoporum et episcoporum qui limina Apostolorum visitant, ex his postulatis expediendi ea quae ipsa congregatio per se potest, relatis ad pontificem rebus gravioribus, ab iisdem episcopis et archiepiscopis exposcendi statum ecclesiarum, cleri, et populi illis subjecti, et discendentibus dandi litteras ex formula prae-

Digitized by Google

scripta, testantes obitam per eos esse visitationem liminum Apostolorum.

Idem pontifex huic congregationi concessit authoritatem non solum in Urbe et statu ecclesiastico sed etiam in universo christiano orbe ordinandi ea quae pertinent ad divinum cultum propagandum et mores christiani populi componendos.

Gregorius XIV adjecit facultatem scribendi nomine papae litteras in forma brevis.

Congregatio haec constat ex meris cardinalibus praeter unum praelatum qui secretarii officio fungitur.

Est dubium an declarationes congregationis hujusmodi vim habeant et authoritatem juris seu legis ecclesiasticae; sed verior sententia distinguit inter declarationes comprehensivas et extensivas.

Comprehensivae sunt si sensus sic declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedat.

Extensivae si illam egrediantur.

De extensivis libenter concedit sententia ista quod vim et authoritatem legis non habeant nisi fiant ex speciali mandato papae: de comprehensivis affirmant quod vim legis habeant, si, papa consulto, factae, a cardinale praefecto et secretario subscriptae, et consueto ipsius congregationis sigillo munitae sint.

Congregatio super negotiis episcoporum et regularium, quam instituit Sixtus V primo divisam in duas, unam super negotiis episcoporum, alteram super negotiis regularium, dein vero ab eodem pontifice conjunctam in unam, constituitur ex 24 cardinalibus et uno praelato qui secretarii munus gerit; antiquior inter illos cardinales est praefectus illius.

Pertinet ad hanc congregationem duo diversorum negotiorum genera; unum est quando controversiae oriuntur inter episcopos aliosve praelatos, aut vicarios et officiales ex una et inter subditos vel regulares ex altera parte, alterum cum contendunt inter se religiosi.

Terminantur negotia ista ab hac congregatione absque strepitu et forma judicii, inspecta solum facti veritate et frequenter etiam sumpta tantummodo extrajudiciali et secreta informatione; et expediuntur omnia gratis.

Congregatio jurisdictionis et immunitatis ecclesiasticae instituta ab Urbano VIII constituitur cardinalibus et praelatis plerumque ex Rotae et Camerae auditoribus eo numero, qui determinatus fuerit a pontifice.

Munus ejusdem proprium ac praecipuum est protegere et defendere jurisdictionem et immunitatem ecclesiasticam personalem, loca-

lem et realem ne haec violetur aut illa usurpetur a magistratibus vel communitatibus saecularibus, neve a gabellarum aliorumque ouerum localium exactoribus gravetur.

Negotia haec expediuntur in illa gratis, et proceditur in iis extrajudicialiter sine processibus.

Congregatio rituum erecta a Sixto V. videtur esse duplex; una, eaque ordinaria, erecta pro decidendis controversiis circa ritus, ceremonias, praecedentias, aliasque praeminentias; altera extraordinaria pro canonizatione sanctorum et beatificatione servorum Dei.

Ad primam admittuntur tot cardinales, quot pontifex constituerit, et plures praelati, quorum unus secretarii munus obire solet: proceditur in hac extrajudicialiter, et omnia fiunt gratis.

Ad alteram extraordinariam spectant iidem cardinales et secretarius, qui ad priorem, sed non iidem praelati, officiales et theologi, nam alii pro hac congregatione constituuntur.

Est etiam in ea promotor fidei, qui ex consuetudine idem esse solet, qui advocatus fisci.

Accedunt quoque ad hanc tres antiquiores Rotae auditores, veluti canonum periti, qui munus gerunt assessorum; item unus ex protonotariis participantibus, tamquam *promotor causae*: et demum alii quoque theologi, qui *consultores vel qualificatores* dicuntur; et peritissimi quoque in omni facultate doctores, etiam medici et philosophi, qui judicent an operationes, quae miraculis adscribuntur vere sint supernaturales.

Congregatio pro indice librorum prohibitorum fuit erecta e Sixto V eum praecipue in finem ne libri haeresis veneno infecti, ac doctrina noxia aspersi imprimantur et vulgentur.

Constituitur ex tot cardinalibus, quot voluerit pontifex, quorum unus est praeses congregationis cum secretario et XII consultoribus: ex his consultoribus primarius est magister S. Palatii.

Officium istorum est revidere et examinare libros suspectos, qui inter eos a secretario distribuuntur, ut deinde judicium suum de iis in plena congregatione referant.

Omnia in hac congregatione tractantur summarie sine forma judiciali et expediuntur gratis.

Congregatio de propaganda fide erecta est a Gregorio XV.

Intersunt illi aliquot cardinales, unus protonotarius apostolicus, secretarius Status, judex qui esse solet referendarius utriusque Signaturae, assessor S. Officii, et praelatus aliquis qui secretarius est congregationis cum nonnullis religiosis.

Digitized by Google

Officium hujus congregationis est investigare in vias et modos quibus vera fides catholica in omnibus mundi partibus propagari et conservari possit; et si quae res controversae inter missionarios occurrant, eas, relatis ad pontificem rebus gravioribus, summarie et de plano decidere et expedire.

Congregatio S. Officii inquisitionis instituta est contra haereticam pravitatem.

An declarationes harum congregationum vim legis habeant non semper certi juris est; et utendum est distinctione: si declarationes hujusmodi munitae sunt subscriptione cardinalis praefecti et secretarii ac sigillo consueto, comprehensive vim et authoritatem legis habent etsi in forma authentica non exhibitae, modo constet uniformiter et saepius super eodem casu, et juris dubii articulo eas redditas aut secundum illas ab Rotae aliorumque tribunalium judicibus pronuntiatum esse: contra vero si hujusmodi subscriptione et sigillo destitutae sint vim legis per se non obtinent.

De bullario romano dicendum bullas in eo contentas habituras authoritatem juris ecclesiam universalem obligantis, quando legitime constat, quod pro tota ecclesia latae, rite promulgatae, et usu receptae fuerint, atque insuper cum originalibus suis congruant.

De regulis cancellariae apostolicae etiam distinguendum est inter eas quae ipsi cancellariae praescribuntur, et litterarum solummodo expeditionem in curia faciendam concernunt; et inter generales sive illas quae de reservationibus apostolicis, de dispensationibus, de indulgentiis impetrandis et concedentis, de certis beneficiis per papam conferendis eorumque resignationibus et annali vel triennali possessione agunt. Priores solam cancellariam et ipsius officiales ligant; posteriores juris universalis etiam extra curiam et Urbem obligantis, sed novo modo et forma ex dispositione pontificis introducti, vim et authoritatem habent; et in judicio, saltem cum a S. R. E. vice-cancellario impetratae producuntur, fidem faciunt.

Decisiones Rotae romanae etsi magnae sint authoritatis, obligant tamen solum partes litigantes, neque inter alios jus faciunt.

Jus canonicum et civile se invicem juvant, ita ut quando in uno jure alicujus casus non invenitur decisio, ista ab altero jure peti possit.

Cum de ecclesia aut de personis vel rebus ecclesiasticis agitur, in utroque foro jus canonicum observandum est.

Casu quo dispositio juris civilis esset mere favorabilis, nullumque damnum personis ecclesiasticis aliquid praecipiendo vel prohibendo afferret, deficiente dispositione canonica, ipsa retineri et in utroque foro observari debet.

Cum de rebus spiritualibus agitur, juris canonici dispositio tantum est attendenda.

Si de conscientia et peccato agatur et jus civile a canonico divertat, sicut fit in legibus quae permittunt concubinatum, secundum jus canonicum, non civile pronuntiandum est.

In materia profana et animarum salutem non concernente, si utrumque jus non conveniat, quodlibet in suo foro est observandum, nempe jus civile in imperio romano, canonicum in terris temporali dominio papae subjectis.

Quoties in materia profana decisio juris civilis dubia, juris canonici autem certa est, in utroque foro standum est posteriori.

Si aliquid dubium et obscurum sit in jure civile et materia sit prophana, insistendum est decisioni juris civilis.

In causis quae processum judicialem concernunt, jus canonicum praefertur etiam quoad forum civile.

In criminibus mixti fori judex ecclesiasticus irrogat poenas decretas jure canonico, saecularis dictatas jure civili.

DECRETALIUM
GREGORII IX.

LIBER I.

Regula quam judex in judicando sequi debet, maxime quadruplex est, *Deus*, *Lex*, *Rescriptum principis*, *Consuetudo*.

Fons et norma juris canonici est fides catholica.

Haec tamquam objectum suum SS. Trinitatem respicit.

Errores in hoc ineffabile mysterio Joachimi Abbatis, Almarici, Graecorum et Raymundi Lulli damnati sunt a pontifice.

Fides divina seu catholica tripliciter potest accipi, 1.° pro actibus illis intellectus quibus assentimur firmissime veritatibus et dogmatibus per ecclesiam nobis a Deo propositis, 2.° pro habitu supernaturali, ex quo ejusmodi actus eliciuntur, 3.° pro sum-

ma et collectione articulorum fidei et veritatum quae nobis a Deo per ecclesiam proponuntur credendae.

Obligantur ad edendam professionem fidei provisi de quibuscumque beneficiis curam animarum actualem annexam habentibus; provisi de canonicatu vel dignitate in ecclesia cathedrali; promovendi in patriarchas, primates, archiepiscopos; praelati monasteriorum etiam ordinum militarium; doctores, magistri, regentes et artium liberalium professores.

Professio fidei praestari per procuratorem non potest.

Professionem fidei culpabiliter omittentes duobus mensibus, privantur fructibus beneficiorum.

Probabilior sententia est eum qui omisit professionem fidei intra tempus a trid. statutum, fructus post illud perceptos ex beneficio teneri restituere ante sententiam.

Secus dicendum de distributionibus quotidianis.

Lex est ordinatio rationis ad bonum comune ab eo qui curam comunitatis habet promulgata.

Generice accepta dividitur in divinam naturalem et humanam.

Divina est Deus ipse, quatenus indicat quid sit faciendum vel omittendum et voluntatem habet obligandi ad sui observationem.

Naturalis proprie sumpta est dictamen rationis a natura inditum, quo natura rationalis discernit honestum a turpi.

Humana, quae ab hominibus proxime et immediate ponitur.

Haec alia est ecclesiastica quae descendit a potestate ecclesiastica, alia civilis quae ponitur a potestate saeculari.

Dividitur etiam lex in praeceptivam et poenalem.

Praeceptiva est qua aliquid absolute et simpliciter praecipitur aut prohibetur.

Poenalis qua trasgressori poena aut mulcta injungitur; estque duplex; nam alia est pure poenalis, alia mixta. Illa solum statuit poenam, non sub culpa obligat ad actum immediate praeceptum, ista duo continet membra, quorum primo aliquid jubetur vel prohibetur, altero transgressoribus poena imponitur.

Dividitur iterum lex in affirmativam et negativam.

Affirmativa est quae imperat aliquid positivum et reale.

Negativa, quae negationem imperat et actum positivum prohibet.

Actus legis sunt *imperare*, *vetare*, *permittere*, *punire*.

Causa finalis legis est semper bonum comune reipublicae.

Potestas ferendi leges est in hominibus.

Indubium est potestatem ferendi leges canonicas esse penes summum pontificem, et post eum penes praelatos jurisdictionem ecclesiasticam obtinentes.

Concilium generale, si accedat authoritas summi pontificis, leges condere potest quae ecclesiam universam obligent.

Concilia particularia leges ferre possunt pro suo territorio.

Congregatio cardinalium per se loquendo non habet potestatem condendi leges universam ecclesiam obligantes.

Capitulum habet potestatem condendi leges, tantum sede episcopali vacante.

Potestas dominativa ex vi voti obedientiae residet inter regulares; sed videnda sunt specialia cujusque ordinis statuta.

De capitulis ecclesiarum collegiatarum et aliis communitatibus ecclesiasticis saecularibus satis liquet, quod de jure comuni, seclusa contraria consuetudine, jus legislativum non habeant.

In statu democratico leges condit universus populus, in aristocratico optimates, in monarchico summus princeps.

Papa ferre non potest leges civiles obligantes universam ecclesiam.

Potestas legislativa imperatoris se extendit ad omnes provincias sibi subditas.

Per statuta facta a praelatis inferioribus, derogari non potest juri pontificio; potest autem juri caesareo per magistratus et principes imperatori inferiores.

Materia et objectum legis sunt omnes actiones humanae, quae praecipi, prohiberi, puniri aut permitti possunt, etiam indifferentes.

Actiones mere internae non possunt esse objectum legis, nisi divinae et naturalis.

Actus praeteriti possunt esse materia legis, quae declaret jus praeexistens legis irritantis per argumentum a sensu contrario.

Actus praeteriti non possunt esse materia legis praecipientis vel punientis, quia haec debet esse possibilis.

Quamvis inhabilitas ob actum praeteritum nulla anteriori lege prohibitum, contrahi possit, aut privilegium ob eumdem denegari, affici tamen poena proprie dicta non potest.

Denique probabilius, nisi aliud exprimatur, actus praeteritus, anteriori aliqua lege prohibitus, recipit solum poenam quae illa lege est constituta, non vero asperiorem aliam, si quam statuisset lex alia post illius commissionem edita.

Princeps non potest lege aut alia ordinatione auferre subditis jus suum, nisi casu quo bonum reipublicae hoc exposcit.

Forma legis sunt verba vel alia signa externa quibus legislatoris eam condentis voluntas manifestatur comunitati.

Dupliciter potest legislator sententiam ferre in aliqua speciali causa, ut sententia sit declaratoria legis a se vel praedecessoribus latae, ut solum sit decisiva litis secundum leges a se vel jure

divino aut naturali statutas. Sententia declaratoria vim legis, habet, non tamen ea quae praecise est decisiva litis, nisi id exprimat legislator.

Certum est ex definitione legis dari non posse legem quin promulgetur promulgatione sufficienti ut ad notitiam totius comunitatis deveniat.

Leges imperiales promulgari debent in omnibus provinciis, et non obligant nisi post duos menses a promulgatione in provinciis facta.

Sufficit publicatio Romae facta ut lex pontificia omnes Christifideles liget, neque opus est bimestre a facta publicatione.

Ut lex civilis vel canonica obliget non est necessaria acceptatio populi, nisi quando lex prudentum judicio est difficilis observationis, vel legislator aliud exprimit, aut privilegio vel consuetudine est receptum.

Lex humana tam civilis quam canonica obligat in conscientia, et nulla esse potest quae vim obligandi non habeat si juxta illa sit et vere lex.

Datur lex mere poenalis.

Si lex sit naturalis, obligat metu vitae aut alterius gravis mali non obstante.

Si lex sit divina positiva aut humana quidem sed ecclesiastica, videndum an actiones ea lege praeceptae sint speciales et tales quae singulos respiciant an vero comunes, h. e. pertinentes ad communem ritum sacramentorum. Si primum lex hujusmodi non obligat cum gravi detrimento vitae, honoris aut rei familiaris, si secundum lex etiam cum periculo vitae est observanda.

Denique si sit lex civilis, distinguendum, est an ex observantia talis legis vel praecepti pendeat bonum comune et salus reip. spitualis vel temporalis, an vero non. Si primum, metus etiam gravis ab observantia ejusdem non excusat, si secundum, legislator ad legis observantiam obligare non potest.

De lege fundata in falsa praesumptione distinguendum est. Si praesumptio sit *de casu vel facto aut delicto aliquo singulari* et praesumptio veritati nonconveniat, cessat obligatio legis quia cessat adaequatus finis ejusdem: contra si praesumptio non in facto vel delicto particulari, sed in *periculo illius universali* fundata sit, lex seu praeceptum non cessat etsi praesumptio illa in casu aliquo speciali cesset.

Legibus adstringuntur soli subditi ratione utentes.

Legislator legibus suis quatenus suae sunt, sive obligatione immediate ex ipsis orta, probabilius non obligatur.

De legibus civilibus probabilius dicendum eis clericos non obligari, nisi bonum reip. spectent vel ex praecepto superioris ecclesiastici.

Religiosi, nisi sint exempti a jurisdictione episcopi, legibus ejusdem etiam ipsi stringuntur; si exempti, dicendum extra casus, quibus et ipsi jurisdictioni Ordinariorum subsunt, constitutionibus dioecesanis per se et directe non obligari.

Pueri, quam primum adepti rationis usum, obstringuntur legibus etiam ecclesiasticis si materia illorum aetati conveniat.

Ignorantia legis, si inculpabilis, semper excusat a culpa, non tamen ignorantia poenae semper a poena.

Leges patriae ex qua discessit non obligant peregrinantem.

Peregrini transeuntes, per se loquendo, legibus particularibus loci non obligantur; quod dicendum est etiam de vagis.

Interpretatio legis nihil aliud est, quam declaratio qua declaratur legem ad hunc vel illum casum esse extensam vel non extensam: et dicitur *authentica*, *usualis* et *doctrinalis*.

Authentica est quae fit per aliam legem latam ad declarandam priorem.

Usualis, quae per usum et consuetudinem est introducta.

Doctrinalis denique quae fit arte et peritia interpretum et DD.

Haec iterum triplex est, videlicet 1. *Declarativa* quae est congrua obscurorum, aequivocorum, aut dubiorum verborum expositio; 2. Extensiva eaque vel *pure* cum ob paritatem vel similitudinem rationis dispositio legis extenditur ad personam vel casum, neque verbis neque mente legislatoris comprehensum, vel *comprehensive* tantum, quando lex per interpretationem extenditur ad personam vel casum verbis quidem non expressum, mente tamen legislatoris comprehensum ob adaequatam rationis identitatem: 3. Denique *restrictiva*, cum interpretamur aliquem casum particularem propter suas circumstantias sub lege universaliter lata non contineri.

Nulla ex his tribus doctrinalis interpretationis speciebus inducit obligationem legis.

Regulariter potest interpretari legem authentice legislator aut hujus successor vel superior et qui ab his facultatem habet.

Cuilibet licet legem doctrinaliter interpretari, si id faciat juxta regulas et ex sensu DD. non ex cerebro proprio.

In doctrinali interpretatione legum, plures servandae sunt regulae, ex DD. praeceptis et jure ipso desumptae.

Digitized by Google

Per se loquendo ob solum similitudinem vel identitatem rationis lex extendi non debet ad casum sub lata verborum forma in lege non comprehensum.

Locus est interpretationi restrictivae legis per epiikiam his tribus casibus, 1. si alioquin in casu particulari lex evaderet iniqua et praeciperet aliquid illicitum: 2. si lex in casu particulari praeciperet aliquid minus arduum et supra potestatem humanae legis: 3. si prudenter credi posset quod legislator in hoc vel illo casu lege sua non voluerit obligare.

Lex primo cessat ex cessatione causae finalis ejusdem.

Secundo per abrogationem.

Lex anterior censetur abrogata per posteriorem variis casibus. Lex prior vel est generalis vel specialis: si specialis per posteriorem legem contrariam generalem non abrogatur, nisi illius saltem in genere princeps mentionem faciat: si generalis, videndum an illa sit corpore juris comunis clausa an non; si primum abrogatur per posteriorem, modo haec priori contraria sit, si secundum anterior lex per posteriorem sine prioris mentione non abrogatur.

Legem potest abrogare, 1. qui illam tulit, 2. successor ejus, 3. superior istorum.

Inferior non semper potest abrogare legem propriam, maxime si ea confirmata sit a superiore.

Est probabilis opinio posse episcopum, inconsulta synodo, constitutiones synodales, si id viderit expedire, abrogare.

Dispensatio legis est relaxatio alicujus juris, seu exemptio alicujus ab obligatione legis.

Nec a Deo nec ab alio vices ipsius habente proprie et directe dispensari potest ullo jure naturali.

Pontifex dispensare in ullo jure divino non potest, sed potest in omni lege ecclesiastica.

Aliquibus casibus episcopis et praelatis inferioribus censetur esse concessa postestas dispensandi in lege pontificia.

Dispensatio exercenda est circa subditos.

Superior et is qui ex commissione potestatem dispensandi habet, aliquando etiam secum ipso dispensare potest.

Legislator etiam in lege propria sine justa causa dispensare non potest.

Rescriptum etsi possit variis modis accipi, definitur tamen generaliter quod sit responsum a papa, imperatore vel alio principe, ad alicujus supplicationem, relationem vel consultationem in scripto datum.

Rescriptum esse potest contra jus, praeter jus, secundum jus.

Dividitur in generale et speciale; primum est quod habet vim obligandi omnes subditos, speciale quod inter certas personas, et ad certas causas datum est.

Rescripta gratiae dicuntur quibus ex liberalitate principis aliquid praeter aut contra jus comune conceditur.

Rescripta justitiae sive ad lites vocantur quae ad justitiae administrationem tendunt.

Rescripta mixta dicuntur quae gratiam simul et justitiam continent.

Rescripta proprie dicta concedere potest solus princeps superiorem non recognoscens, et impetrari possunt super omnibus rebus de quibus litigari potest, contra quemcumque et a quocumque, nisi specialiter prohibeatur.

Rescriptum impetratum ab excommunicato validum est septem casibus.

Nemo impetrare potest rescriptum justitiae pro alio sine speciali ejusdem mandato, exceptis personis conjunctis et aliis lege, consuetudine vel judicio judicis admissis.

Ad rescriptum gratiae non requiritur speciale mandatum.

Rescripti forma in legitima ejus expeditione consistit.

Ad eam requiritur 1. ut nomen pontificis vel imperatoris praeponatur et annus incarnationis, item pontificatus vel imperii, dies, consul, et indictio locusque subjiciatur: 2. ut observetur stylus usitatus: 3. ut rescripta gratiae bullentur cum filo serico rubro, rescripta justitiae cum filo canabis in quo plumbum pendet.

De jure comuni imperiale rescriptum debet scribi scriptura purpurea, ardore cocti muricis et triti conchylii: sed haec forma in desuetudinem abiit.

Literae gratiae continentes dispensationes debent examinari ab Ordinariis num petita sint vera.

Si in eadem causa vel ab una solum parte vel utriusque consensu impetratum jam sit rescriptum justitiae ad judices delegatos, ut secundum valeat, in hoc mentio fieri debet prioris rescripti.

Si reus extra dioecesim propriam ultra terminum a jure prescriptum ad judicium trahatur, debet fieri mentio dietarum.

Si per rescriptum mandatur restitutio spoliati contra judicem qui per sententiam ipsum spoliavit beneficio suo, debet fieri mentio causae spoliationis.

Si rescriptum impetretur adversus personam privilegiatam, debet exprimi conditio personae privilegiatae.

Digitized by Google

Si impetretur rescriptum super re litigiosa, debet fieri mentio litis pendentis super illa re et judicis coram quo lis inchoata et processus pendet.

Multo magis mentio fieri debet si super re super qua rescriptum est impetratum, est jam in causa conclusum, sententia lata, vel appellatio interposita; vel si causa jam terminata sit transactione vel pronuntiatione arbitri compromissarii.

Denique si ad instantiam partis committatur alicui inquisitio specialis contra aliquem, debet in rescripto fieri mentio diffamationis, vel indiciorum huic equivalentium.

Rescripta beneficialia aliqua dantur *ex forma pauperum* seu in forma comuni, quibus mandatur conferri beneficium clerico pauperi, et vocantur *rescripta justitiae.*

Alia dicuntur *rescripta gratiae* quae a curia romana emanant etiam pro clericis non indigentibus; et haec sunt iterum duplicis generis *in forma gratiosa* et *in forma dignum.*

Quando in forma *gratiosa* dantur, clericus iis instructus supponitur dignus beneficio quo providetur et tantum datur mandatum ad deputatos executores ut provisum in possessionem inducant: quando autem dantur sub forma *dignum*, provisio de illo non fit Romae a papa, sed facienda, vel saltem per tituli collationem perficienda committitur dioecesis Ordinario, cum mandato, ut, praemisso examine, clerico pro quo scribitur, si idoneus reperiatur, conferat beneficium.

Si rescriptum detur in *forma pauperum*, debet fieri mentio patrimonii.

Tam in rescriptis justitiae quam in rescriptis gratiae sub forma gratiosa debet exprimi illius, pro quo rescribitur, habilitas.

Tam in rescriptis gratiae quam in rescriptis justitiae beneficialibus exprimendum est beneficium ante obtentum, etiam unicum.

Exprimenda est etiam qualitas beneficii ante obtenti.

Exponi debet an sit beneficium ecclesiae cathedralis.

Exprimendus etiam valor seu quantitas reddituum beneficii; et modus quo beneficium creat.

Exprimi debet si jus ad vel in beneficio quod per rescriptum impetratur competat alteri.

Exprimendum est etsi alius sit tantum in possessione colorata imo si solum sit detentor beneficii per aliquod tempus, nisi aperte sit injustus.

Denique facienda mentio rescripti primi ab alio impetrati super beneficio.

Digitized by Google

Motu proprio tunc dicitur concedi gratia quando ejus concessionem vel non praecessit impetrantis petitio, vel si praecessit, concedens tamen ad concessionem *faciendam* non est motus petitione sed potius proprii animi motu et libertate.

Ad instantiam concessa censetur gratia quando ad ejus concessionem princeps inductus est impetrantis pro ea precibus ac petitione.

Clausulae quae vel addi rescriptis vel subintelligi solent, sunt quatuor: *si preces veritate nitantur: salvo jure alterius: si is cui datur beneficium ecclesiasticum, dignus sit: non obstantibus quibuscumque privilegiis, sub quacumque verborum forma concessis.*

Rescripta vitiari vel suspecta reddi possunt, 1. si emanarunt contra jus comune non addita clausula derogatoria ejusdem: 2. si emanarunt contra consuetudinem legitime praescriptam et stylum curiae et speciali clausula non sint munita: 3. si cedatur jus quaesitum alicui tertio et rescriptum de eo mentionem non faciat: 4. si per aliquod rescriptum justitiae uni vel pluribus certis judicibus committerentur omnia negotia tam praesentia quam futura: 5. si in rescripto justitiae delegaretur judex incertus ad arbitrium impetrantis eligendus, non addita clausula *ex certa scientia*: 6. si in rescripto committatur aut mandetur aliquid insolitum: 7. si rescriptum contineat manifestum aut inexcusabile peccatum vel errorem in latinitate, stylo curiae, vel camerae apostolicae recepta: 8. si contineat rasuram, lituram, vel cancellationem in loco suspecto seu parte rescripto substantiali: 9. si careat debita forma aut solemnitate: 10. denique praecipue vitiantur rescripta per ob et subreptionem.

Etsi obreptio saepe cum subreptione confundatur, proprie tamen diversum quid sonant, nam

Obreptio proprie committitur per narrationem et expressionem falsi; *subreptio* per reticentiam sive suppressionem veri.

Quocumque modo ex istis vitietur rescriptum non prodest impetrantibus: discrimen solum faciendum est inter rescripta gratiae et justitiae; nam prima sunt irrita ipso jure, secunda ordinarie irritanda ope exceptionis.

Expressio falsi et suppressio veri debet esse de re tali, quae ad negotium de quo datur rescriptum per se seu intrinsece pertineat.

Si rescriptum sit ob vel subreptione impetratum fraude vel dolo, illud vitiatur totum seu quoad omnes partes si illae tendant ad unum eundemque finem.

Si ob vel subreptio per simplicitatem aut ignorantiam contingit, videndum hoc casu an suppressa veritas aut expressa falsitas ta-

lis sit, ut ea cognita pontifex negaturus fuisset rescriptum, vel talis ut adhuc illud fuisset concessurus quamvis non in ea forma qua illud concessit. Si primum ob vel subreptio vitiat rescriptum : si secundum, rescriptum justitiae non vitiatur, utique vero rescriptum gratiae.

In quaestione an vitiata una parte rescripti per ob vel subreptionem vitientur etiam aliae partes, distinguendum est : vel enim partes ceterae connexae sunt cum parte quae ob vel subreptionem continet, vel non ; si primum omne rescriptum corruit, si secundum, partes ceterae non vitiantur, quia utile per inutile non vitiatur.

Probabiliter subsistit rescriptum in quo ex duabus causis simul et copulative allegatis una vera, altera falsa est, dummodo causa quae vere allegata est ad gratiam quae rescripto concessa est impetrandam, de jure vel stylo curiae sufficiat, et altera quae falso est allegata non sit de substantia rescripti et causa finalis unica.

In errore adjectae qualitatis distinguendum est an qualitas talis adjecta sit per modum taxationis vel per modum demonstrationis tantum ; si primum vitiatur rescriptum, si secundum nequaquam.

In rescripto vel praefixum est tempus praesentationis vel non. Si primum intra illud tempus necessario praesentandum est, si secundum, distinguendum est inter rescripta gratiae et justitiae. Prima, quocumque tempore praesentari possunt ; de secundis iterum distinguendum est, an unicum super eadem causa impetratum rescriptum sit an vero duo: si unum eo utendi facultas durat tamdiu, quamdiu durat jus agendi vel excipiendi super quo impetratum est ; si duo et is qui impetravit primum, eo, cum posset, intra annum per malitiam vel negligentiam non fuit usus, rescriptum primum evanescit, et convalescit secundum.

Effectus rescriptorum valide impetratorum et legitimo tempore praesentatorum duplex est, specialis et generalis.

Effectus specialis varius est pro varietate clausolarum illis insertarum.

Effectus generalis est quod in negotiis et inter personas in quibus et inter quas rescriptum conceditur jus statuant.

Datae tempus dicitur quo literae apostolicae sunt expeditae in curia romana ; *praesentatae* quo eaedem praesentantur delegato seu executori illarum.

Delegatis seu executoribus in rescriptis justitiae aliquando attendendum est tempus *datae*, aliquando *praesentatae*, aliquando aliud.

Datae tempus inspiciendum est si quaeratur an valide impetratum sit rescriptum et quando dubitatur ad quas causas et actiones se illud extendat.

Praesentatae vero si quaeratur, quando judex in rescripto delegatus jurisdictionem accipiat, et num acta judicis delegati per rescriptum revocati, sint valida.
Tempus citationis factae spectari debet si quaeratur an jurisdictio per rescriptum data, morte rescribentis sit extincta.
Regulariter inspiciendum est tempus datae si quaeritur quale tempus attendendum sit in literis gratiae, quibus papa alicui providet de beneficio.
Rescripta justitiae regulariter interpretari debent secundum propriam significationem verborum, et secundum jus comune ac stricte, ita ut quam minimum afferant praejudicium.
Etiam rescripta ad beneficia stricte interpretari debent.
Dispensationes interpretationem strictam patiuntur.
Potestas dispensandi late interpretanda.
Si rescripta causae cognitionem et jurisdictionem ecclesiasticam externam exposcant, executio rescripti a sede apostolica et hujus legatis jure comuni committi debet personis dignitatem ecclesiasticam vel personatum obtinentibus, vel canonicis ecclesiarum cathedralium.
Si rescriptorum executio commissa sit personis sub nomine dignitatis et non personae, transit ad successores.
Commissio facta vicario generali, illo mortuo vel amoto, non devolvitur ad episcopum, sed ubique ad ejus successorem in officio.
Cum certum sit vicarium capituli sede vacante a curia non haberi omnino eodem loco quo habetur vicarius episcopi sede plena, stylo curiae conformior est opinio distinguentium inter litteras et commissiones, quarum executio ex juris dispositione vel stylo curiae solis episcopis et eorum vicariis committitur, et inter illas quae aliis quoque in dignitate constitutis et a parte nominatis committi solent; harum executionem a vicario episcopi ad vicarium capituli transire concedunt, non vero illarum.
In facienda executione rescriptorum distinguendum est; vel enim in rescripto pro ea assignatum est certum tempus intra quod fieri debeat, vel nullum; si primum, judex delegatus vel alius executor intra terminum sibi praefixum tractare negotium vel cognoscere de causa debet; si secundum, videndum an illum sit rescriptum justitiae vel gratiae; si rescriptum justitiae est, potestas ei delegata nullius certi temporis lapsu extinguitur; si gratiae, Ordinarius ad quem directae sunt literae intra 30 dies a literarum praesentatione numerandos, collationem facere et provisum mittere in possessionem debet, nisi obstet legitimum impedimentum.

Si quaeratur quodnam rescriptum praeferendum et executioni mandandum sit, quando super una eademque causa duo vel plura rescripta sunt impetrata, distinguendum est an utrumque sit speciale vel generale, vel unum generale alterum speciale.

Si primum distinguendum est; nam si posterius mentionem fecerit prioris sibi contrarii, isti derogatum censebitur per posterius; si mentionem non fecerit praevalebit prius, et secundum, si sit rescriptum gratiae, ob subreptionem erit ipso jure nullum; si vero rescriptum justitiae, per exceptionem repelli poterit, si intra annum, haec opponatur; nam si post convalescit posterius et evanescit prius.

Si secundum, videndum an unum ex illis sit magis speciale, an neutrum. Si unum est magis speciale, illud praevalebit; si vero neutrum sit magis speciale quam alterum, prius impetratum praevalebit posteriori.

Si tertium contingat et unum sit generale alterum speciale, speciale derogat generali, quantum ad ea quae in speciali specialiter et contraria contentis in generali exprimuntur, vel in generali non exprimuntur licet prioris mentionem non faciat.

Excipitur nisi per rescriptum vel privilegium generale jam sit quaesitum alicui jus in re.

Quodnam valeat ex pluribus rescriptis impetratis ad beneficia distinguendum est: vel enim ad unum idemque beneficium rescriptum est impetratum vel ad diversa vacantia vel vacatura.

Si prius videndum an hujusmodi rescripta inter se consentiant an vero inter se pugnent: si inter se consentiant vel ambo, omnia valent, quia tunc in effectu sunt et reputantur rescriptum unicum: si vero inter se pugnent, attendendum an simul sint impetrata an successive; si simul, utrumque suspectum erit, si successive, speciale derogabit generali, et posterius speciale speciali priori.

Si secundum, major controversia est; quidam enim tenent in optione impetrantis esse, quonam corum uti velit, quidam probabilius contrarium tenent.

Rescripta gratiae, mortuo rescribente, non semper executioni mandari possunt: vel enim papa per rescriptum concessit episcopo facultatem providendi de beneficio certae personae, vel generaliter concessit ut posset conferre beneficia aliquibus personis in certa ecclesia.

Si primum et res adhuc sit integra, morte mandantis potestas data extinguitur.

Si secundum, potestas non expirat per obitum concedentis quamvis res adhuc sit integra.

Schmalzgrueber Tom. XII. 11

Digitized by Google

Consuetudo est jus quoddam moribus constitutum quod pro lege suscipitur ubi deficit lex.
Dividitur in *canonicam*, *civilem*, *generalissimam*, *generalem*, *specialem*, *secundum legem*, *praeter legem*, *contra legem*.
Canonica est quae vel clericorum dumtaxat usu est introducta, vel si etiam a laicis, circa materiam spiritualem versatur.
Civilis quae a laicorum usu dimanat et circa materiam temporalem propriam laicorum versatur.
Generalissima quae extenditur per orbem universum.
Generalis quae observatur in imperio vel provincia.
Specialis quae viget in una civitate vel oppido.
Secundum legem, quae legem iam conditam diuturno usu confirmat.
Praeter legem quae inducit jus novum et praecipit vel prohibet aliquid de quo nulla lex fuit.
Contra legem, qua introducitur oppositum legis.
Persona privata non potest inducere consuetudinem quae vim legis habeat.
Potest induci a comunitate perfecta.
Ut consuetudo sit juris, quatuor conditiones requiruntur; ut sit rationabilis; ut duraverit tempore requisito; ut intercesserit requisita actuum frequentia et horum qualitas; ut adsit consensus legislatoris.
Potest rationabilis esse consuetudo etiam contra legem
Si legi non adversetur sed secundum vel praeter eam sit, clarum est bono comuni expedire illius observationem. At si legi adversetur, certa regula non potest statui sed judicis prudentis arbitrio est relinquendum.
Si dubium intercedat an consuetudo sit rationabilis et bono comuni expediens, videndum an consuetudo talis sit legi contraria vel non: si secundum, in dubio standum est pro consuetudine jam introducta, si primum standum pro lege est.
Ad consuetudinem inducendum sufficit decennium etiam adversus legem ecclesiasticam, etiamsi absens sit legislator; sed tempus debet esse continuum.
De frequentia actuum ad inducendam consuetudinem habili, probabilior sententia relinquit Judici judicium.
Ut actus sufficiant ad stabiliendam consuetudinem
Exerceri debent a comunitate tota vel majore illius parte.
Haec major pars debet esse ex personis habilibus et capacibus legis.
Actus isti debent exerceri uniformiter, libere et sine metu.
Non debent procedere ex errore vel ignorantia.

Debent esse publici et notorii. Frequentari debent animo introducendi obligationem.

Requiritur consensus legislatoris juridicus.

Consuetudinis praeter jus effectus est obligatio, quae induci potest per actus etiam extrajudiciales.

Consuetudo unius civitatis vel provinciae non potest obligare aliam.

Potest induci consuetudo quae ad poenam obliget, non vero ad culpam.

Alter effectus praecipuus consuetudinis est abrogatio legis praeexistentis, etiam ecclesiasticae, manente obligatione ad culpam vel contra.

Per consuetudinem abrogari potest etiam lex prohibens aliam consuetudinem; et infirmans vel irritans certos actus.

Ad hujusmodi consuetudinem non requiritur bona fides.

Tertius effectus est vis interpretandi legem, quod authentice facere consuetudo potest si sit legitime praescripta.

Vis interpretandi modo asserta, est admodum ampla et secundum illam regulandi sunt contractus; secundum consuetudinem introductam regulandum est judicium tam internum quam externum; et haec vis interpretandi legem in consuetudine se extendit etiam ad jus divinum, non quidem quasi illa aliquid huic addere vel minuere illud possit, sed solum indicando mentem legislatoris.

Quartus effectus est irritatio actus alias de jure validi.

In consuetudine irritante matrimonia, sufficit solum consuetudo laicorum.

Etsi veteres jurisconsulti teneant, consuetudine immemoriali acquiri posse omnia illa quae privilegio et indulto principis acquiri possunt, attamen regula duplici limitatione indiget.

Si lapsus temporis immemorialis cadat in personam alias jure inhabilem, et concurrat cum tempore immemoriali fama seu existimatio constans et publica privilegii apostolici aliquando obtenti, hoc casu possessori nullum jus adjungitur, cum lapsus temporis immemorialis etiam cum fama privilegii habilitare personam ad veram et legitimam possessionem nequeat: si tamen utrumque scilicet fama privilegii et temporis immemorialis possessio legitime probetur, vel aliunde de iisdem constet, fundabunt praesumptionem privilegii, ut continuari exercitium juris actenus possessi possit, donec probetur contrarium.

Consuetudo ab allegante plene probari debet.

Assertio unius doctoris excellentis in foro externo praesumptive eamdem probat, non concludenter.

Unicus textis in consuetudine ne quidem probationem semiplenam facit.

Digitized by Google

Per legem consuetudo abrogari potest, et etiam per consuetudinem aliam oppositam.

Postulatio est capituli vel collegii concors et ad superiorem destinata petitio ut ad praelaturam ecclesiasticam dispensative velit admittere personam aliquam quae propter defectum sive impedimentum cononicum non potest eligi.

In multis ab electione differt.

Postulatio est duplex; solemnis et non solemnis.

Solemnis est quando postulatur quis ab eo superiore, qui potest super omni impedimento postulati dispensare.

Non solemnis seu simplex quando quis postulatus ab eo qui non potest dispensare super impedimento, requiritur tamen ejus consensus ad promotionem sic postulati propter peculiare interesse vel jus quod in illa habet.

Postquam postulatio solemnis admissa est a superiore, vim habet electionis confirmatae, ita ut postulatus omne jus consequatur perinde ac si fuisset electus et confirmatus.

Ante admissionem, postulatio nullum jus tribuit postulato.

Postulatio non solemnis facit ut, secuta admissione seu data licentia a superiore, postulatus possit eligi si antequam eligeretur postulatus fuit; vel si post electionem est postulatus, ut possit confirmari

Postulatio est introducta in subsidium electionis, ut siqui per ss. canones prohibentur eligi, saltem adminiculo postulationis per viam gratiae et dispensative ad praelaturam vel aliam dignitatem ecclesiasticam admitti possint.

Causa duplex est postulationis faciendae, nempe ecclesiae viduatae necessitas vel ejusdem utilitas. Necessitas si nullus in capitulo vel collegio sit cui vacans praelatura tuto committi possit: utilitas si postulati pietas, doctrina, prudentia et aliae praeclarae dotes suadeant praelaturae praefici.

Generaliter loquendo ad praelaturas ecclesiasticas illi solum postulari possunt solemniter, qui ob impedimentum canonicum non possunt eligi.

Hoc impedimentum debet esse tale in quo superior dispensare possit et soleat.

An episcopus ad alium episcopatum possit eligi an debeat postulari distinguendum est: vel enim est electus tantum vel etiam confirmatus aut consecratus.

Si primum, eligi adhuc ad illam ecclesiam potest.

Si secundum, iterum distinguendum est an talis episcopus confirmatus vel consecratus sit titularis solum, an vero dioecesin et

ecclesiam actu habeat quam per se vel per vicarium suum gubernat.

De posterioribus certum est eos ut ad aliam cathedralem ecclesiam assumi possint postulari debere.

De prioribus dicendum ejusmodi episcopos titulares, nisi breve seu indultum eligibilitatis a sede apostolica habeant non posse eligi, sed debere postulari ad aliam ecclesiam.

An S. R. E. cardinales ad episcopatum eligi possint vel postulari debeant, doctores varie disputant: sed melius adhibetur distinctio; vel enim agitur de cardinale episcopo vel de cardinale praesbytero, aut diacono.

Si primum, postnlari solemniter debet.

Si secundum postulari debet, sed non solemniter.

Certum est praelatos episcopo inferiores ad episcopatus aliasque praelaturas non debere postulari solemniter, sed via electionis ad eas promoveri posse, modo consensus superioris accedat.

Etsi decens et conveniens sit ut ex gremio, si idoneus habeatur aliquis, assumatur ad praelaturam, non tamen electores prohibentur quominus assumere via electionis non possint extraneum, modo is impedimentum canonicum aliunde non habeat.

Postulare possunt qui possunt eligere.

Postulatio simplex fieri debet ab eo superiore cui postulatus immediate subest.

Postulatio solemnis institui debet ad eum ad quem spectat praelati, si electus fuisset, confirmatio, modo ille super impedimento quod postulatus habet, dispensare possit.

Casu quo postulatio vel omnium vel duarum saltem capituli partium suffragiis ob necessitatem vel utilitatem ecclesiae facta est, superior ad eam admittendam tenetur ex debito officii non tamen ex obligatione justitiae stricte sumptae.

Postulantes aliquem qui ob vitium vel defectum indispensabilem postulari nequit, vel fecerunt id scienter, vel non scienter quidem sed temere.

Si primum, pro ea vice ipso jure et facto privati sunt potestate postulandi et eligendi.

Si secundum, eandem poenam incurrunt casu, quo postulationem ejusmodi a superiore cassatam et reprobatam renovant aut repetunt.

Poenae postulantium ad cathedralem ecclesiam aliquem qui 27 aetatis annum nondum attigit, vel religiosum mendicantem ad ecclesiam saecularem cathedrali inferiorem et ad quodcumque monasterium extra suum ordinem sunt sequentes

Digitized by Google

1.° Quod ita postulatum est, attentatum, irritum, ac nullius penitus est momenti.
2.° Qui scienter ad ejusmodi postulationem processerint, ea vice postulandi ac eligendi potestate privati, ac beneficiis quae in ipsa obtinebunt ecclesia ad quam postulationem hujusmodi fecerint per trennium suspenduntur.
3.° Postulati vero qui postulationis de facto negotium fuerint in curia romana prosecuti, si se annum 27 non attigisse sciverint, usque ad annum 35, ceteri vero seculares et regulares extra suorum ordinum administrationes ineligibiles et impostulabiles ac prorsus inhabiles ad quascumque dignitates ecclesiasticas et beneficia quaelibet obtinenda decernuntur.

Certum est de postulatione non solemni eadem forma hanc fieri posse et debere qua ipsa electio, et probabilius etiam in postulatione solemni.

Eadem persona simul eligi et postulari non potest.

Si postulatio concurrit cum postulatione, sufficit si postulatio facta sit a majore parte capituli.

Si postulatio concurrat cum electione, quod una pars capitularium postulet Titium aliquo impedimento laborantem, altera Cajum eligat, hoc casu ut postulatio unius, alterius electioni praevaleat, requiritur ut in postulandum consentiant duae partes; alias si hic duas partes non habeat, eligendus autem pro se habeat plus quam tertiam, praevalebit postulationi electio.

Casu quo electio in concursu cum postulatione pro se habeat plusquam unam tertiam suffragiorum partem, electo (secundum probabiliorem opinionem) quaeritur jus ad praelaturam, ita ut a superiore, posito quod idoneus sit, necessario confirmari debeat.

Si postulatio jam praesentata est superiori, postulantes sine ejus consensu non possunt ab illa recedere, et alium eligere vel postulare.

Si nondum eidem est praesentata, possunt postulantes variare et resilire a postulatione, etsi scrutinium apertum sit.

Electio stricte ac proprie dicta definiri solet quod sit personae idoneae ad ecclesiae vacantis dignitatem pastoralem per vota capitularium et aliorum, quibus jus eligendi competit, canonice facta vocatio.

Distinguitur a libera collatione, a presentatione, a nominatione, a postulatione.

Jus eligendi et postulandi episcopos vel praelatos non fuit penes eosdem quocumque tempore.

In primitiva ecclesia Apostoli plerique, accepta a Christo potestate, successores sibi constituerunt.

Ipsis sublatis, episcopatuum collatio libera aliquandiu fuit penes summos pontifices.

Successu temporis clero cujusvis dioecesis permissum fuit, ut sibi pastorem deligerent plerumque a populo nominatum vel praesentatum.

Aucto denique clericorum numero, jus eligendi concessum fuit capitulo cujusque ecclesiae.

Porro in plerisque provinciis et regnis ob varias causas sublatum capitulo jus istud et vel summo pontifici vel regibus et principibus supremis hujus speciali indulto reservata fuit potestas nominandi episcopos et praelatos.

Jus istud etiam a laicis acquiri posse certum est.

Per consuetudinem vel praescriptionem laicis competere non potest hujusmodi jus eligendi.

Etiam clericis qui non sunt de capitulo vel corpore ecclesiae competere potest jus eligendi, nempe privilegio summi pontificis, fundatione, consuetudine, pacto.

Jus eligendi episcopum vel praelatum habent tantum illi qui ut fratres seu membra faciunt unum corpus ecclesiasticum seu collegium.

Generaliter tres faciunt collegium, sed aliquibus casibus etiam duo personae.

Omnes canonici jus eligendi habent nisi lege excipiantur.

Dubitant aliqui an potestas eligendi competat non solum ei qui habet jus et proprietatem ac quasi dominium beneficii sed etiam ei qui est in possessione ejusdem, et distinguunt: vel enim ille beneficium et canonicatum ejusmodi, cui de jure vel consuetudine annexum est jus eligendi, possidet mala vel bona fide. Si mala, jus eligendi ratione talis possessionis eidem non competit: si bona fide canonicatum possidet, jus eligendi eidem competit et votum quod in tali electione dat, validum est et tale manet; nec quidem obstat etiam lis contestata super illo jure.

Non semper nec omnes qui sacro ordine sunt initiati et alias ad eligendum non sunt facti inhabiles ad electionem admitti debent.

Si nullus canonicus vel religiosus in sacris constitutus reperiatur, superior, ecclesiae vacanti de praelato et capite providere non potest, sed exspectare ut illi capaces ordinis fiant et istum suscipiant.

Non omnes excomunicati privantur voce activa.

Non omnis irregularitas privat jure eligendi.

In eligendo ad episcopatum requiritur aetatatis maturitas, gravitas morum et litterarum scientia.

Digitized by Google

Aliqui arceantur a praelaturis et dignitatibus ecclesiasticis ob impedimentum naturae, alii ob crimen seu defectum morum, alii ob aliud impedimentum canonicum, alii denique ratione censurae et aliarum poenarum ecclesiasticarum.

Electio indigni non est valida, et cum eligentes pro illa vice privantur jure eligendi, quod proin vel ad ceteros innocentes vel ad superiorem devolvitur.

Vocandi ad electionem sunt omnes non tantum in loco praesentes sed etiam absentes qui interesse debent, volunt, et commode possunt.

Si non vocata et contempta est plusquam tertia pars eorum qui electioni interesse debuissent potuissent et voluissent, electio ipso jure est nulla; si pauciores contempti sint, electio ab aliis facta de jure est valida si in electum convenerit major pars omnium suffragii jus habentium.

Contempti possunt illatam sibi injuriam prosequi et a superiore petere ut electio rescindatur.

Circa distantiam absentium, cujusque ecclesiae consuetudo sequenda est ob vocationem.

Capitularis si abest a loco electionis propter ecclesiae aut praelaturae utilitatem, expensae profectionis eidem praestari debent, si vero pro suae voluntatis arbitrio, nequaquam, seclusa tamen contraria consuetudine.

Ordinarie et regulariter non possunt electores procuratorem constituere, qui suo nomine et loco eligant, sed id permissum solummodo est iis qui justo impedimento prohibiti sunt ad electionem venire, nec omnibus sed illis dumtaxat qui sunt absentes in loco ex quo possint et debeant vocari ad electionem.

Procurator ab electore absente et legitime impedito constitutus debet esse de collegio eorum qui eligere debent; possunt tamen capitulares, si velint, etiam extraneum procuratorem admittere modo alias idoneus sit.

Constitui possunt ab ita impedito electore procuratores unus vel plures, ita tamen ut quando plures constituuntur, electionis potestas singulis committatur in solidum, sive ita ut unus sine altero eligere possit.

Hujusmodi procurator jurare debet in animam sui principalis quod is impeditus venire non possit, expressa causa impedimenti.

Si unus tantum procurator isque e capitulo constitutus sit ad eligendum simpliciter, duo quidem dare suffragia potest, unum suo alterum principalis sui nomine, non tamen potest alium suo, alium nomine principalis eligere.

Si procurator constitutus habeat mandatum speciale a domino de certa persona eligenda, illam de qua expressum mandatum habet eligere debet nomine procuratorio, suo autem nomine alium eligere licite poterit.

Procurator constitutus cum mandato generali potest etiam compromittere.

Procurator constitutus ad certam personam, vices suas subdelegare alteri poterit.

Casu quo nemo e capitulo velit suscipere mandatum procuratorium eligendi pro absente et impedito accedere ad electionem, capitulum non tenetur consentire ut constituatur procurator extraneus.

Tali casu elector absens non potest suffragium suum mittere nec dare per litteras

Excipitur 1.° si forma scrutinii in aliqua electione non sit accurate servanda 2. si per fraudem vel conjurationem nemo e collegio velit loco absentis et impediti partes procuratoris suscipere

Electio fieri debet ab electoribus in uno loco simul congregatis.

Electio episcopi, si fieri potest, peragi debet in ecclesia viduata.

Si extra propriam ecclesiam fiat in loco alieno, multum interest an fiat ex causa rationabili, an vero justa causa non intercedente. Si primum, electio sic facta valida quidem est, sed tamen per sententiam irritari poterit, quippe facta contra praescriptum ss. canonum.

Si urgens necessitas id petat, sufficit quod major pars capitularium conveniat.

Si fiat ad majorem comoditatem, convenire debent duae partes capitularium.

Electio celebrari potest etiam in ecclesia interdicta.

De electionibus factis in locis occultis, distinguendum est

1.° Clam tantum coram extraneis, si celebretur in loco occulto, a capitularibus tamen legitime congregatis, valet.

2.° Clam coram majore parte capitularium, si ad eam celebrandam conveniunt privato conventiculo, vel aliqui tantum, vel minor pars capitularium, vel saltem ad constituendam capitularem potentiam non sufficiens, ceteris nec monitis nec vocatis, non valet.

3.° Irrita est si omissa sit scrutinii publicatio, aut quae hunc sequi debet.

4.° Si rite quidem sit facta, sed ita secreta habetur a capitularibus, ut clero et populo solemniter non publicetur, tamen est valida.

Digitized by Google

Electio celebrari non debet ante defuncti praelati sepulturam, et tertium dispositionis diem.
Post sepulturam praelati et tertium dispositionis diem, deligere sibi capitulares tempus quodcumque possunt usque ad terminum a jure praefixum
Non obstat si dies ad electionem statutus sit feriatus.
De nocte facta electio, etsi jure ipso non sit irrita, rescindi tamen potest per sententiam judicis, ob suspicionem fraudis et aliis de causis.
In ecclesiis cathedralibus et regularibus, electio differri non debet ultra tres menses; in aliis praelaturis, dignitatibus, et beneficiis non ultra sex.
Tempus incipit currere a die notitiae habitae de vacatione si ibi impedimentum non sit; alias a die remoti impedimenti.
Hoc tempus justis de causis abbreviari potest.
Capitulares non eligentes per moram culpabilem praelatum intra tempus jure praefixum, privantur pro illa vice jure eligendi, et ad superiorem devolvitur.
In aliquibus ecclesiis praemitti solet ab electoribus tractatus praevius; sed non est necessarius.
Vivente praelato, capitulares non possunt collegialiter tractare de electione successoris etc.
Tractatus quo a capitularibus congregatis super quibusdam articulis ab episcopo vel alio praelato eligendo observandis ante electionem convenitur, valet si ecclesiae nullum praejudicium afferat, alias non.
Capitulum sede vacante potest statuta condere, non tamen talia quae praejudicium successori afferant.
Cavere capitulum potest ne aliquid a praelato contra utilitatem ecclesiae attentetur.
Conventiones et pacta etiam episcopum ligant.
Juramentum non solum capitulationes supra dictas non firmat, sed nec obligationem religionis inducit.
Duplex est electionis forma, per inspirationem divinam, per scrutinium et per compromissum.
Vera inspiratio tunc datur quando persona ecclesiae praeficienda per veram Dei revelationem designatur.
Quasi inspiratio dari censetur, quando nullo praecedente tractatu de certa persona eligenda, electores in loco solito congregati unanimiter omnes simul in unum absque contradictione, vel haesitatione statim consentiunt et conclamant.
Forma scrutinii hos partiales actus continet.

1. Ipsum scrutinium seu secretam suffragiorum per scrutatores a capitulo electos collectionem.
2. Scrutinii pubblicationem.
3. Suffragiorum collationem.
4. Decretum capitularis seu communis electionis, ejusque promulgationem.

Praecedere solent.

1. Preces pubblicae et privatae per civit. et dioec.
2. Missa de Spiritu Sancto in ipsa die electionis.
3. Hymnus *Veni Sancte Spiritus.*
4. Protestatio quae interponitur a capituli praeside nomine totius capituli de non excludenda persona quae habilis, aut admittenda quae ad suffragium in electione ferendum ex quacumque causa inhabilis sit
5. Absolutio qua electores omnes ab excommunicatione, aliisque censuris in ordine ad effectum electionis canonicae absolvuntur a legato apostolico, vel alio quodam praesente et praedito tali potestate.

Constituuntur postea scrutatores, qui debent esse tres si paucitas electorum non obstet.

Debent eligi ab electoribus collegialiter convenientibus, et legitime congregatis.

Debent esse de collegio etsi assumi possint etiam extranei, modo sint clerici.

Debent esse viri fide digni.

Non debent esse formidabiles.

Scrutatores electi, post juramentum receptum, procedere debent ad scrutinum.

Hoc rite factum censebitur si fiat ordinate, secreto, et diligenter.

Sequi inde debet publicatio suffragiorum in continenti.

Post publicationem scrutinii, electores statim tenentur procedere ad collationem votorum, ut appareat quis a majore et saniore parte capitularium electus sit.

Electio est 1.° *numeri ad numerum* ut appareat quot quisque suffragia habeat.

2.° Zeli ad zelum, considerando ipsorum electorum prudentiam, probitatem etc.

3.° Meriti ad meritum, considerando scientiam, prudentiam etc.

In aliquibus casibus sola collatio numeri ad numerum sufficit, ut in electione summi pontificis, abbatissarum, regularium, et quoties duae partes capitularium in unum consentiunt.

Facta collatione si vota ita reperiantur dispersa ut vel duo aequalem numerum suffragiorum habeant vel nullus a majore et saniore capituli parte electus sit, scrutinio illo cassato, ad novum est procedendum.

Si appareat quod vel omnes vel major et sanior pars in unum, cumque dignum consenserit, mox decretum electionis formari debet et publice promulgari.

Haec omnia substantialia sunt formae electionis per scrutinium.

Electio per compromissum tunc fieri dicitur, quando ii, quibus jus eligendi competit, comuni consensu facultatem eligendi praelatum committunt aliis viris idoneis.

Consensus in hoc debet esse expressus et unanimis.

Compromissarii debent esse clerici.

Compromissum fieri potest absolute et limitate.

Absolute fit compromissum quando potestas eligendi compromissariis ita committitur ut quemcumque pro arbitrio suo eligere vel postulare possint.

Limitate fit quaudo potestas eligendi compromissariis datur cum restrictione.

Compromissum ita factum ut compromissarii teneantur exquirere vota singulorum capitularium, et eum quem a majore solum respective capitularium parte nominatum compererint eligere, non valet.

Major pars compromissariorum in electum consentire debet, ut electio valeat.

Compromissarii quibus data est eligendi potestas cum ea limitatione, ut in hoc negotio certarum personarum consilium requirant, tenentur in tractatu electionis requirere consilium illarum personarum et congruo tempore exspectare responsum.

Compromissariis quibus simpliciter potestas eligendi data est, etiam potestas postulandi data censetur.

Compromissarii possunt eligere aliquem ex seipsis, et electus in seipsum consentiens potest electionem complere.

Si compromissarius unus sit, non potest seipsum eligere.

In compromisso non requiritur communis electio, qua unus ex compromissariis electum a se et ceteris promulgat, sicut dictum est de scrutinio.

Si compromissarii observarunt formam compromissi, et idoneum elegerunt, compromittentes necessario debent illum recipere.

Tribus maxime modis compromissum exspirat.

1. Si revocetur a compromitteutibus et res adhuc sit integra.

2. Si lapsum sit tempus compromissariis ad clectionem faciendam destinatum, vel conditio adjecta deficiat.

3. Si electio vel postulatio ab ipsis facta, ob quamcumque causam non sit effectum sortita.

Si compromissarii vel indignum eligant, vel non eligant intra tempus a jure praefixum, potestatem eligendi devolvitur in primo casu ad compromittentes, in secundo ad superiorem proximum.

Compromissarii eligentes scienter indignum, a beneficiis ecclesiasticis per triennium ipso jure suspensi sunt.

Poena haec intelligi debet de beneficiis, quae elector sic delinquens habet in ea ecclesia, quam scienter eligendo indignum specialiter offendit.

Episcopus non incurrit poenam hujus suspensionis:

Nec qui eligunt ad praelaturas et beneficia inferiora.

Electiones debent esse liberae et non gravi metu extortae.

Qui spoliando aut aliter injuste persequendo gravant directe vel indirecte electores recusantes eligere certam personam ad petitionem eorumdem, ipso facto excommunicationem incurrunt.

In graves poenas incurrunt etiam qui celebrant electionem per abusum saecularis potestatis.

Electio episcopi vel praelati censetur fieri per abusum saecularis potestatis quando laici unus vel plures immiscent se electioni, impediendo quomodocumque libertatem clericorum ad quos spectat electio.

Postquam electio canonice facta et celebrata est, electores quamprimum comode poterunt electo ipsam electionem praesentare debent, ejusque consensum petere.

Si ultra octo dies electionem electo intimare culpabiliter distulerunt, a prosecutione electionis quoad suas personas penitus ipso jure sunt exclusi, et ab omnibus beneficiis suis quae in illa ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium continuum eo ipso suspensi.

Electus praesentatam sibi electionem accipere vel recusare potest, vel etiam postquam acceptavit, eidem renuntiare ante confirmationem factam, etiam sine superioris consensu.

Si electus vult acceptare electionem, debet id facere intra mensem a die praesentatae sibi electionis, vel quo illa aliter in notitiam ejusdem pervenit: alias si justo impedimento cessante ultra illud tempus consensum distulerit, eo ipso omni jure per electionem sibi quaesito excidit.

Si religiosus vel alia similis persona quae sine licentia consentire nequit, electa sit, tunc electus, vel potius, ut ambitionis no-

ta evitetur, electores intra tempus, quod spectatis circumstantiis, et boni viri arbitrio sufficit, petere et impetrare licentiam debent.

Hac impetrata, electus mensem habet ad deliberandum de acceptatione.

Accepta electione, solemniter in episcopali cathedra inthronizari solet.

Electo per electionem sibi praesentatam et acceptatam acquiritur jus ad rem.

Episcopus et praelatus electus per majora suffragia capitularium in locis respectu pontificis valde remotis, etiam ante impetratam confirmationem, administrare res et jura ecclesiae potest; alias non.

Electo ad petendam confirmationem electionis datur trimestre a die praestiti consensus.

Elapso hoc tempore, legitimo impedimento cessante, ad aliam electionem a capitulo procedi potest.

Peti ordinarie confirmatio debet a proximo superiore, cui ecclesia seu dignitas electiva subest.

Si electus coelectum aut alium suae electionis adversarium habeat unum vel plures, ii ante confirmationem nominatim vocandi sunt ad causam suam agendam.

Si electio fuit concors neque aliquis se electioni opponat, affigendum tamen est edictum generale ad valvas ecclesiae in qua electio celebrata est, et per illud contradictores, si qui sint, peremptorie vocandi ut statuto tempore et loco confirmationis faciendae veniant, causas, impugnandae electionis et impediendae confirmationis, dicturi.

Superior antequam confirmet electum, etiamsi nullus contradictor adsit, ex officio instituere debet examen sive inquisitionem duplicem, unam de electionis processu, alteram de electi idoneitate.

Si ipse invenerit vel non observatam formam electionis, vel electum esse indignum, illa cassanda, iste repellendus est.

Confirmatio dat plenum jus in praelatura, scilicet jus in re.

Conjugium spirituale inter praelatum et ecclesiam, confirmatione fit ratum.

Per confirmationem electus acquirit jus petendi investituram.

Per eamdem acquirit etiam plenam admiuistrationem et exercitium omnium praelaturae jurium tam spiritualium quam temporalium.

Post confirmationem electus dici jam potest episcopus.

Si post confirmationem electus praelatura cedat aut decedat, illa non

jam amplius vacare intelligitur per renunciationem vel mortem antecessoris, sed ipsius confirmati.

Si in electione intercesserit defectus alicujus qualitatis aut rei quae jure divino vel naturali ad substantiam electionis requiratur, confirmatio non habet vim sanandi defectum electionis invalidae.

Si vero defectus est alicujus rei aut qualitatis, quae solum requiritur jure humano, utique confirmatio pontificis supplet defectum.

Confirmationem sequitur consecratio, quae ultra tres menses a die confirmationis acceptae, cessante legitimo impedimento, differri non debet.

Sedi apostolicae reservata est potestas consecrandi, ita ut sine sedis istius speciali mandato per inferiores episcopos consecrari non possint, nisi aliud consuetudine receptum sit.

Jure comuni episcopus a tribus episcopis consecrandus est.

Ex dispensatione pontificia consecratio episcopalis potest peragi ab episcopo unico.

Forma consecrationis praescribitur can. *Episcopus* 7. dist. 23. can. *Ordinationes* 1. dist. 75. c. unic. de sacr. unct.

Decens esset ut episcopus consecraretur in ecclesia cathedrali ad quam est promotus; si tamen hoc comode fieri nequit, consecrari potest etiam in alia ecclesia.

Ex antiquissima traditione, episcopi, et archiepiscopi die dominica consecrari debent et quidem hora tertia.

Consecratio episcopi fit inter missarum solemnia, ubi episcopus consecrandus celebrat episcopo consecratori et principaliter celebranti.

Episcopus consecrandus dum celebratur missa sub qua consecratur, ordines conferre non debet.

Episcopus per consecrationem consequitur plenitudinem officii episcopalis, ita ut exercere possit omnia, non solum quae jurisdictionis, sed etiam quae ordinis episcopalis sunt.

Archiepiscopus ante susceptum pallium, plenitudinem potestatis suae non consequitur.

Consecratione conjugium spirituale inter consecratum et ecclesiam perficitur et consummatur.

Post consecrationem episcopus vocatur absolute episcopus, cum ante illam, etsi confirmatus esset, tantum appellaretur cum addito *episcopus electus*.

Postquam electus in episcopum, confirmatus, consecratus et bonorum ecclesiasticorum administrationem adeptus est, tum demum ipso jure, absque alia sententia vacant omnia ejus beneficia, quae habebat, etiam simplicia, imo et pensiones, ita ut libe-

re ab eo conferri possint, qui de iis disponendi facultatem habet.

Aliud dicendum de iis qui administrationem non adepti sunt, uti episcopi titulares.

Ut religiosi jus electionis activae habeant requiriur

1. ut sint de ordine et conventu a quo praelatus eligendus est:
2. debent esse professi:
3. debent esse clerici:
4. et quidem clerici constituti saltem in subdiaconatu:
5. voce et loco in capitulo carent religiosi professi etiam in majoribus constituti, qui ex mendicantium ordine transierunt ad non mendicantes, etiamsi apostolica auctoritate hoc factum sit.
6. jure suffragii in electionibus biennio privantur religiosi proprietarii qui superiore suo invito peculium retinent.

Eligi possunt ad abbatiam vel etiam praelaturam regularem omnes qui impedimento non prohibentur.

Praeter impedimenta iure comuni introducta, est defectus professionis.

Nemo potest simul profiteri, et in abbatem seu praelatum regularem eligi.

Eligendus debet profiteri regulam non quamcumque, sed hujus ordinis in cujus praelatura esset assumendus.

Papa in iis potest dispensare.

De monialibus statuitur in abbatissas, praepositas, priorissas non posse eligi, nisi post editam professionem expressam octo vel saltem quinque annis in religione laudabiliter vixerint.

In abbatem eligi nequit nisi instructus in regula monachali, qualis non censetur qui paulo ante professionem edidit.

In electionibus abbatum et praelatorum qui ecclesias et monasteria sua in titulum perpetuum obtinent, observanda est forma comunis praescripta *c. quia propter* 42. h. tit. in electione superiorum et abbatum temporalium et aliorum officialium ac generalium.

Concilium tridentinum praeterea voluit ut vota sint omnino secreta, ita ut eligentium nomina non publicentur.

Ad irritationem electionis non sufficit quaevis publicatio votorum vel eligentium, sed requiritur ut vel major eligentium pars, vel unus majoris partis consensu, votum suum propalet, aut saltem propalatio talis sit, ut ea unius personae electio vel promoveri, vel impediri posse judicetur.

Electiones abbatissarum et aliarum superiorum regularium fieri et ipsae debent per vota secreta, et nomina eligentium numquam sunt publicanda.

Praeses electionis est episcopus vel alius superior.

Suffragium et vocem activam in ea habent solae moniales professae.

Ut eligi aliqua in abbatissam vel priorissam possit, necesse est, ut sit ejusdem ordinis.

Si electio facta sit in concordia, sufficit, quod in electam conspiret major pars suffragantium.

Si vero fuerit discors et aliquae ex eligentibus contradicant, ut, contradictione non obstante, confirmari possit, opus est ut obtinuerit duas partes suffragiorum, saltem per accessum.

Si publicato scrutinio ad electam in discordia accedat major quidem pars, sed non tot ut duas partes conficiant, antequam superior electionem confirmet vel reprobet, super iis quae electae obiiciuntur ab opponentibus, et super electionis forma atque idoneitate inquirere ex officio plene, de plano tamen et sine figura judicii debet; interim tamen electae permittenda est administratio tam in temporalibus quam in spiritualibus, excepta tamen alienatione et alicujus monialis receptione.

Si autem vota, publicato scrutinio, ita sparsa reperiantur ut minor solum capituli pars pro electa, vel pro duabus partes aequales stent, nullum jus acquiritur electae vel electis, sed novum scrutinium est inchoandum, vel comuni omnium consensu deveniendum est ad compromissum.

Electio talis, nisi consuetudo vel constitutiones permittant, cum sit omnino irrita, non potest accessu suppleri.

Si electio facta sit per compromissum et aliquae moniales se opponant, videndum an opponat se major pars illarum, an minor. Si minor non obstante contradictione est confirmanda; si major, videndum an se opponant duae partes, an minor pars infra duas. Si primum electa nec confirmanda nec admittenda est ad administrationem, sed litis per sententiam terminandae exspectandus eventus: si secundum, electae permittitur administratio, confirmatio tamen et benedictio differtur donec de justitia oppositionum cognoscatur.

Quod de electione monialium dictum est, tenendum fere est etiam in electionibus abbatissarum et praepositarum non regularium, eo dumtaxat excepto, quod professio neque in eligentibus neque in eligendis requiratur.

Nullus regularis eligi potest ad praelaturam vel ecclesiam regularem alterius ordinis et professionis, nisi sit cathedralis, licet postulari possit.

Ad ecclesias cathedrales, sive regulares illae sint, sive saeculares, eligi quivis religiosus, imo etiam novitius potest.

Ad praelaturas saeculares cathedrali inferiores eligi absolute mendicantes non possunt, quia nec postulari possunt.

Non mendicantes probabilius ad istas possunt eligi.

Ut religiosus ad dignitatem vel praelaturam extra ordinem electus, factae de se electioni consentire possit, requiritur ut major in eum pars consenserit.

Distinguendum tamen inter mendicantes et non mendicantes; posteriores enim consentire possunt electioni cum licentia praelati sui, etiamsi aliquis vel aliqui, qui aliis dederunt suffragium, contradicant; religiosus vero mendicans ut electioni ad episcopatum de se factae consentire possit, vel omnia omnium eligentium suffragia in ipsum conferri debent, vel saltem si alii aliis sua dedere, ante vel in publicatione electionis nullus debet esse contradictor.

Si sit regularis assumptus ad cardinalatum et iste eligatur ad episcopatum, vel archiepiscopatum, consentire electioni huic de se factae potest, si majora, etiam in discordia in ipsum concurrant; quamvis enim per assumptionem ad cardinalatum non desierit esse religiosus, tamen desiit esse subjectus jugo regulae.

Potestate ordinaria pontifex sibi successorem constituere non potest.

Moderno tempore pontificem eligunt cardinales, quibus jus eligendi papam concessit Nicolaus II.

Eorum electioni accedebat consensus populi et cleri.

Solis cardinalibus potestas ista primum tributa est in concilio lateranensi.

Pro legitimo D. Petri successore nunc habetur qui a duobus illorum partibus est electus et receptus.

Pontifex eligi potest per ispirationem, per compromissum, per scrutinium.

Debet obtinere duas tertias suffragiorum partes.

Unanimis cardinalium in conclavi praesentium consensus non sufficit, ut valeat electio per scrutinium celebrata, in quam major solum suffragantium pars consenserit.

Accessu cardinalium compleri potest suffragiorum numerus.

Accessus permittitur etiam infirmis, qui ad cappellam ubi celebratur electio venire non possint.

Electio per compromissum non valet si admixtum habeat scrutinium.

Tenendum in pontificem eligi posse quemcumqne fidelem catholicum, etiam laicum et uxoratum, modo habeat ea quae jure divino et naturali ad dignitatem requiruntur.

Digitized by Google

Qui legitime electus est, pontifex verus statim fit, acceptando electionem sui a cardinalibus factam; et statim administrationem plenam, a Deo sibi immediate collatam, habet.

Si electio cardinalium invalida fuerit, jus nullum electo potest tribuere.

Certum est impugnari posse electionem etiam omnium consensu celebratam, si electus laboret defectu, quo jure naturali aut divino, inhabilis reddatur.

Si electus, electione invalida, ut papam se gereret, et electioni renuntiare nollet, expectanda foret sententia concilii generalis de nullitate electionis pronuntiantis, antequam cardinales ad novam electionem possent procedere.

Post latam sententiam a concilio de nullitate electionis, electio novi pontificis fieri debebit a solis cardinalibus, nisi, gravi necessitate ingruente, expediens esset electionem a concilio generali fieri.

Tertia via perveniendi ad praelaturas est translatio.

Potest haec accipi *specifice*, cum episcopus transfertur ab uno episcopatu ad alium, et *generice*, quando praelatus vel alius quicumque beneficiarius a praelatura vel beneficio, quod habet, transfertur ad aliam praelaturam vel beneficium.

In hoc secundo casu accepta, definitur quod sit alicujus personae ab una ecclesia ad aliam saecularem vel regularem, superioris authoritate, ob causam utilitatis vel necessitatis, facta mutatio.

Comunî sententia episcopus consecratus authoritate papali transferri potest ab una ecclesia ad aliam.

Certum est, si episcopus tantum electus non confirmatus sit, eum licentia papae non indigere, ut ad aliam ecclesiam transire possit.

Si consecratus sit, hoc, invito pontifice, non potest.

Praelati inferiores episcopo, vel sunt exempti, vel non

Si primum, ut legitime transferantur ad aliam ecclesiam, necessaria est papae auctoritas.

Si secundum transferri possunt anctoritate proximi superioris, seu proprii episcopi.

Capitulum, sede vacante, transferre potest abbatem aut beneficiatum ab una ad alteram ecclesiam.

Translatio episcopi ab una ecclesia ad aliam duos actus continet, videlicet solutionem vinculi cum priore ecclesia, et alligationem ad aliam.

Quoad primum satis convenit inter doctores ab causam comunis utilitatis aut necessitatis invitum absolvi posse a vinculo quo

alligatus est priori ecclesiae, ita ut ista, siquidem sic velit pontifex, hoc ipso vacet.

Quoad alterum, etsi magna sit disputatio, tamen melius cum comuni negat Fagnanus.

Casu quo bonum publicum ecclesiae, ejusmodi translationem exigit, translatus tenetur consentire, et si nolit, poenis a pontifice cogi potest ut consentiat, et ex nolente fiat volens.

Qui dispensationem accepit ut posset transire ad majorem dignitatem, vi ipsius, transire ad minorem non potest.

Translatione, matrimonium spirituale inter episcopum transferendum et priorem ecclesiam contractum, dissolvitur.

Translatus, alteri ecclesiae jungitur, eandemque potestatem consequitur, perinde ac si per electionem, aut alium legitimae provisionis modum illam obtinuisset.

Translatione prior ecclesia vacat ipso jure, etiamsi episcopus, ecclesiae ad quam translatus est possessionem pacificam nondum acquisierit.

Pallium est vestis candida ex lana alba contexta in coronae seu circuli modum, pectus et humeros circumiens, ac quatuor nigris vel rubris crucibus distincta, anteriori parte nonnihil dependens.

Est praecipuum archiepiscoporum insigne et ornamentum cujus antiquissimus usus est in ecclesia et originem habet ab ipsis S. Petri discipulis.

Dicitur sumptum de corpore S. Petri.

1.° Quia benedicitur et consecratur a papa super altari S. Petri.
2.° Quia a solo romano pontifice pallium confertur jure ordinario.
3.° Quia significat quasi particulam potestatis ecclesiasticae, quae in S. Petro ejusque successoribus residet.

Nunc pallium solus romanus pontifex archiepiscopis confert.

Pallii archiepiscopalis jus competit.

1.° Summo pontifici velut archiepiscopo romano.
2.° Archiepiscopis omnibus et qui superiores sunt istis, primatibus et patriarchis.
3.° Ex speciali Sedis apostolicae privilegio et longa consuetudine pallium a sede apostolica mittitur et traditur etiam quibusdam episcopis, ut Ostiensi prope Romam, Papiensi in Longobardia, Lucensi in Tuscia, Bambergiensi in Germania, Dolensi in Gallia etc.

Is cui pallii jus competit, debet intra tres menses a die consecrationis, vel si jam ante consecratus sit, a die confirmationis acceptae numerandos, pallium a pontifice petere.

Si intra hoc tempus, legitimo impedimento cessante id facere omittat, commissa sibi dignitate et potestate privatur, et metropolitanis aliis licentia datur post secundam et tertiam commonitionem viduatis ecclesiis cum consilio romani pontificis ordinando et consecrando episcopos subvenire.

Pallii recepti duplex effectus est.

1.° Per traditionem illius confertur nomen archiepiscopale.

2.° Ejus concessione consequitur plenitudinem pontificalis seu archiepiscopalis officii.

Solus romanus pontifex in omnibus missarum solemniis semper et ubique pallio utitur.

Ceteri quibus usus ejusdem concessus est, nec semper, nec ubique, sed certis tantum in locis et diebus uti pallio possunt.

Dies enumerantur sequentes; videlicet in festo nativitatis Domini, S. Joannis Evangeliste, S. Stephani, in Circumcisione Domini, in epiphania, in ramis palmarum, in coena Domini, in Sabato sancto, tribus diebus resurrectionis, in festo Ascensionis et Pentecostes, S. Joannis Baptistae, et omnium Apostolorum; tribus vel ut ponit Host. quatuor solemnitatibus B. M., S. Michaelis, omnium Sanctorum, in dedicatione ecclesiarum, in festivitatibus principalioribus ecclesiae archiepiscopalis, in ordinationibus clericorum, et consecrationibus episcoporum, et in die anniversario consecrationis archiepiscopi, vel aliis juxta tenorem privilegii, quod eisdem in concessione pallii datum est.

Etsi pallio archiepiscopus uti possit intra omnes ecclesias suae provinciae, non tamen potest eodem uti extra missarum solemnia.

Non potest archiepiscopus in pallio celebrare in missis defunctorum, nisi hoc obtinuerit per privilegium.

Archiepiscopus extra provinciam suam, episcopus jus pallii habens extra dioecesim, uti eodem non possunt.

Idem pallio uti et in pontificalibus celebrare potest in loco exempto, hujus proprio rectore invito.

Pallium ad alios transferri non potest.

Renuntiatio dupliciter potest accipi.

1.° *Late* pro spontanea seu libera cujusque juris proprii remissione.

2.° Specifice pro remissione juris quod quis habet in beneficio ecclesiastico.

Definiri solet quod sit spontanea et libera dimissio beneficii proprii ex justa causa facta coram legitimo superiore eam acceptante.

Duplex ea esse potest, *tacita* et *expressa*.

Tacita est quae non verbis sed facto, beneficii cessionem vel ex

natura sua, vel ex interpretatione juris annexam habere inducitur.

Expressa est illa qua beneficii dimittendi voluntas verbis vel scripto juxta formam a jure praescriptam, legitime declaratur.

Pure et simpliciter fieri dicitur quando fit in manibus superioris, sine ulla pactione, conditione, vel modo.

Conditionalis est quae fit sub certa conditione, pacto, et haec quatuor modis fieri potest.

1.° *In favorem certae personae, et non alias nec alio modo.*

2.° *Cum reservatione fructuum vel pensionis constitutae in beneficio resignato, vel persona cui fit resignatio.*

3.° *Ex causa permutationis.*

4.° *Reservato regressu, ingressu, vel accessu.*

Regressus reservatur, cum resignans reservat sibi jus ut possit ad beneficium redire casu, quo ille cui resignatio facta est, praemoriatur.

Ingressus reservatur si quis collatum sibi beneficium, cujus possessionem nondum adiit, resignet alteri ea conditione, ut praemortuo resignatario, ipse propria authoritate possit ingredi, sive accipere possessionem beneficii resignati.

Accessus reservatur, cum beneficium destinatum puero ob aetatem incapaci, confertur interea alteri ea conditione ut post legitimam aetatem puer iste propria authoritate possit accedere, et occupare tale beneficium.

Renuntiationes metu vel dolo extortae, licet rescindi valeant, ipso tamen jure subsistunt.

Resignari possunt beneficia omnia, cujuscumque sint generis, vel qualitatis, nisi specialiter aliquo jure scripto illud prohibeatur.

Resignationes beneficiorum simplicium facile admitti debent ab Ordinariis, difficilius vero resignationes ecclesiarum parochialium, et praelatorum qui ordinariam et generalem jurisdictionem obtinent, et multo difficilius admittuntur resignationes episcoporum.

Resignari possunt beneficia patronata electiva et reservata summo pontifici, modo eorum quorum interest consensus requiratur.

Non valet resignatio beneficii ad cujus titulum aliquis ordinatus est, etiamsi resignans aliunde habeat sustentationem congruam.

Ante sententiam declaratoriam, resignatio beneficii quo quis ob crimen ipso jure privatus est, non valet.

Criminosus beneficium suum resignare alteri potest quando ob crimen non est privatus ipso jure, sed solum privandus per sententiam.

Digitized by Google

Pensiones quae jure ac titulo beneficii ecclesiastici sunt constitutae possunt renuntiari; non autem in favorem tertii.

Resignare beneficia regulariter permissum est omnibus qui specialiter a jure non prohibentur.

Prohibentur.

1.° Furiosi et mente capti.

2.° Clerici constituti in ordinibus sacris si non habeant unde postea sustententur.

3.° Clerici qui jus ad rem solum habent ad beneficium, uti sunt electi, praesentati etc.

4.° Qui ob crimen privati sunt ipso jure beneficiis suis.

5.° Privati per sententiam judicis, intrusi et alii similes.

Papa renuntiare potest papatui suo libere.

Clericus impubes resignare beneficium sine tutoris auctoritate nequit: major annis 14 potest, etiam sine curatoris consensu.

De religionis novitio probabilius dicendum renuntiationem beneficii ab eo factam ante duos ultimos menses anni probationis non esse validam; imo etiam intra hos factam, effectum non sortiri nisi secuta professione.

Jure novo resignatio infirmi non valet nisi supervivat viginti diebus.

Dies hic accipitur pro die naturali 24 horarum.

Dubium est an dies consensus sit computandus vel non in termino.

Dies vigesima inchoata haberi non debet pro completa.

Si clericus beneficiatus propria authoritate sine consensu superioris beneficium resignet, videndum an illud consecutus sit canonice, vel non

Si primum, resignatio sine episcopi consensu non valet; alias valet.

Si privatio beneficii inducta est ob consecutionem alterius beneficii cum priore incompatibilis, prius beneficium dimitti coram superiore et cum authoritate illius debet.

Si ea privatio inducta est ob crimen, distinguendum est an beneficiatus criminosus titulum illius beneficii saltem coloratum habeat, an non

Si habet, quia illud legitima superioris authoritate accepit, licet illo ob crimen occultum privatus sit, iterum authoritas superioris requiritur, non quidem ad hoc ut resignetur jus, ac verus titulus beneficii qui non amplius adest, sed propter titulum coloratum, quem adhuc habet, et propter quem retinere possessionem beneficii tamdiu potest, quamdiu sententia criminis declaratoria in eumdem a judice nondum lata est.

Si vero reus caret titulo beneficii tam vero quam colorato, hoc

casu sine authoritate superioris renuntiare, seu potius beneficium dimittere potest.
Resignatio beneficii fieri debet coram legitimo superiore.
Resignatio beneficii in favorem certae personae, et sub conditione ut beneficium resignatum conferatur personae nominatae a resignante, alias non valeat, in manibus solius papae fieri potest.
Renuntiatio beneficii quae fit cum reservatione pensionis aut fructuum non potest fieri nisi coram solo pontifice.
Solius pontificis authoritate et consensu fieri potest renuntiatio beneficii cum reservatione regressus ingressus et accessus ad illud.
Resignationes beneficiorum ex causa permutationis si fiant inter ipsos resignantes, non opus habent papae auctoritate, sed ordinariorum collatorum.
Si vero permutatio non sit inter ipsos resignantes sed alios ab aliis distinctos, eo casu ab Ordinario papa inferiore admitti non potest.
Resignationes triangulares aut quadrangulares admittere non potest praelatus papa inferior.
Ad renuntiandum episcopatui requiritur causa justa.
Causae justae sunt
Conscientia criminis.
Debilitas corporis.
Defectus scientiae.
Malitia plebis.
Grave scandalum.
Irregularitas personae.
Praeter has nulla alia sufficit.
Idem non semper obtinet in voto religionis.
Ad renuntiandum dignitatibus et beneficiis minoribus, sufficit causa longe minor.
Ad legitimam beneficii renuntiationem ex parte formulae requiritur.
1.° Ut sit spontanea et libera.
2.° Ut fiat pure et libere.
3.° Ut fiat cum consensu patroni si beneficium sit patronatum, aut electorum si electivum.
4.° Ut fiat cum consensu superioris.
5.° Cum justa causa.
6.° Verbis specificis et expressis.
7.° Hodie fieri solet et debet in scriptis, oblata supplicatione in qua petitur ut eamdem superior admittat ob causas in illa expressas.
8.° Denique renuntiationes sic factae, et a superiore admissae pubblicari debent.

Digitized by Google

Publicatio ista facienda est

1.° In ecclesia.

2.° Diebus festivis inter missarum solemnia.

3.° In Italia publicatio facienda est intra sex menses, in Germania intra novem, si resignatio facta est in curia romana. Si vero facta sit extra curiam in manibus legati a latere, episcopi, vel alterius collatoris, renuntiatio ab his admitti, vel rejici intra unum mensem, a provisis vero publicari intra tres menses, et intra eosdem possessio capi beneficii resignati debet. Tres menses isti currunt non a die resignationis admissae, sed a die quo collatum est beneficium.

4.° Publicandae intra tempus designatum sunt renuntiationes omnium omnino beneficiorum, qualescumque illa sunt, et quomodocumque renuntiatio illorum facta sit.

5.° Resignationum ejusmodi publicationes si, legitimo impedimento cessante, intra praedictum tempus non fiant, ipso jure evadunt nullae.

Renuntiatio per procuratorem fieri potest.

Procurator ad renuntiandum debet esse libere et sponte constitutus.

Mandatum ad renuntiandum datum debet esse speciale.

Debet esse in scripturam seu instrumentum publicum redactum et obsignatum signo sive sigillo publico judicis ordinarii vel comunitatis et postea recognitum, et ipso tabellione qui illud confecit subscriptum ad tollendam fraudem.

Debet esse integrum.

Requirunt aliqui ut instrumenti eoque comprehensi mandati procuratorii productio ultra quadriennium non differatur.

Procurator debet diligenter observare fines mandati.

Contra hoc acta non convalescunt ratihabitione.

Procurator ad renuntiandum revocari potest a principali ante factam resignationem.

Debet tamen revocatio intimari procuratori, vel saltem superiori qui debet admittere resignationem.

Mandatum procuratori datum ad resignandum beneficium, morte mandantis extinguitur, si res adhuc sit integra.

Resignans postquam admissa est resignatio amittit omne jus in beneficio.

Renuntiatio conditionalis regulariter effectum non consequitur, nisi purificatae fuerint conditiones.

Si resignans a superiore licentiam resignandi nondum obtinuit, potest poenitere; alias non.

Si conditionale facta est resignatio, et conditio nondum impleta est, resignans potest ad beneficium propria auctoritate redire.
Renuntiatio beneficii in fraudem alterius facta, effectum non habet.
Negligentia collatorum inferiorum corrigitur devolutione potestatis ad superiorem.
In devolutione beneficii electivi, videndum an ecclesia sit exempta vel non; si exempta et immediate apostolicae sedi subjecta, potestas illi ecclesiae de praelato providendi pro ea vice devolvitur ad papam immediate. Si non sit exempta et cathedralis sit, devolvitur ad archiepiscopum; si inferior saecularis vel regularis, ad episcopum.
Beneficium collativum seu liberum variis modis devolvitur.
Distinguendum est primo inter collatores; nam non
1.° Spectare potest collatio ad capitulum ecclesiae cathedralis secluso episcopo.
2.° Ad episcopum secluso capitulo.
3.° Ad episcopum et capitulum simul.
4.° Ad alios praelatos episcopo inferiores.
In primo et secundo casu capitulum et episcopus vicissim negligentiam commissam supplent.
In tertio casu videndum est an eo casu jus conferendi capitulo et praelato competat tamquam praelato an tamquam canonico privato.
Si primum uno negligente et praemonito, collatio fieri potest ab altero intra semestre: si vero intra hoc tempus beneficium vacans neuter conferat, eo lapso, devolutio immediate ad archiepiscopum, vel si beneficium exemptum sit, ad papam fiet.
Si secundum, capitulo negligente, conferendi jus ad episcopum, tanquam praelatum, devolvetur.
In quarto casu si collator sit inferior episcopo et intra semestre beneficium cujus collatio eidem competit conferre negligat, jus conferendi beneficium suum ad episcopum loci, in quo beneficium suum est, devolvetur.
Probabilior et aequior sententia est a capitulo conferri posse, sede episcopali vacante, beneficia quae alias ad episcopum, tanquam dioecesis ordinarium, ob negligentiam collatorum inferiorum devolvuntur.
Electio vel collatio statim post trimestre vel semestre lapsum celebrata non valet.
Devolutio juris fit cum omnibus qualitatibus beneficio annexis et quas electores vel collatores in prima provisione observare debuissent.
Digitized by Google

Superiori ad quem collatio devolvitur, ad hoc conferendum tantum temporis competit, quantum habuerit is, cujus negligentia est devoluta.

Si superior post devolutionem beneficiorum contulerit, sed collatio ob aliquod impedimentum non subsistet, jus conferendi cedit ad eum ad quem jure proprio collatio spectabat.

Potestas et jurisdictio episcopi ob ejus negligentiam non devolvitur ad archiepiscopum praeterquam in casibus jure expressis.

Si episcopus impediatur exercere officium suum pastorale, videndum an impedimentum istud proveniat ex culpa ejusdem, vel ex alia causa perpetua aut durabili.

Si primum ad papam recurrendum erit.

Si secundum, jurisdictionem in ejus ecclesiam et dioecesim exercet Capitulum.

Cum defectui praelati suppletur per dationem curatoris seu coadjutoris, videndum an dandus sit curator aut coadjutor episcopo inhabili, vel remisso in administratione officii sui et negligenti.

Si primum ab ipso episcopo cum consensu capituli, vel si is quid velit nolitue, exprimere nequeat, ab isto solo assumendus est coadjutor, cujus tamen officium expirat, mortuo episcopo, nisi per specialem gratiam confirmatus a papa jus succedendi acceperit.

Si secundum, coadjutorem seu curatorem episcopo dat papa, praelatis inferioribus horum superior.

Ecclesiae vacanti administratorem dare potest capitulum.

Ob negligentiam vel malam administrationem capituli, dari administrator vel curator potest ab archiepiscopo.

Si res bene procedant, hoc fieri potest a solo papa.

Si administrator ecclesiae vacanti datus sit a papa, omnem in dioecesi jurisdictionem habet quam habebat episcopus,

Si vero sit ab alio quam papa datus, etsi in ceteris administrationem habeat non secus ac episcopus, beneficia tamen quae ad liberam episcopi solius collationem pertinent conferre non potest.

Uno casu tandem episcopi defectus suppletur vel potius non obstat, et est quando is cum humilitate et devotione tertio requisitus, abbates electos et confirmatos benedicere sine causa renuit, de quo statutum est ut iisdem abbatibus, etiam benedictione abbatiali non recepta, liceat proprios monachos benedicere et alia quae ad officium hujusmodi pertinent exercere, donec ipsi episcopi suam duritiam recogitant, et abbates benedicere non recusent.

Ordinis nomen varie sumitur

1.° Latissime pro rei cujuscumque digestione seu collocatione in loco suo.
2.° Late pro certo hominum statu, quo sensu christianorum ordo duplex est, alius videlicet saecularis, alius clericalis.
3.° Stricte prout denotat potestatem spiritualem conficiendi sacramentum eucharistiae, vel ad id conficiendum ministrandi: quo sensu ordinatio est ipsa actio, seu ritus et ceremoniae sacrae, quibus ejusmodi potestas confertur.

Ordines communiter enumerantur septem, quatuor minores, videlicet ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolytatus; et tres majores, subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus.

Posteriores appellantur sacri, priores non sacri.

Omnium ordinum collationi ex ecclesiae praescripto praemitti debet prima tonsura, qua homo christianus a statu laicali transfertur ad clericalem.

Tonsura clericalis secundum probabiliorem sententiam non est ordo.

Episcopatus est ordo et distinctus a simplici sacerdotio.

Materia cujusque ordinis, ut aliorum sacramentorum duplex est, una remota, altera proxima.

Remota est ipsa res, seu instrumentum, quod ordinando traditur, et potestatem ei communicandam significat.

Proxima est hujus ipsius rei, seu instrumenti traditio. In specie materia ostiariatus proxima est traditio clavium ecclesiae, et cymbali, quo populus ad illum convocatur.

Lectoratus traditio libri lectionum, sive epistolarum, prophetiarum, sermonum, et homiliarum, quae ex SS. PP. in ecclesia legi solent.

Exorcistatus traditio libri exorcismorum.

Accolytatus traditio urceoli vacui, et candelabri cum cereo extincto.

Subdiaconatus traditio calicis vacui cum patena vacua superposita, et secundum aliquos libri epistolarum, quod verius alii negant.

Diaconatus traditio libri evangeliorum, cui praemittitur impositio manus episcopalis super caput ordinandi: non quidem de necessitate sacramenti, ut quidam putant, sed praecepti tantum, ut verius docent alii.

Presbyteratus materia duplex est: quia etiam duplex per eum datur potestas ordinato: una super corpus verum Christi, altera super corpus ejusdem mysticum: prima significatur per traditionem calicis cum vino, et patenae cum hostia; altera per impositionem manuum episcopi, non primam, quae praecipit traditionem calicis, sed alteram, quae fit ad finem missae.

Forma essentialis cujusque ordinis consistit in verbis, quae ab ordi-

Digitized by Google

nante, dum is materiam cujusque ordinis ordinando tradit, pronuntiantur, et potestatem per ordinem collatam significant.

Forma in ecclesia latina usurpata in ostiariatu sunt haec verba : *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.*

In lectoratu ista : *accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

In exorcistatu ista : *accipite, et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi munus super energumenos, sive baptizatos, sive cathecumenos.*

In acolytatu, dum traditur candelabrum, ista : *accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis, vos ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini;* dum vero traduntur urceoli, haec : *accipite urceolum ad suggerendum vinum, et aquam in eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.*

In subdiaconatu ista : *videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.*

In diaconatu ista: *accipe potestatem legendi evangelium in ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.*

In presbyteratu ad traditionem calicis cum vino, et patenae cum hostia : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini;* ad impositionem manuum episcopi ; *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis et quorum retinueris retenta sunt.*

In episcopatu denique ista » *Accipe Spiritum Sanctum etc.*

Graviter peccatur si tactus alicujus materia omittatur.

Opus non est tangere hostiam immediate.

Non requiritur contactus materiae eo puncto quo verba ab episcopo proferuntur.

Ad sacramenti valorem non requiritur contactus materiae immediatus, sed sufficit mediatus, ut si quis calicem tanget et mediante isto patenam super impositam.

Ad valorem ordinationis requiritur contactus instrumenti traditi phisicus.

Prima tonsura quolibet anni tempore conferri potest.

Ordines minores conferri possunt non tantum in ordinationibus consuetis, sed etiam quovis die dominico, aut festo saltem uni vel alteri, in mane tamen.

Subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus nulli episcopo, praeterquam romano pontifici, licet conferri nisi in sabbatis quatuor temporum, sabato sancto, et sabato dominicam passionis praecedente in publica ordinatione.

Digitized by Google

Episcopus consecrari debet et potest quavis die domenica vel in natalitiis Apostolorum, vel etiam in alio festo si pontifex hoc specialiter indulserit.

Prima tonsura et ordines minores non est necessarium ut conferantur sub missae sacrificio neque ut ordinandus sit jejunus.

Minores ordines debent conferri mane.

Nomine festi quo minores ordines secundum dicta conferri possunt, probabilius intelligitur dies qui festus est non tantum in choro sed etiam in foro celebre.

Consuetudine induci non potest ut conferantur ordines sacri extra tempora praedicta; sed potest privilegio.

Diei festi nomine in privilegio venit duntaxat festum in choro et foro celebre.

Ordines conferendi sunt gradatim, incipiendo a prima tonsura et per ordines minores ascendendum ad majores.

Non sunt conferendi plures ordines simul eadem die, quod tantum procedit de ordinibus majoribus.

In ordinum collatione inter unum et alterum servanda sunt interstitia seu intervalla temporum; et quidam ut a minoribus ascendere quis possit ad subdiaconatum requiritur unus annus; alius annus ut a subdiaconatu ad diaconatum, et tertius ut a diaconatu progredi possit ad Sacerdotium.

Computatio anni debet esse moralis non mathematica, et annus consideretur utpote ecclesiasticus, videlicet ab una quadragesima ad aliam, a pentecoste ad pentecostem etc.

In interstitiis dispensare possunt

1.° *pontifex* illimitate

2.° *nuntii apostolici* in quantum ipsis hoc a Papa concessum est

3.° *episcopi* cum dioecesanis, et regularibus non exemptis; ut vero ordinari quis possit extra tempora ex ordinaria potestate sua dispensare episcopus nequit

4.° *Capitulum cathedrale sedevacante*; sed iis tantum casibus, quibus licentiam ordinandi, seu ordines suscipiendi dare subditis diœcesanis potest.

5.° *Praelati regulares* cum subditis suis regularibus in ordinibus minoribus.

Causa sufficiens ad dispensandum super interstitiis in ordinibus minoribus nulla requiritur.

In ordinibus vero majoribus requiruntur causae magis rationabiles. Tales sunt.

1.° Si ordinandi sint referendarii utriusque Signaturae, familiares papae, vel canonici cathedralium, aut collegiatarum ecclesiarum, vel eorum adjutores.

2.° si iidem sint magistri, h. e. doctores, licentiati, vel etiam baccalaureati S. Theologiae, vel doctores aut licentiati utriusque aut saltem canonici juris, in publica et approbata universitate ejusmodi gradum aliquem consecuti; ut etiam si triennio S. Theologiae studiis sedulam navarunt operam.

Si beneficium habeant, quod sacerdotalem ordinem exigit, vel aliud perpetuum, aut etiam cappellaniam ad tempus vitae sibi concessam, uti illi deservire per seipsos possint.

Ob penuriam sacerdotum saecularium, vel regularium, in provincia, dioecesi, vel monasterio.

Ob solatium patris, vel matris; debent tamen isti, ut ex hac causa dispensare Episcopus in interstitiis possit, excessisse annum aetatis 50. Si ipse ordinandus 26 annum excesserit; quo tamen casu, ut etiam in praecedente, S. Congregatio exigit, ut dispensationem quoad interstitia petens per triennium saltem in habitu clericali honeste, et laudabiliter vixerit.

Duo ordines majores simul conferri non possunt.

Eadem die, jure communi spectato, simul conferri non possunt ordines minores et subdiaconatus; consuetudo vero in contrarium non est improbanda.

Si sabato ordinationis ob multitudinem ordinandorum, vel alia ex causa ordinatio omnium absolvi non potuit, continuato jejunio, dominica sequente ordinari reliqui adhuc poterunt, non vero qui ordinati sunt in sabato, recipere novum ordinem sacrum.

Certum est posse a pontifice alicui indulgeri privilegium ut ordines etiam sacros omnes suscipere possit diebus festis vel etiam non festis continuis.

Qui ejusmodi privilegium habet, et die subbati 4 temporum in ordinatione publica, et generali suscepit Diaconatum, die dominica sequenti ordinari presbyter potest: est autem rei veritas quod, sabbatum et dominicam sint dies distincti.

Prima tonsura, et minores ordines conferri possunt non solum in ecclesia, sed etiam in domo episcopali, et quovis alio loco honesto.

De ordinibus majoribus Trid. sess. 23 c. 8. sic loquitur; ordinationes ss. ordinum statutis a jure temporibus, in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibus ad id ecclesiae canonicis, publice celebrentur.

Si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur.

Omnes ordines conferendi sunt ab Episcopo in propria dioecesi et propriis subditis.

Irrequisito Ordinario loci, episcopus extra dioecesim suam nequidem primam tonsuram conferre potest.

An episcopus extraneus possit pontificalia exercere, et ordines conferre in loco exempto, distinguendum est: vel enim est locus exemptus ita ut nullius sit dioecesis, vel tantum ita ut quamvis in dioecesi sit non tamen sit de dioecesi. Si *primum* sufficit licentia seu vocatio praelati exempti. Si *secundum* opus est consensu tum praelati exempti, tum ordinarii loci intra cujus fines locus exemptus constitutus est.

In loco interdicto ordines conferri non possunt.

Ut valida sit ordinatio requiruntur in ordinando

1.° ut sit mas

2.° ut sit baptizatus

3.° ut si ordinandus sit adultus et capax rationis habeat intentionem saltem habitualem suscipiendi ordines.

Hermaphroditus vel magis accedit ad sexum foemineum, vel in eo praepollet sexus virilis. Si *primum* est jure divino incapax ordinis. Si *secundum* capax quidem ordinis videtur esse jure divino, non tamen est ad ordines admittendus.

Metu coactus si absolute reluctans ordinatus est, ejus ordinatio non valet: si ordinationi consensit, quamvis non consensurus, si metus abfuisset, ordo collatus valet et imprimit caracterem.

Certum est insuper

1.° voto continentiae obligari, et onus recitandi divini officii habere qui metum tantum levem passus est

2.° ab ea obligatione non eximi eum qui metum gravem sed juste incussum passus est

3.° obligationes praedictas contrahi ab eo qui postquam coacte suscepit ordinem sacrum, deinde sponte et non coacte votum suum ratificavit.

Casu quo ordinatus passus est metum gravem, et hunc injuste, neque ratificatio aliqua spontanea susceptionem ordinis subsecuta est, ad neutrum tenetur.

Ex parte ordinandi ut licite ordinetur requiritur

1.° ut sit major septennio

2.° ut sit capax rationis

3.° ut non sit neophitus

4.° ut sit confirmatus

5.° ut sit coelebs

6.° ut sit litteratus

7.° ut nulli culpae mortali sit scienter obnoxius

8.° ut nulla censura vel irregularitate sit irretitus

9.° ut sit bonae vitae et existimationis pubblicae

Digitized by Google

10.° ut sit subditus ordinanti.

Pro minoribus ordinibus aetas determinata non est.

De aetate majorum ordinum concilium Trid. statuit ut nullus imposterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis annum promoveatur.

Anni sufficiunt si tantum inchoati sint.

Qui dubitat an aetatem requisitam impleverit, non potest ordinari.

Scientia pro diversis ordinibus requiritur diversa.

1.° ab initiandis prima tonsura exigitur ut sciant rudimenta fidei, legere insuper et scribere

2.° ad minores ordines promovendi saltem linguam latinam intelligere debent

3.° ad subdiaconatum et diaconatum assumendi, litteris, et iis quae ad ordinem exercendum pertinent instructi sint oportet

4.° ad prebyteratus ordinem progressuri debent esse instructi ea scientia, ut idonei sint ad docendum populum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem et ad sacramenta administranda.

In dubio an ordinandus habeat sufficientem scientiam, episcopi arbitrio determinandum relinquitur.

Episcopus non potest in hoc impedimento dispensare.

Pontifex facultatem concedere potest ut requisita a jure scientia destitutus ordinem suscipiat, non tamen ut eo utatur, donec eam aquisierit.

Qui sine sufficienti scientia ordinatus est, suspendendus est ab exercitio ordinis sic suscepti, donec eam acquisierit.

Variis modis potest aliquis esse subditus ordinanti

1.° ratione originis

2.° ratione domicilii

3.° ratione beneficii

4.° ratione triennalis familiaritatis cum episcopo

5.° ratione licentiae seu litterarum dimissorialium.

Ex parte ministri ut valide conferat ordines, praeter intentionem faciendi id quod facit ecclesia, requiritur in eo potestas ordinandi.

Haec potestas est ordinaria et extraordinaria.

Ordinaria competit solis et omnibus episcopis consecratis.

Extraordinariam conferendi primam tonsuram et ordines minores habent plerique abbates et cardinales presbyteri in ecclesiis sui tituli.

Ex privilegio papae committit potest cuivis sacerdoti simplici.

Digitized by Google

Ut abbates conferre possint ordines minores requiritur ut sint abbates veri, qui abbatias non in commendam solum, sed in titulum obtineant
2.° ut sint sacerdotes
3.° ut sint benedicti, aut saltem ex privilegio pontificio habeant ut pontificalia exercere possint
4.° ut sint mitrati.

Hodie potestas restricta est abbatibus ut solum conferre primam tonsuram, et ordines minores possint regularibus sibi subditis, non aliis, salvo privilegio episcopi loci.

Per decretum concilii tridentini adempta fuit abbatibus facultas conferendi primam tonsuram saecularibus etiam sibi subditis.

Ordinatio facta ab abbate contra formam seu tenorem facultatis ordinandi sibi concessae est illicita et invalida.

Sacerdos non episcopus potest conferre subdiaconatum et diaconatum ex vi delegationis a sede apostolica factae, non vero presbyteratum.

Episcopus licite conferre ordines potest, si sit immunis a peccato mortali, et si fit episcopus proprius ipsius ordinandi, vel saltem a proprio hujus episcopo licentiam habeat.

Tripliciter aliquis esse potest episcopus proprius, videlicet ratione *originis*, *domicilii* et *beneficii*.

Episcopus originis est ille, e cujus dioecesi aliquis oriundus est. Ex illa autem dioecesi, vel loco quis oriundus censetur, in quo dum natus est, pater ejus domicitium constitutum habuit. Ab hac regula universali excipiuntur
1.° expositi
2.° nati vel orti in loco nullius dioeceseos.
3.° pagani et judaei conversi.
4.° liberti, sive libertini.
5.° vagi.

Episcopus domicilii est ille, in cujus dioecesi aliquis domicilium, sive sedem fixit, animo perpetuo ibi manendi, nisi quid avocet.

Episcopus beneficii is dicitur, in cujus dioecesi aliquis beneficium habet.

Ut aliquis ordinari possit ab episcopo beneficii requiritur
1.° ut beneficium veri beneficii ecclesiastici rationem habeat:
2.° ut debeat actu fuisse collatum:
3.° ut datum sit ei in titulum:
4.° ut praeter titulum accedere debeat possessio.

Qualecumque sit beneficium, modo verum sit, sufficit ut aliquis ordinari possit ab episcopo beneficii.

Casus quibus aliquis ordinari possit ab episcopo alieno quatuor sunt:

1.° si episcopus proprius sit publice suspensus e collatione ordinum, eo quod ordinavit clericos alienae dioecesis sine licentia episcopi proprii:

2.° si ordinandus sit familiaris episcopi:

3.° si ordinandus habeat privilegium ut ordinari possit ab alieno episcopo:

4.° si ordines petens ab alieno episcopo, habeat litteras dimissorias a proprio.

Quando Episcopus ordinationem suorum subditorum alio episcopo committit, hoc ordinarie facit per litteras, quae *dimissoriae* vocantur, et quae *reverendae* et *commendatitiae* etiam dicuntur.

Has litteras dimmisorias potest dare

1.° Summus pontifex, et quidem omnibus christianis in toto orbe existentibus:

2.° Legatus a latere ex indulto ipsi concedi solito:

3.° Episcopus proprius ex aliquibus causis:

4.° Prelati inferiores episcopo, sive regulares, sive saeculares, sed non ad alienum episcopum.

Dimissorias dare potest etiam episcopus non consecratus, sed cum distinctione: vel enim talis episcopus solum est electus, vel etiam confirmatus. *Si hoc secundum* litteras dimissorias concedere potest. *Si primum*, iterum distinguendum: vel enim electus est in loco unde facile peti, et obtineri confirmatio potest, vel in loco aliquo remoto. *Si prius* expectare debet, dum confirmetur. *Si posterius*, dummodo episcopus electus sit in concordia, dimissorias dare potest.

Jure antiquo poterat *capitulum* has dimissorias dare quocumque tempore sedis vacantis: jure novo intra annum, a die vacationis, seu obitus episcopi computandum, concedere eas dumtaxat potest arctatis beneficio, h. e. iis, qui vel actu obtinent, vel electi, praesentati, nominati sunt ad beneficium.

Capitulum circa ordines suscipiendos, sede vacante,

1.° Post annum vacationis dimissorias potest dare subditis dioecesanis omnibus, intra annum arctatis beneficio:

2.° Licet intra annum his tantum dimissorias dare possit, intra eundem tamen dare literas testimoniales de vita, moribus, et doctrina potest etiam aliis, qui a S. pontifice privilegium habent suscipiendi ordines a quocumque episcopo:

3.° Potest intra eumdem vacationis annum episcopo extraneo licentiam dare, ut in dioecesi vacante ordines conferat sive ex-

traneis, sive subditis dioecesanis, dimissorias a Papa, nuntio apostolico, vel episcopo defuncto habentibus.

Vicarius generalis dimissorias dare non poterit, nisi in tribus hisce casibus:

1.° si speciali mandato episcopi in hunc finem instructus sit:

2.° si episcopus in remotis agat:

3.° si vicario episcopi hoc consuetudo permittat.

Praelati regulares possunt dimissorias dare regularibus sibi subditis. Non possunt jure communi eas dare suis novitiis, sed petendae hae erunt ab episcopo proprio novitii, vel potius monasterii, quod incolit novitius, dummodo non sit aliqua religio, quae privilegium habeat dandi dimissorias ad quemcumque episcopum.

Hi praelati nequeunt dare dimissorias suis subditis saecularibus, nisi proprium et exemptum territorium habeant; et ne regularibus suis quidem, nisi eae dirigantur ad episcopum dioecesanum, exceptis tribus casibus, idest

1.° si monasterium sit nullius dioecesis;

2.° et si privilegium habeat:

3.° si episcopus a sua dioecesi sit absens, vel ordinationes non habiturus.

In litteris dimissoriis varia exprimenda sunt

1.° nomen episcopi, saltem appellativum, ad quem diriguntur:

2.° qui ordines vigore illarum conferendi sint:

3.° causa, ob quam episcopus proprius vel nolit, vel nequeat ordinare:

4.° natales, aetas, mores, ac scientia ordinandi.

Hae litterae gratis concedendae sunt, et efficaciam habent et valorem quamdiu non revocantur.

Tituli nomine venit cautio, qua provisum sit ordinando de sufficiente, eaque perpetua sustentatione: hinc etiam communiter *titulus mensae* dicitur. Olim hic titulus requirebatur etiam ad primam tonsuram, et minores ordines; nunc solum requiritur ad suscipiendos ordines sacros. Triplex est, scilicet beneficii ecclesiastici, patrimonii, et paupertatis religiosae.

Titulus beneficii est ille, qui solus proprie dictus ordinationis titulus est.

Ut titulo beneficii ordinari aliquis possit requiritur

1.° ut beneficium, ad quod aliquis ordinari cupit, sit perpetuum:

2.° ut beneficium illud sit sufficiens clerico ad honestam et decentem sustentationem:

3.° ut sit actu obtentum et pacifice possessum.

Digitized by Google

Necessitas beneficii, ut titulo ejusdem ordinari aliquis possit, non ulterius se porrigit, quam ut ordinatus congruam, ac stabilem sustentationem habeat.

Titulus patrimonii proprie titulus non est, sed aequiparatur titulo in eum finem, ut clericus in sacris ordinari possit. Intelliguntur autem *patrimonii* nomine hoc loco bona propria clerici, quocumque titulo legitimo acquisita.

Ut ordinari *titulo patrimonii* clericus possit, requiritur

1.° ut bona illa sint sufficientia ad sustentationem clerici:

2.° ut haec bona patrimonialia sint certa:

3.° ut sint immobilia:

4.° ut sint libera:

5.° ut sint fructifera, et annuum reditum clerico ordinato afferant:

6.° ut sint firma, et talia, quae nec clerico facile auferri, neque ab eo alienari, vel cessione aliqua in alios transferri, eisve obligari valide possint.

Titulus *pensionis*, sive stipendii sustentationis clerico ordinando assignatae, eique annuatim praestandae, donec consequatur beneficium ecclesiasticum, vel de congrua sustentatione ipsi aliunde provideatur, sufficit ad ordines suscipiendos.

Si hujusmodi titulus pensionis datus sit a privatis, debet muniri cautione reali: si a principibus, magistratibus, communitatibus sufficit simplex cautio instrumentaria: si a monasterio, vel ecclesia, consensus capituli accedere debebit.

Titulus paupertatis scatet ex religionis approbatae solemniter facta professione, vi cujus clerici regulares sunt ordinandi.

Ut igitur hic titulus ad ordines suscipiendos sufficiat, ordinandus debet esse professus, et quidem valide, et in religione approbata.

Hinc novitii ordinari nequeunt titulo paupertatis, exceptis religiosis Societatis Jesu, qui post biennium novitiatus tria vota simplicia ediderunt.

Modi quibus peccari potest in ordinibus conferendis et suscipiendis, varii sunt, et hic quinque recensentur.

1.° si ordinetur aliquis ante legitimam aetatem:

2.° si ordinatus non sit subditus ordinantis, neque iste ab illius ordinario licentiam habeat:

3.° si ordinarius ordines conferat in aliena dioecesi sine consensu ordinarii loci:

4.° si ordinatio fiat extra tempora a jure statuta, et interstitiis non observatis:

5.° si sine titulo mensae.

Digitized by Google

Ordinans ante legitimam aetatem diverse punitur, et

1.° si *alicui ante legitimam aetatem* conferat primam tonsuram, ab istius collatione per integrum annum ipso jure suspensus est:

2.° si eidem conferat minores ordines, punitionis modus relinquendus erit superiori delinquentis:

3.° si eidem sacrum aliquem ordinem scienter conferat, poenam suspensionis incurrit, non quidem ipso jure, sed ferendae sententiae, a collatione ordinum:

4.° si ob hanc causam suspensus conferat ordines, etiam minores, irregularitatem contrahit.

Ordinatus ante legitimam aetatem diverse punitur et 1. si *sacrum aliquem ordinem*, et hunc *mala fide* susceperit, ordo quidem collatus valet, ab executione tamen illius, ipso jure, suspensus est, jure quidem antiquiori: recentiori autem in perpetuum, donec absolutionis beneficium consequatur.

2.° Si in ordine ita suscepto, antequam a suspensione absolutus sit, ministrare praesumpserit, eo ipso irregularitatem incurrit.

3.° Praeter alias poenas, beneficiis ecclesiasticis privari potest.

Regulares etiam his poenis subjacent, si sacrum ordinem ante legitimam aetatem susceperint.

Qui mala fide ante legitimam aetatem praesbiter ordinatus, concelebrat cum episcopo in actu ordinationis, praeter suspensionem non incurrit irregularitatem.

Ordinans alienum subditum, si hoc faciat temere, et cum scientia, vel ignorantia affectata, sine licentia, vel dimissoriis episcopi proprii, ipso jure incurrit suspensionem annuam a collatione ordinum. Et haec suspensio, quae in primae tonsurae collatione locum non habet, se extendit non solum ad ordinem male collatum, sed etiam ad ceteros.

Is, qui sine dimissoriis, sive licentia episcopi proprii, ab alieno episcopo, vel praelato est ordinatus, ab executione ordinis sic suscepti suspensus manet, donec cum eo a proprio episcopo circa hoc dispensetur.

Si capitulum cathedrale, sede vacante, litteras dimissorias contra formam a trid. praescriptam conferat, subjicitur, interdicto ecclesiastico: si alius praelatus hoc faciat, ab officio et beneficio per annum ipso jure suspenditur. Ii vero qui virtute dimissoriarum sic obtentarum ordinati sunt, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus gaudent, in majoribus vero ab executione ordinum ad beneplacitum futuri praelati, sunt ipso jure suspensi.

Digitized by Google

Si episcopus clerico non habenti titulum beneficii, aut sustentationis necessariae conferat ordinem sacrum, ipsemet ei necessaria alimenta providere tenetur, donec beneficium ecclesiasticum ad sustentationem sufficiens assequatur.

Ordinatus sine titulo, si in culpa non fuit, sed post defectum tituli sincere expositum ordinanti, ab hoc ordinatus est, nullam incurrit poenam: si in culpa fuit, incurrit suspensionem ab executione ordinis ita suscepti, et irregularitatem, si in ordine sic suscepto ministret.

Ordinans in aliena dioecesi sine consensu ordinarii loci, *ab exercitio pontificalium* suspenditur ipso jure, et

Ordinatus in aliena dioecesi sine consensu ordinarii loci, ab executione ordinum ipso iure suspensus est. Et hoc procedit etiamsi tantum fuisset collata prima tonsura.

Ordinans extra tempora jure statuta potestate ordinandi privandus est tantum per sententiam, et

Ordinatus extra tempora iure statuta, suspensionem ab ordinibus ita susceptis ipso iure incurrit, et si in tali ordine, insuper habita hac suspensione ministrare praesumat, irregularis efficitur.

In ordinante suspensio haec se extendit ad ordinem, quem sic illicite contulit, et hoc ad superiores, non vero ad inferiores: in ordinato suspensio ista incurritur ab iis tantum, qui ordines sacros susceperunt.

Si episcopus, non servatis interstitiis, eodem die simul plures ordines conferat, ordinans quidem a collatione ordinum sic collatorum, ordinatus vero ab exercitio posterioris ordinis ita suscepti est suspendendus, donec a papa dispensationem impetraverit.

Si vero episcopus, non quidem eodem die, sed diversis, non tamen servatis spatiis temporum, inter quamlibet ordinationem a iure statutis, plures ordines conferat, nec ordinans, nec ordinatus poenam aliquam, censuram, vel irregularitatem incurrunt.

Ordinum collationi praemittendum est examen, sive inquisitio de ordinandorum dignitate.

Hoc examen, sive inquisitio dicitur *scrutinium*, quod triplex est. *Primum*, quod fit a parocho, vel alio ab episcopo constituto: *alterum* quod ab eiscopo ante ordinationem institui debet: *tertium*, quod fit in ordinatione ipsa.

Relate ad primum scrutinium praecipiuntur sequentia.

Google

Causa cur *loco tantum* renuntiare possit episcopus, esse potest hostilitas, intemperies aeris, vel alia iusta causa. Ut vero *loco simul et dignitati* renuntiare possit, communiter requiritur delictum, ob quod commeritus fuerit depositionem, quam voluerit renuntiando praevertere.

Episcopus, qui renuntiavit episcopatui loco tantum, cum licentia alterius episcopi potest conferre ordines, tam maiores, quam minores; episcopus vero, qui renuntiavit episcopatui loco simul et ordini, primam tonsuram quidem et ordines minores cum licentia ordinarii conferre potest.

Ordinatio facta ab episcopo, qui renuntiavit dignitati valida est: sic tamen ordinatus ab executione ordinis ita suscepti suspensus est, donec cum ipso dispensetur.

Collatio ordinum facta ab episcopo excommunicato, suspenso, deposito etc. valida est.

Cum ordinatis ab episcopo, qui renuntiavit episcopatui, et ab episcopo excommunicato etc. dispensare potest solus papa, si illi *scienter* ordines acceperint, si *ignoranter*, successor episcopi sic ordinantis potest dispensare.

Aetas, quae requiritur in praeficiendis et promovendis ad praelaturas, et beneficia ecclesiastica, varia est pro varietate dignitatum, et beneficiorum ecclesiasticorum.

1.° Ad *summum pontificatum* nulla certa aetas praefinita reperitur.

2.° *Ad dignitates ordinis episcopalis*, ut sunt episcopatus, archiepiscopatus, primatus, patriarchatus exiguntur anni 30 completi.

3.° *Ad praelaturas episcopali inferiores* v. g. praepositnras, diaconatus etc. aut beneficia, quibus cura animarum sive externi sive interni fori annexa est, requiritur annus aetatis 25 inchoatus.

4.° *Ad dignitates, et personatus, quibus cura animarum non subest*, requiritur annus 22. aetatis completus.

5.° *Ad canonicatus, praebendas, et portiones ecclesiarum cathedralium* requiritur annus 21. aetatis inchoatus.

6.° *Ad alia beneficia simplicia, et inferiora* requiritur annus aetatis 14. saltem inchoatus.

Ad obtinendas dignitates, et personatus in ecclesiis collegiatis non minus requiritur quam annus 22.

In promovendo ad canonicatum ecclesiae collegiatae, etiam insignis, nisi aliud fundatione, statuto, vel consuetudine receptum sit, requiritur et sufficit annus aetatis 14 inchoatus.

Digitized by Google

Ad obtinendas pensiones in quibuscumque ecclesiis, si illae mere *profanae* sint, nulla certa aetas requiritur, si vero sint *ecclesiasticae*, requiritur annus 14. inchoatus.

Episcopus non habet facultatem dispensandi in aetate secundum universalis ecclesiae canones requisita in ordinandis, vel praeficiendis ad beneficia, nam huiusmodi facultas soli papae competere potest.

Impetratio, collatio etc. facta personae non habenti aetatem a canonibus requisitam, si facta sit sine dispensatione pontificia, est ipso iure nulla.

Promovendus ad praelaturas debet saltem initiatus esse prima tonsura.

Ad papatum obtinendum nullus requiritur ordo.

Ad cardinales S. R. E. requiritur ordo gradui ipsorum competens.

In episcopo requiritur, ut ante ejus electionem per sex saltem menses fuerit in sacris.

Ad dignitates ecclesiasticas episcopatu inferiores, quibus cura animarum, aut jurisdictio fori externi annexa est, requiritur ordo presbyteratus, vel saltem aptitudo ad eum intra annum suscipiendum.

Eumdem presbyteratus ordinem, vel saltem aptitudinem ad eum intra annum suscipiendum debet habere promovendus ad beneficium parochiale, vel aliud curatum.

In canonicis cathedralium, et collegiatarum ecclesiarum saltem subdiaconatus exigitur, ut vocem in capitulo habeant. In iisdem vero, ut alia jura canonica, et praebendas percipiant, nullus sacer ordo requiritur, si sint canonici collegiatarum; et constitutio in sacris necessaria est, si canonici sint cathedralium.

In promovendis ad aliud beneficium simplex communi jure nihil statutum est: unde in his consulenda est consuetudo, et maxime ecclesiarum statuta, vel fundatorum voluntas. Si ex his non liqueat, quod certus aliquis ordo requiratur, sufficiet prima tonsura.

Quando beneficium habet sibi annexa ex voluntate fundatoris certa missarum onera, ordo sacer non censetur annexus eidem beneficio ratione fundationis, nisi expresse vel tacite cautum in fundatione sit, ut beneficiarius sit sacerdos.

Episcopus, circa clericos sibi subjectos, dispensare potest super ordinibus sacris intra annum suscipiendis, et hoc non jure communi et regulariter, sed ex aliquibus concessionibus.

Si promotus ad beneficium, nullum impedimentum habeat, quod arceat illum a recipiendo ordine qui beneficio eidem adnexus est episcopus potest eum disjunctive compellere, ut vel intra tempus a jure constitutum ordinem vi beneficii requisitum recipiat, vel isto cedat.

Si vero promotus ad beneficium habeat impedimentum, ob quod ad ordinem annexum promovendus non est, multum refert, an impedimentum istud provisus contraxerit ante assecutionem dignitatis, aut beneficii, vel post. Si *ante,* episcopus eum amovere debet a beneficio. Si *post,* et sine ejus culpa id factum sit episcopus eum compellere nequit ad ordinem suscipiendum, imo nec privare beneficio debet, quando provisus propria sua culpa impedimentum contraxerit; secus, nec eum privare beneficio, nec ad ordines compellere potest.

Episcopus vel alius superior regulariter nequit compellere ad suscipiendos ordines clericum, qui vel nullum habet beneficium, vel habet, sed tale, cui ordo certus annexus non est.

Praeter aetatem et ordines requiruntur in praeficiendis

1.° Natales legitimi.
2.° Genus catholica fide perspectum.
3.° Libera conditio personae.
4.° Litterarum scientia.
5.° Morum ac vitae probitas.

In praeficiendis requiritur ea litterarum scientia, quae ad officium beneficio vel dignitati annexum rite obeundum est necessaria.

Collatio beneficii, si facta penitus illiterato, est ipso jure nulla: si facta vero non penitus illiterato, sed scientiae tantum per ss. canones requisitae jejuno, non est ipso jure nulla, sed tamen a superiore est irritanda.

Doctoratu, vel licentiatu ex ss. Theologia, aut jure canonico insignitus, vel saltem ex publico alicujus academiae testimonio gradu hoc dignus esse debet

1.° Episcopus:
2.° Archidiaconus:
3.° Scholasticus:
4.° Poenitentiarius in ecclesia cathedrali:
5.° Vicarius capituli, sede vacante:
6.° Vicarius generalis episcopi etc.

Si quis indigne promotus sit ad gradum doctoratus, vel licentiae sine scientia competente, impetratio, vel collatio beneficii, aut dignitatis gradum requirentis eidem facta est valida.

Circa morum probitatem, vitaeque honestatem promovendi requiritur.

1.° Ut hic non sit criminosus, scilicet talis criminis reus, quod depositione dignus sit:
2.° Ut non laboret infamia sive juris, sive facti:
3.° Ut non sit censura aliqua ligatus, vel irregularis.

Collatio beneficii ecclesiastici facta infami vel criminoso est ipso jure nulla, si beneficium sit *curatum*: et si beneficium sit *sim-*

plex, et cura animarum carens, licet irritanda sit ab eo, qui potestatem habet, ipso tamen jure non est irrita, nisi crimen annexum habeat censuram, vel irregularitatem.

Censura, quae reddit collationem beneficii ipso jure irrita est

1.° Excommunicatio:

2.° Suspensio ab officio vel beneficio:

3.° Interdictum personale.

Irregularis promoveri ad beneficium nullo modo potest.

Praeter relatas hactenus et jure communi requisitas qualitates, in promovendis ad certa benificia, vel dignitates statuto, fundatione, consuetudine etc. possunt aliae requiri.

Fundatione, statuto et consuetudine induci potest, ut ad certas ecclesias, earumque canonicatus, et dignitates tantum admittantur nobiles et illustres, exclusis ignobilibus, alias idoneis, modo etiam priores idonei, et ceteris qualitatibus ad hujusmodi beneficia et dignitates requisitis instructi sint.

Non sunt promiscue quibuslibet conferenda beneficia, et dignitates ecclesiasticae, sed dignis, et aliquando etiam dignioribus.

Graviter ille peccat, qui beneficium, vel dignitatem ecclesiasticam quamcumque confert indigno, cum digno posset.

Quando beneficium vi fundationis, aut alterius juris specialis conferri debet personis certa qualitate praeditis, ejusmodi persona, modo digna sit, praeferenda extraneae, quamtumvis alias digniori.

Si dignus in gremio haberi possit, nulla est obligatio vocandi ad praelaturam digniorem extraneum.

In electionibus ad praelaturas datur obligatio praeferendi digniorem digno: et haec obligatio extenditur

1.° Ad episcopos:

2.° Ad S. R. E. cardinales:

3.° Ad praelatos alios inferiores, si jurisdictionem quasi episcopalem praelaturae suae annexam habeant, sive deinde regulares sint, sive saeculares.

Datur etiam obligatio praeferendi digniores in ceteris beneficiis curatis.

Electio vel collatio beneficii curati, digno facta, praeterito digniore, si facta sit *in concursu*, ipso jure est irrita; si *extra concursum*, de jure subsistit, nec per sententiam rescindenda est.

Regulariter et vigore juris spectato, etiam in beneficiis simplicibus est obligatio illa conferendi dignioribus prae aliis, qui minus digni sunt, quamvis probabilius non peccetur, nisi venialiter, si contrarium, idque raro solummodo fiat.

Si collator beneficium etiam curatum digno conferat, praetermisso digniore, probabilius non tenetur ad restitutionem faciendam ecclesiae, vel ipsi digniori.

Digitized by Google

Occasione ordinationis clericorum, hic loquitur de variis unctionibus sacris. Hujusmodi unctiones adhibentur

1.° *In baptismo,* in quo chrismatica unctio non est de substantia hujus Sacramenti :

2.° *In confirmatione,* quae est novae legis sacramentum, quo baptizatis spiritualis gratiae augumentum, et robur confertur per chrismatis in fronte unctionem, ad christianam fidem fortiter palamque profitendam. *Materia remota* hujus sacramenti est chrisma benedictum ab episcopo : *proxima* chrismatis in fronte unctio. *Forma* sunt verba *signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Subjectum* est omnis homo viator, baptizatus, nondum confirmatus. *Minister ordinarius* solus episcopus. *Extraordinarius* ex commissione papae etiam simplex sacerdos.

Admixtio balsami non pertinet ad essentiam hujus sacramenti.

Confectio chrismatis simplici sacerdoti committi nequit, nec ab episcopo, nec etiam a papa.

3.° *In consecratione papae episcopi, et sacerdotis simplicis* ; etiamsi haec unctio, quae dicitur *sacerdotalis,* non sit de substantia hujus consecrationis.

4.° *In infirmis* ; et tunc *unctio extrema* vocatur, quae est novae legis sacramentum, ad salutem mentis, vel etiam corporis per unctionem olei, et orationem sacerdotis homini aegrotanti, et vita periclitanti, a Christo domino ordinatum.

Materia remota hujus sacramenti est oleum olivarum ab episcopo benedictum: *proxima,* unctio olei benedicti in oculis, auribus, naribus, labiis etc. *Forma* sunt haec verba sacerdotis: per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum etc. *Subjectum* est homo viator, baptizatus, ratione aliquando usus, et constitutus in infirmitate lethali. *Minister* est sacerdos.

Circa hanc unctionem sunt notanda sequentia :

1.° Oleum hoc debet esse ab episcopo benedictum :

2.° Si oleum consecratum pro aliquo anno non sufficeret, parochus id advertens, effundere ei potest aliud non consecratum:

3.° Oleum debet esse novum :

4.° Etsi, quando id sine periculo potest, inungendi sint omnes quinque sensus, id tamen probabilius non requiritur ad substantiam sacramenti, sed sufficit, si unus saltem inungatur :

5.° Quamvis verba formae deprecatoria esse debeant, non tamen requiritur, ut sint deprecatoria formaliter, sed sufficit, si talia sint virtualiter.

Non est denegandum hoc sacramentum senibus ad mortis articulum sola senectute deductis.

Hae quatuor unctiones sacramentales sunt. Non sunt vero sacramentales unctiones sequentes,

1.° Imperatoris
2.° Ecclesiae
3.° Altaris
4.° Calicis.

Ex septem novae legis sacramentis quatuor, videlicet eucharistia poenitentia, extrema unctio, et matrimonium iterabilia sunt; cetera tria, sc. baptismus, confirmatio, et ordo sine sacrilegio iterari nequeunt.

In administratione sacramentorum si aliquid *accidentale* omissum sit per oblivionem, aut errorem, id solum, quod omissum est suppleri debet: si vero omissum sit aliquid *substantiale*, omnibus substantialibus de novo adhibitis, conferri denuo sacramentum debet.

Si episcopus per errorem non *chrismate*, sed oleo *benedicto* confirmandum unxerit, confirmatio iterari nequit, sed caute supplendum, quod incaute fuit omissum.

Si in ordinatione presbyteri *secunda manus impositio* omissa sit, nihil iterandum, sed illa impositio subjicienda est cum verbis: *accipe Spiritum Sanctum etc.*

Si episcopus consecratus sit adhibito chrismate, quod confectum est ex oleo, et balsamo non naturali, sed artificiali, consecratio tum illius, tum sacerdotum ab eo ordinatorum iteranda non est.

Omnes illegitime nati repelluntur ab ordinibus et beneficiis, etiamsi defectus natalium sit occultus.

Excipitur 1.° Si de defectu natalium dubitatur:
2.° Si gravis causa urgeat ad ordines suscipiendos:
3.° Si sola mater, vel solus pater dicat eum natum esse ex adulterio.

Expositi possunt suscipere ordines sine dispensatione, quia praesumuntur legitimi.

Filii, qui procreati sunt ex patre, post matrimonium contractum, uxoris consensu, ad ordinem sacrum promoto, vel religionem approbatam professo, indigent dispensatione, si matrimonium ante susceptum ordinem sit *ratum*; si vero matrimonium sit *consummatum* ante susceptum ordinem, *civiliter* dispensatione non indigent, non ita *canonice*.

Quatuor modis illegitimi fieri possunt capaces ordinum et beneficiorum:

Digitized by Google

1.° Per subsequens matrimonium parentum :
2.° Rescripto papae :
3.° Professione religiosa :
4.° Dispensatione.

Professio religiosa facit, ut sine dispensatione ad ordines quoscumque non tantum illegitimi, sed etiam spurii promoveri possint.

Inhabilitas quoad ordines in religionem per sedem apostolicam approbatam professis ita tollitur, ut si professione edita, e religione ejiciantur, aut dimittantur, post ejectionem, vel dimissionem ordines quoscumque sine dispensatione possunt suscipere.

Solus ingressus in religionem educationis, vel probationis causa non tollit irregularitatem ex defectu natalium.

Per professionem religiosam illegitimi non redduntur habiles ad praelaturas, dignitates, et beneficia curata.

Foeminae illegitime procreatae, seclusis specialibus ordinum privilegiis, abbatiarum, et prioaratuum obtinendorum incapaces sunt, nisi cum iisdem dispensetur.

Relate ad dispensationem illegitimorum, pontifex potest dispensare cum omnibus Christi fidelibus in ordine ad quoscumque ordines' beneficia, dignitates et praelaturas. In ordine vero ad ordines majores, et beneficia curata *ipse solus* de jure communi dispensare potest: nam ad ordines minores, et beneficia simplicia dispensare cum illegitimis potest episcopus et alii praelati inferiores obtinentes jurisdictionem quasi episcopalem. Excipiuntur tamen

1.° Dignitates et personatus, etiam sine cura :
2.° Canonicatus ecclesiarum cathedralium :
3.° Canonicatus ecclesiae etiam collegiatae, si a capitulo statutum sit, ut ad illum illegitimus non admittatur :
4.° Beneficium quodcumque simplex, quod actu requisivit ordinem sacrum :
5.° Cetera beneficia, quae sunt in ecclesiis, ubi pater illegitimi beneficiarius est, vel fuit.

Ex privilegio apostolico mendicantibus concesso a Sixto IV. dispensare cum subditis suis regularibus possunt eorum superiores.

Dispensatio impetrata super defectu natalium, hoc ipso, quod a jure communi exorbitet, odiosa est, et restringenda.

Filii presbyterorum et clericorum possunt esse legitimi, si scilicet ante clericatum, ex legitima uxore sint procreati; et illegitimi si procreati sint post ordinem sacrum susceptum.

Filii illegitimi clericorum, etiamsi dispensationem super defectu natalium obtinuerint, obtinere tamen non possunt ullum benefi-

Digitized by Google

cium, aut quoquo modo ex officio ministrare in ecclesia, in qua ipsorum pater beneficium aliquod quodcumque habuit: et si in tali ecclesia instituti vel recepti sint ad ministerium aliquod, inde amoveri debent.

Haec incapacitas procedit.

1.° Etiam in filiis illegitimis clericorum, susceptis ante clericatum:

2.° In susceptis a patre clerico, etiam in minoribus solum constituto:

3.° Etiamsi hujusmodi illegitimi filii pater in ecclesia non fuerit canonice institutus, sed simplex tantum officium sine titulo exercuerit:

4.° Quamvis pater in ecclesia sedem, seu locum v. g. in ejus choro habuerit sine fructibus, solum ratione dignitatis in alia ecclesia obtentae:

5.° Quamvis filius illegitimus religiosus sit factus.

In eadem ecclesia regulari filius illegitimus et ejus pater, jure antiquo, poterant simul esse monachi; quod vetatum est jure posteriori, scilicet post constitutionem Gregorii XIV. edit. mart. 1590.

Filii legitimi sine dispensatione papae incapaces sunt ad obtinenda *immediate* beneficia, quae patres eorum in titulum habuerunt.

E converso non prohibetur pater succedere in beneficio filii.

Nepotes illegitimi prohibentur, ut filii, succedere immediate ad beneficia avi, vel patrui vel avunculi.

Nepotes legitimi autem prohibentur in linea recta succedere ad beneficium avi, mortuo ipso avo, ut vitetur haereditaria successio, non autem ipso avo vivente.

Hoc non observatur in linea collaterali, nam beneficium patrui vel avunculi *immediate* potest obtineri a nepote, etiam illis mortuis.

Nepos natus legitime ex filio illegitimo poterit in beneficio avi succedere, vivente patre, non vero post mortem patris, si hic pater legitimatus fuit, et succedere potuit in bonis paternis.

Item nepos legitimus ex filio illegitimo procreatus beneficium poterit obtinere in eadem ecclesia in qua avus beneficium habet, vel *habuit*.

Tria sunt genera *servorum*.

1.° Alii vero *proprie dicti*:

2.° Alii adscriptitii, sive originarii:

3.° Alii famuli conductitii.

Servi proprie dicti a JCtis definiuntur « homines qui jure gentium

contra naturalem libertatem dominio nostro subjiciuntur. Tales olim fiebant quatuor modis.

1.° Nativitate:
2.° Captivitate:
3.° Venditione sui ipsius:
4.° Revocatione libertatis in servitutem.

Adscriptitii dicuntur qui glebae, sine fundo colendo adscripti et personaliter obligati sunt, ita ut a coltura sine voluntate domini eos manumittentis recedere nequeant. Originarii appellantur qui ex ita adscriptitiis nati sunt.

Famuli conductitii qui abusive solum dicuntur servi, quod operam pro annua mercede dominis suis locent.

Tam servi proprie dicti, quam adscriptitii sive originarii prohibentur ab ordinibus; non autem famuli conductitii.

Irregularitas ex defectu libertatis tolli potest *dispensatione* et *manumissione*.

Dispensare potest solus papa, nunquam episcopus.

Ut manumissus ordinari possit, dominus nullas debet sibi reservasse operas *temporales*; nam spirituales potest.

Si de facto servus aliquis ordinetur, distingui oportet utrum sciente domino hoc factum sit, vel ignorante.

Si primum, servus etsi minores dumtaxat ordines, vel primam etiam tonsuram acceperit, hoc ipso fit liber.

Si secundum, et susceperit ordines minores tantum, manet servus: si majores suscepit, iterum distinguendum est, an episcopus sciverit servum esse, vel non.

Si scivit, statim fit liber, in officio permanet, et episcopus tenetur domino dare duos servos aeque bonos, vel eorum aestimationem.

Si ignoravit, tunc ordinatus (si subdiaconus vel diaconus sit) debet alium servum aequalem praestare domino, aut sui aestimationem; quod si non fecerit, intra annum poterit a domino revocari in servitutem.

Si vero sacerdos jam factus sit nunquam restituitur domino; sed aut peculium cedit; aut satisfacit in operis spiritualibus.

Filius familias etiam sine licentia patris ad ordines ss. promoveri potest.

Clericatus, excepta dignitate episcopali, non liberat a patria potestate.

Servus, si inscio domino religionem ingressus sit, intra triennium restitui adhuc poterit domino ipsum repetenti.

Repelluntur etiam ab ordinibus obligati ad ratiocinia, scilicet
1.° Thesaurarii, quaestores etc.
2.° Tutores, curatores probabiliter :
3.° Conductores vectigalium etc.

Poterunt tamen admitti, si praestent cautionem, aut fidejussores.

Solus pontifex potest ab hac irregularitate dispensare.

Alterum caput irregularitatis est vitium corporis; quod consistit vel
1.° In mutilatione :
2.° Vel in debilitatione :
3.° Vel in deformitate

Mutilati dicuntur qui membro aliquo carent, ex. gr. lingua, oculus, manus etc. :

Irregulares etiam sunt, qui indiscreto zelo, vel causa retinendae vocis se ipsos castravere.

Qui inscii aut inviti passi sunt aliquam mutilationem, quae ordinis exercitium non impediat, irregulares non fiunt.

Debilitati dicuntur, qui licet membra omnia et integra habeant, eorum tamen unum saltem inutile et insufficiens habent ad ministerium praestandum ad quod a natura est ordinatum; ut oculus coecus, auris surda, etc.

Deformes sunt qui notabilem maculam, vel membri alicujus defectum, excessum, contractionem, vel distorsionem habent, ut sine indecentia, horrore, aut risu conspici nequeant.

Quando vitium corporis supervenit post susceptos ordines sine propria culpa ordinati, per illud non inducitur irregularitas simpliciter, sed tantum quoad illum ordinis actum, quem sine irreverentia exercere ordinatus non potest.

In dubio, an deformitas irregularitatem inducat, judicare spectat episcopo.

Ab hoc impedimento solus pontifex regulariter potest dispensare.

Ex bigamia item procedit irregularitas.

Ea triplex est; vera, interpretativa, et similitudinaria.

Bigamia vera contrahitur ab eo, qui matrimonium successive cum duabus vere et valide contraxit et consummavit utrumque.

Bigamus censendus est ille, qui duas uxores ante baptismum, vel unam ante, alteram post illum susceptum duxit.

Nec bigamus nec irregularis est qui cum meretrice una, vel pluribus saepius fornicatus est.

Bigamia *interpretativa* contrahitur ab eo qui praesumptione juris duas uxores habuisse censetur. Tribus modis hoc accidit.

1.° Si quis de facto ineat duo matrimonia ob impedimentum aliquod dirimens de jure invalida, vel unum validum, aliud invalidum, et utrumque consumet.

2.° Si quis matrimonium contrahat cum vidua a priore viro carnaliter cognita, vel cum corrupta ab alio extra matrimonium, cumque ea matrimonium contractum consumet.

3.° Si vir accedat ad uxorem propriam postquam per adulterium ab alio est corrupta.

Bigamiam *similitudinariam* contrahit ille, qui post susceptum sacrum ordinem, vel editam professionem in religione approbata, cum unica et virgine matrimonium de facto contrahit et consummat.

Poena bigamum ordinantis est ut talis Episcopus incurrat suspensionem a collatione eorum ordinum, quos ipsi contulit, et a celebratione missae per annum; quae poena melius dicenda est *ferendae sententiae*.

Poena bigami absque dispensatione ordinati duplex est.

1.° Privantur susceptione, usu et executione omnium ordinum.

2.° Si sint in minoribus constituti, omni privilegio clericali ipso facto expolientur.

Solus pontifex potest dispensare cum omnibus bigamis; Episcopus et praelatus regularis potest tantum in bigamia *similitudinaria*: in ceteris non nisi aliquo speciali casu.

De peregrinis, hoc est extraneis, praesertim vagis et ignotis tria statuuntur.

1.° Ut non conferantur iisdem quicumque ordines, etiam prima tonsura, nisi literas *dimissorias* ab episcopis suis habeant.

2.° Ne quis ad superiorem ordinem promoveatur, nisi exhibeat praeter dimissorias etiam litteras *formatas*, seu ordinum susceptorum testes.

3.° Iidem clerici peregrini et ignoti, etiam postquam ordinati sunt, ut ad divina celebranda admittantur, instructi esse debent litteris *commendatitiis*, quae etiam de moribus et doctrina testimonium praebeant.

Episcopus sine ulla probata ratione nequit denegare literas commendatitias sacerdotibus alio discessuris.

Si clericus peregrinus literas Episcopi sui amisit, poterit per testes idoneos probare suam idoneitatem et bonos mores.

Per juramentum non admittuntur ad celebranda divina officia nisi *privatim*.

De officiis Ecclesiasticorum, et primum de Archidiacono.

Archidiaconus graeca vox, *principem diaconorum* significat.

Diversimode, pro diversis temporibus hoc nomen acceptum est.

Posterioribus Ecclesiae **soeculis** Archidiaconus **habitus est vicarius** proximus episcopi , omnem solicitudinem et curam tam in clericis , quam eorum ecclesiis habens.
Officium et potestas archidiaconi secundum ecclesiarum consuetudinem variat ; imo in aliquibus haec dignitas deficit.
De jure communi ad archidiaconum pertinet
1.° Curare ut officium divinum rite fiat.
2.° Habere curam vasorum et thesauri ecclesiae.
3.° Ipsas ecclesias , cum opus sit , restaurare.
4.° Loco episcopi , quae corrigenda corrigere :
5.° Promovendos ad ss. ordines , et beneficiis ecclesiasticis praeficiendos examinare , illosque postea episcopo sistere, ut ab eo approbentur :
6.° Abbates , abbatissas , et alios beneficiatos in corporalem possessionem immittere etc.
Archidiaconus ex vi officii sui non potest
1.° Alicui committere animarum curam.
2.° Dare literas commendatitias vel dimissorias.
3.° Excomunicare , suspendere etc.
Archidiaconatus est *dignitas* proprie accepta , scilicet praeminentia cum jurisdictione ; et in hoc differt a *personatu* qui est praeminentia sine jurisdictione ; et ab *officio* quod est administratio sine jurisdictione.
Ut quis in Archidiaconum eligatur sufficit ut sit diaconus , magister in theologia , aut saltem licentiatus in jure canonico , ut annum 25 expleverit , si annexam habeat curam animarum ; secus sufficit annus 22.
Archidiaconus pluribus differt a vicario generali episcopi ; nam
1.° Archidiaconus est vicarius episcopi natus et perpetuus ; vicarius generalis est datus ac temporalis.
2.° Jurisdictio archidiaconi descendit a jure ; illa vicarii ab episcopo praefinitur.
3.° Archiepiscopus propriam et distinctam ab episcopo jurisdictionem habet , adeoque admittitur appellatio ; vicarius habet jurisdictionem indistinctam ab episcopo.
Archipresbyter est princeps sacerdotum ; duplex est , alter civitatensis ; ruralis alter seu forensis.
Plura sunt officia archipresbyteri *civitatensis* , ut scilicet
1.° Curam animarum gerere.
2.° In absentia episcopi missarum solemnia celebrare.
3.° Praecipere custodi ut in sacrario eucharistia non desit pro infirmis.

Archipresbyter censetur habere dignitatem et personatum ; modo praeest decano et praeposito ; modo illis subest , pro varia locorum consuetudine. .

Officium archipresbyteri *ruralis* est tum plebis , tum presbyterorum inspectionem gerere, et ea quidem quae minora sunt , sine figura judicii decidere ; majora autem ad episcopum referre.

Primicerius , antiquum nomen , inde sumptum quod primus inscriberetur in cera , seu tabula cerata , hic *cantorem* significat.

Primicerius praeest diaconis et aliis clericis in docendo ; curat ut inter eosdem servetur disciplina , et *dignitate* gaudet.

Sacrista qui etiam *thesaurarius* dicitur , est ille ecclesiae minister, qui immediatam curam sacri thesauri habet.

Officium illius est , calices , patenas thuribula , candelabra, aliaque ejusmodi instrumenta et ornamenta ecclesiastica curare et ordinare.

Custos est sacristae veluti minister : nam ad officium ejus pertinet rei divinae instrumenta minus pretiosa custodire.

Alii sunt vicarii *nati* ut archidiaconus et archipresbyter, alii vero sunt *dati* ; qui duplicis generis sunt , scilicet Vicarius in divinis , et vicarius jurisdictionis.

Vicarius in divinis est qui in divinis ministeriis et cura animarum, sive iis quae ad forum internum conscientiae pertinent , vices alterius gerit. Alius est *perpetuus* , alius *temporalis*.

Perpetuus est qui, aliqua ecclesia assignata sibi, ex hujus proventibus debita portione , authoritate legitima, canonice instituitur , ita ut ad libitum et extra casus jure expressos amoveri nequeat.

Nominatio vicarii perpetui spectat ad rectorem principalem , et si patronatum sit hujusmodi beneficium , opus est etiam consensu patroni.

Institutio autem hujusmodi vicarii debet fieri ab episcopo , praevio examine.

Vicarius perpetuus , si in ecclesia parochiali sit canonice institutus, acquirit jus reale , ac verum titulum canonicum beneficii, non quidem directum , qui est penes rectorem principalem , cujus vices gerere dicitur , sed utilem pensionis ex annuis parochiae reditibus sibi assignatae. Hinc verum beneficium habere censetur , et aequiparatur parocho, ita ut quidquid statutum est jure, etiam in ipso locum habeat.

Vicario perpetuo parochiae administratio in divinis competit , etiam praesente rectore principali.

Vicarius *temporaneus* pluribus causis constitui potest

1.° Quando ecclesia per rectoris obitum vel renuntiationem vacat.

Digitized by Google

2.° Ob defectum legitimae aetatis, infirmitatis rectoris ejusdem ecclesiae.

3.° Propter diversitatem idiomatis, vel justam abseotiam.

4.° Quando rector ex dispensatione simul obtinet duas ecclesias parochiales vel alia beneficia curata.

5.° Quaodo religionem ingressus versatur in probatione.

6.° Quando divini cultus incrementum ex vicarii substitutione speratur.

Episcopus potest constituere vicarium temporaneum io ecclesiis et beoeficiis sibi subjectis, ob curam generalem, quam in dioecesim suam exercet.

Et etiam praelatus ecclesiae vel parochus substituere sibi potest vicarium temporalem ex sacerdotibus approbatis.

Io ecclesiis parochialibus, quae perpetuo anocxae suot capitulis, monasteriis et aliis piis locis, spectato jure communi vicarius perpetuus constitueodus est; aliquae excepliooes tameo recensentur.

Ejusmodi vicarius, sive a parocho, sive ab ipso episcopo constitutus sit, jus quidem et titulum io beoeficio, in quo vicarius constitutus est, nullum acquirit, curam tamen aliasque functiones parochiales omoes exercet iostar ipsius parochi, cujus nomine administrat, et peoes quem jus parochiale et curatum, sive actu, sive habitu permanet.

Probabilius est vicarium *perpetuum* substituere sibi similem alium seu vicarium perpetuum posse; secus dicendum est de vicario *temporaneo*.

Officium *vicarii in divinis* finitur morte, resignatione, et depositiooe propria, si vicarius sit perpetuus; Si vero temporalis, non tantum his supradictis modis, sed etiam

1.° Morte, resignatiooe, depositione rectoris principalis.

2.° Revocatioue vicarii ab eo, qui illum constituit, facta, ubi non opus est causa, cum ad nutum coostitueutis sit amovibilis.

3.° Si ipse principalis ad officium suum redeat.

Vicarius *jurisdictionis* est is, cui commissa est jurisdictio.

Duplicis generis sunt vicarii jurisdictioois episcopi dati.

Alii jurisdictionem a constitueute diversam etsi subordiuatam et ab eo dependentem habent, uti sunt judices delegati ab episcopo, et *vicarii foranei* dicti.

Alii vero eamdem cum episcopo costituente jurisdictionem habent, quamvis alio modo, videlicet dependenter ab ipso coostituente, cui io eodem tribuoali substituti suot, exerceodam.

Hi tripliciter constitui possuot.

Digitized by Google

1.° In temporalibus tantum; et ita constitutus rectius appellatur *aeconomus*.

2.° In spiritualibus tantum; et tunc vocatur *vicarius generalis* cum addito *in spiritualibus*; in literis autem ultra montes directis *officialis episcopi*.

3.° In spiritualibus simul et temporalibus; et tunc dici solet simpliciter *vicarius generalis*.

Vicarius generalis, si sedes plena sit, constituitur ab episcopo etiam sine consensu capituli.

Si sedes vacet, vicarium generalem intra *octo* dies a die notitiae vacationis constituere vel existentem confirmare debet capitulum.

Si episcopus solus implendo muneri episcopali sufficiat, ad vicarium constituendum cogi non potest.

Vicarius generalis in spiritualibus debet esse clericus, non conjugatus, non bigamus; debet esse idoneus aetate, scientia, et usu rerum, moribus, et pietate; potest tamen esse monachus vel canonicus regularis, sed non ex ordine mendicantium.

Videtur probabilior sententia eorum qui asserunt jurisdictionem vicarii generalis esse *ordinariam* non delegatam.

Vicarius generalis episcopi vi officii sui generaliter ipsi commissi expedire potest negotia et causas omnes, quae ad jurisdictionem episcopalem ordinariam pertinent, exceptis dumtaxat iis, quae speciale mandatum requirunt, quae sunt ex. gr.

1.° Exercere ea quae sunt ordinis episcopalis.

2.° Dare literas dimissorias.

3.° Conferre beneficia, vel praesentare ad eadem.

4.° Admittere et approbare resignationes beneficiorum.

5.° Ecclesias et beneficia unire, dividere, erigere, transferre, vel omnino supprimere.

6.° Dispensare in irregularitatibus, et absolvere a censuris.

7.° Absolvere a casibus Episcopo reservatis.

8.° Dispensare in votis, juramentis, observatione festorum etc.

9.° Denique tractare causas et negotia, quae inter ardua reputantur; qualia sunt visitatio dioecesis, congregatio synodi etc.

Imo hujusmodi causas, etiam sine mandato speciali, tractare potest vicarius generalis vi consuetudinis.

Officium vicarii generalis cessat variis modis.

1.° Morte ipsius vicarii.

2.° Renuntiatione ejusdem.

3.° Morte, renuntiatione, depositione, aut translatione episcopi.

4.° Revocatione ab ipso constituente facta.

Digitized by Google

5.° Suspensione, excomunicatione, vel interdictione sive episcopi, sive ejus vicarii.

Specialia quae ad vicarium capitularem pertinent, sunt sequentia.

1.° Intra octo dies a die vacationis capitulo notificatae eligi debet vicarius capitularis, aut confirmari is, qui plena sede ab episcopo constitutus est.

2.° Tempus hoc dierum octo restringi quidem a capitulo potest; non tamen prorogari.

3.° In electione vicarii capitularis non est necessario observanda forma c. *quia propter 42. de elect.* nec decretum concilii tridentini Sess. 25. c. 6. *de regular* :

4.° Probabilior est sentententia eorum qui asserunt vicarium capitularem vi generalis suae commissionis expedire posse ea quae sede plena indigent speciali mandato.

5.° Capitulum probabiliter non potest revocare vicarium simpliciter et absolute electum, et novum constituere, nisi ex causa bene visa s. congregationi negotiis episcoporum et regularium praepositae.

6.° Vicarius capituli « quod ipsum dicendum est etiam de vicario episcopi » non potest sibi substituere alium omnino similem, seu talem, cui totum ejus officium committatur.

7.° Jurisdictio vicarii capitularis expirat postquam novus episcopus confirmatus fuit, et possessionem episcopatus accepit; tandiu enim sedes vacare censetur.

Delegare in genere nihil aliud significat, quam alium in locum suum substituere, seu vices suas eidem committere; et hinc.

Judex delegatus is erit, qui non munere proprio, sed commissione vel ipsius juris, vel alterius hominis propriam et ordinariam jurisdictionem habentis, immediate vel mediate facta, ideoque alterius vice et authoritate jurisdictionem ab isto derivatam et distinctam exercet.

Judex delegatus multiplex est.

1.° Alii sunt *delegati a jure* sive ex commissione ipsius legis seu canonis; alii *ab homine* seu judice ordinario.

2.° Alii sunt delegati a *supremo principe*, videlicet papa, imperatore, rege etc. Alii *ab inferiore* ex. gr. ab episcopo.

3.° Alii sunt delegati *universales* seu ad universitatem causarum; alii vero delegati *speciales*, seu ad certam vel certas causas.

4.° Quidam sunt delegati *ratione dignitatis*, quam obtinet is, cui delegatio facta est ob dignitatem; Alii contra sunt delegati *ratione personae suae* et non dignitatis, quibus fit delegatio expresso nomine proprio personae delegatae.

Digitized by Google

5.° Denique alii sunt *delegati*, quibus primum delegata, seu demandata fuit jurisdictio; alii vero *subdelegati*, qui a delegatis iterum deleganţur.

Judex delegatus creari tunc potest, quando is, coram quo alias jure ordinario partes instare deberent, vel non vult, vel impeditus non potest causam per se tractare, quam propterea alteri tractandam committit.

Multum interest, an quis *mandatam* an solum *delegatam* jurisdictionem habeat; nam 1. qui mandatam jurisdictionem habet, in multis aequiparatur judici ordinario; 2. etsi mandare jurisdictionem non possit alteri, potest tamen judicem dare, seu delegare ad particularem aliquam causam: 3. eidem integra jurisdictio, idest cum plena potestate exequendi sententiam, adeoque mixtum imperium conceditur. 4. ab habente mandatam jurisdictionem non recte appellatur ad mandantem, nisi hic aliquid jurisdictionis sibi retinuerit, sed appellari ad hujus superiorem debet: Omnia haec contra se habent in jurisdictione delegata.

Jurisdictio, quam habent episcopi in casibus, quibus jus commune concedit ipsis facultatem procedendi adversus exemptos, probabilius non est *ordinaria*, sed *delegata*; ex quo sequitur.

1.° Quod in casibus, in quibus episcopus praecise vi ejusmodi specialis commissionis procedit, ab ipso non ad archiepiscopum, sed ad sedem apostolicam, tanquam delegantem appellandum sit.

2.° Quod haec jurisdictio, sede vacante, non transeat ad capitulum; quia hoc episcopo non succedit in iis, quae eidem jure speciali competunt.

Quivis ordinarius judex potest delegare potestatem sibi competentem, non tamen omnem sine consensu principis, et in perpetuum.

Delegatus a papa, vel alio supremo principe potest etiam subdelegare; dummodo non sit electa industria personae.

Non omnes possunt delegari; aliqui enim prohibentur natura; alii lege vel *canone*; alii tandem consuetudine.

A natura prohibentur *surdi*, *muti*, perpetuo *amentes*, *infantes*, *impuberes*.

A canone prohibentur *infames*, *excomunicati*, etc.

Consuetudine denique prohibentur servi et foeminae.

Minores 20 annis possunt delegari, si tamen 18 annos excesserint, si vel princeps talem scienter dederit, vel partes in ipsum consenserint.

Laici non possunt delegari ad causas *spirituales*, et *ecclesiasticas*, sed pontifex, qui est supra omne jus ecclesiasticum, dispensare a regula generali potest.

In delegatis a papa requiritur dignitas aut saltem personatus: Delegatus ab episcopo potest esse etiam simplex sacerdos.

Superior, seu judex ordinarius potest causas suas delegare etiam illi, qui non est quoad personam subjectus jurisdictioni delegantis.

Pluribus judicibus eadem causa delegari potest; idque fieri potest sive in solidum, sive in non solidum et simpliciter.

Si in solidum dati sunt, locus est praeventioni, ita ut si unus de causa sine ceteris cognoscere coeperit, alii se intromittere nequeant, nisi qui eos praeoccupavit infirmitate, vel alia causa sit impeditus, aut procedere malitiose nolit.

Si duo, vel plures delegati sint simpliciter et non in solidum, ad eamdem causam, non potest unus procedere sine altero, aut sine illo ferre; et si procedat vel ferat sententiam; processus est ipso jure nullus.

Rsgulariter delegari possunt omnes illae causae, quae ad ordinariam delegantis jurisdictionem pertinent.

Delegari possunt etiam ea, quae sunt ordinis, modo is, cui demandantur, competentem ordinem habeat.

Causas autem meri et mixti imperii, verius est de jure civili saltem ordinarie, delegari non posse; quod pariter dicendum est de jure canonico, quanquam nonulli dissentiant.

Jurisdictio voluntaria ad merum vel mixtum imperium pertinens, si concessa sit alicui ratione officii sui et dignitatis, et huic perpetuo annexa, delegari alteri potest, nisi in concessione expressum sit, ut per seipsum illam exerceat.

Potestas distinguitur ab *officio*, liceat aliquoties promiscue accipiantur; nam *potestas* consistit velut in habitu sive actu; *officium* vero ipsum actum seu exercitium significat. Deinde per *potestatem* denotatur quid possit facere judex delegatus ratione delegationis sibi factae; per *officium* vero quid debeat ac teneatur facere.

Relate ad *officium* varia spectanda sunt.

Et 1.° judex delegatus non potest procedere ante rescriptum delegationis sibi praesentatum; ex quo sequitur quod in rescripto, quo confertur jurisdictio, attendi debeant tempus non datae, sed praesentatae.

2.° Exhibere debet literas seu mandatum delegationis suae in forma authentica; ejusque copiam facere partibus litigantibus co-

Digitized by Google

ram se comparentibus, ut fides ipsi habeatur de accepta potestate.

Delegatus accurate observare debet formam, quae praescripta est in delegationis rescripto, et admittere debet necessarias probationes et rationabiles exceptiones, frivolas vero rejicere.

Delegati officium est ut deferat legitimae appellationi, cum enim haec sit quaedam sui defensio in innocentiae subsidium comparata, eidem judex delegatus, non minus ac ordinarius, si legitime sit interposita, deferre debet.

Potestas delegati, generatim loquendo, ex authoritate et potestate delegantis metienda est, et ex mandato concesso; et vi hujus potestatis delegatus facit omnia sine quibus exsequi mandatam jurisdictionem non potest. In specie vero potest

1.° Citare partes inter se contendentes ut compareant; et si legitime citatae comparere, aut ejus mandato alias parere contumaciter recusent, illas potest remediis opportunis ad id compellere.

2.° Hanc potestatem puniendi et compellendi exercere potest non solum ad partes litigantes, in quas ei jurisdictio est delegata, sed etiam ad alios, qui jurisdictionem ejus vel processum caussae impediunt aut malitiose retardant.

3.° Potest judex delegatus, si ei pars citata objiciat jurisdictionis defectum, cognoscere regulariter, num sua sit jurisdictio. Et hinc discrimen inter judicem ordinarium et delegatum; nam judex ordinarius tantum potest cognoscere an sua sit jurisdictio quando ipsi objicitur, quod non sit competens respectu partis citatae, non vero quando ipsi objicitur, quod nullam habeat jurisdictionem. At vero delegatus cognoscere potest, num sua sit jurisdictio, etiamsi pars citata ipsi objiciat quod nullam jurisdictionem habeat, ex capite, quod dicat rescriptum delegationis esse invalidum.

4.° Potest delegatus absolvere actorem ab excomunicatione, quam incurrit post rescripti impetrationem ob causam pertinentem ad eam, ad quam delegatio facta est, nisi illa sit specialiter reservata papae.

5.° Potest delegatus actorem, si probaverit se possedisse et spoliatum fuisse, contra reum absentem, et intra praefixum terminum non comparentem restituere in possessionem, in quo tamen videnda causa absentiae, prout monet Alexander III. c. *consultationibus 10. h. tit.*.

6.° Potest non solum delegatus a papa vel principe, sed probabiliter etiam delegatus a judice ordinario inferiore cognoscere

non tantum de causa sibi commissa, et super ea ferre sententiam, sed deinceps latam sententiam exequi.

7.° Delegatus sedis apostolicae si sententiam suam exequi per se aut ministros suos non possit, aut non velit; ejus exequutionem alteri, et quod frequentissime solet, judici ordinario demandare; et si renitatur, compellere censuris potest: imo, si ita necessarium fuerit, brachii soecularis auxilium implorare.

Officium et potestas judicis delegati pluribus modis cessare potest.

Et. 1.° Si delegatus sententiam pronuntiaverit, camque per se, vel per alium executioni mandaverit, quia tunc censetur *officio suo functus*.

2.° Finito quocumque modo negotio, sive finitum sit absolute et simpliciter, sive quoad ipsum delegatum dumtaxat.

3.° Si judex delegatus interloquendo pronuntiet sibi nullam jurisdictionem seu potestatem in causa delegata competere.

4.° Finitur recusatione delegati:

5.° Finitur lapsu termini, seu temporis ad dicendam causam praefixi, nisi iste communi partium consensu sit prorogatus.

6.° Revocatione delegantis.

7.° Morte ipsius delegantis:

8.° Morte delegati, etiam re non integra.

9.° Morte ejus, qui vi rescripti conveniendus erat coram delegato.

Conservator, spectato jure communi, est judex delegatus, seu deputatus a papa, vel alio supremo principe ad defendendos aliquos ab injuriis, seu damnis et violentiis *manifestis* absque judiciali causae cognitione.

Judex conservator constitui potest episcopus, vel abbas, aut alius qui dignitatem vel personatum obtinet in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis.

Nonnulla observanda sunt circa conservatores ordinum mendicantium ex Bulla Greg. XIII et S. Pii V., scilicet

1.° Ordines isti praeter personas supra recensitas assumere in judices conservatores, imo et ordinarios ad servanda et tuenda sua jura et privilegia possunt etiam canonicos metropolitanarum vel cathedralium ecclesiarum, et vicarios episcoporum in spiritualibus, eorumque officiales generales ubilibet constitutos.

2.° Iidem eligere sibi ejusmodi conservatores possunt in quibuscumque causis, sive criminalibus, sive civilibus, sive mixtis, sive actores sint, sive rei.

3.° Eorum jurisdictio etiam quoad negotia nondum coepta, ime futura tantum, morte concedentis, non expirat.

Digitized by Google

Jure novo Tridentino nonnulla statuta sunt circa conservatores;

1.° Ut literae conservatoriae nemini, cujuscumque dignitatis et conditionis sit, etiamsi capitulum fuerit, suffragentur, quominus coram episcopo suo, sive alio superiore ordinario in criminalibus et mixtis causis quovis praetextu conveniri possit.

2.° Ut in causis, etiam mere civilibus si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos conservatores judices in judicium trahere minime liceat.

3.° Ut literae conservatoriae impetratae ab aliquo non prosint aliis, neque ejus quidem familiaribus, nisi duobus tantum, et his quidem solum, si propriis ejus sumptibus vixerint.

4.° Ut nemo similium literarum beneficia ultra quinquennium uti possit.

5.° Non liceat conservatoribus judicibus ullum tribunal habere erectum.

6.° In causis mercedum et miserabilium personarum servetur decretum ejusdem S. Synodi.

8.° Denique sub hoc decreto non sint comprehensae universitates generales, ac collegia doctorum aut regularia loca, nec hospitalia, neć eorum personae.

Legatus apostolicus in genere est qui a sede apostolica in certam provinciam mittitur cum potestate administrandi negotia ecclesiastica, quae sunt muneris apostolici.

Fieri hoc potest cum, vel sine jurisdictione; hinc eorum aliqui sunt *meri nuntii et non judices*, alii *vero legati judices*. Priores nudum dumtaxat ministerium habent, posteriores etiam potestatem judiciariam.

Legatorum tres sunt species. *Legatus a latere*, *legatus missus*, *legatus natus*. *Prior* creatur cum mittitur aliquis cardinalis; quia hic quasi a latere pontificis, cui in consiliis et negotiis arduis assistit, mittitur. *Secundus*, si mittatur alius quam cardinalis; *Tertius* si praelaturae suae, aut dignitati ecclesiasticae legationis munus perpetuo annexum habeat.

Officium omnibus legatis commune est loco pontificis exercere jurisdictionem ordinariam in fideles et provincias sibi commissas.

In specie quivis legatus pontificius potest et debet

1.° Reformare mores et corrigere vitia etiam episcoporum et archiepiscopi qui sunt in ejus provincia.

2.° Potest condere statuta non tantum quae durent, quandiu ipse est in officio, sed etiam quae finito illo, perseverent.

3.° Potest causas provincialium ad se devolutas audire, de iis

Digitized by Google

cogooscere, easque, sicut quivis alius ordinarius; alteri delegare.

4.° Denique generatim in provincia sibi commissa regulariter potest ex vi muneris sui, quod potest ordinarius in sua dioecesi sive sit episcopus, sive archiepiscopus vel patriarcha. Imo omnia potest, quae ipse summus pontifex potest, praeter illa, quae in signum singularis praerogativae sunt reservata summo pontifici; haec enim speciali mandato indigent.

Praerogativae *legati a latere* sunt hae.

1.° Ipso praesente, alii legati non possunt uti legationis suae insignibus, nec officio suo fungi.

2.° Jurisdictionem ordinariam in exemptos et sedi apostolicae immediate subjectos habet, exceptis casibus pontifici specialiter reservatis.

3.° A die egressus sui ex urbe usque ad diem reditus in urbem potest absolvere quoscumque percussores clericorum, etiam enormes, ab excomunicatione.

4.° Habet potestatem ordinariam et concurrentem cum quolibet ordinario conferendi beneficia quaelibet sita in proviocia ad quam destinatus est.

Legato misso, seu *nuntio apostolico*, competunt ea omnia quae ex ejusdem commissione vel privilegio conceduntur.

Legati nati specialis praerogativa est quod potestas illus sit diuturnior cum dignitati adhaereat; et hinc potestatem hanc retinet, quamdiu dignitatem cui annexa est, non dimittit.

Officium et potestas legati apostolici variis modis finitur, nam

Officium *legati nati* non finitur nisi dimissa aut amissa dignitate, cui annexum est.

Legati missi et *legati a latere* officium exspirat sex potissimum modis.

1.° Lapsu temporis, si ad certum tempus legatus datus sit.

2.° Finita causa, sive negotio, ad quod expediendum missus est.

3.° Si causam aliquam ad papam retulit, jurisdictio ejus, quoad illam causam, finitur, neque reassumere illam deinceps potest.

4.° Si provinciam sibi commissam sponte egressus sit.

5.° Si is a pontifice, a quo missus est, revocetur; et revocatio eidem legitime innotescat.

6.° Morte denique ipsius legati; legantis vero minime, nisi adjecta fuerit clausula *ad beneplacitum legantis*.

Judices ordinarii, ii scilicet, qui suo jure et ex proprio munere eoque perpetuo jurisdictionem exercent, multiplices sunt. Summum locum in iis obtinet Pontifex romanus, qui sub triplici

respectu considerari potest nempe 1. Episcopi ecclesiae universalis; 2. Episcopi romani; 3. Principis soecularis status ecclesiastici.

Ut *princeps soecularis*, potestas ejus diffunditur per provincias dominio illius temporali subjectas; estque hoc dominium prorsus independens a quocunque alio.

Ut *episcopus romanus* habet potestatem quae se extendit ad urbem Romam et ejus territorium, quam exercet per cardinalem vicarium.

Ut *Episcopus ecclesiae universalis* habet potestatem omnium maximam immediate a Christo datam, et extendit sese ad omnes totius orbis christiani fideles seu baptizatos. Et vi hujus potestatis plures praerogativas habet. Nam

1.° Ipse est certa et infallibis regula veritatis et supremus judex controversiarum fidei, ita ut in iis publico judicio definiendis errare non possit.

2.° Est infallibilis regula morum, ita ut decreta ejusdem, quibus aliquid ut honestum vel inhonestum universali ecclesiae proponit, praecipit, vel prohibet, necessario vera, nullique errori obnoxia esse possint.

3.° Summus Pontifex est etiam infallibilis, et nulli errori obnoxius in canonizatione sanctorum; et in approbatione et confirmatione religionum, saltem quoad ea quae pertinent ad veritatem doctrinae, honestatem instituti, atque aptitudinem hujus ad spiritualem animae salutem et perfectionem consequendam.

4.° Idem Papa, quatenus est universalis ecclesiae episcopus habet potestatem condendi leges, quae ecclesiam totam obligent; et e contra leges ecclesiasticas quascunque relaxandi, ac proinde dispensandi in quibuscunque impedimentis ordinum, vel matrimoniorum, quae jure ecclesiastico introducta sunt.

5.° Obtinet generalem et supremam clavium potestatem a Christo sibi datam, eamque duplicem, in foro scilicet interno et externo, vi cujus absolvere a peccatis quibuscunque, relaxare vota et juramenta, censuris ligare fideles., et solvere ligatos possit, ita ut nihil horum eidem sit reservatum.

Cardinales a cardine dicti, totius enim ecclesiae cardines esse oportet, proximum post summum Pontificem locum obtinent.

Ut eorum origo investigetur, distingui oportet officium, titulus, nomen, et dignitas.

Officium videtur esse coaevum Apostolis, qui post adscensionem domini adstitere s. Petro.

Tituli sunt recentiores, utpote a s. Marcello instituti an. 304.

Nomen cardinalis ante tempora B. Sylvestri extitisse non constat.

Dignitas initio fuit intra episcopos, postea vel a Bonifacio VIII, vel a Clemente V. etiam supra episcopos evecti sunt, et proximo ad summum pontificem loco positi; in cujus eminentiae signum Urbanus VIII ipsis titulum *eminentissimi* dedit, cum prius illustrissimi dicerentur.

Gradus cardinalium sunt tres, videlicet episcoporum, presbyterorum, et diaconorum.

Cardinalium *episcoporum* tituli olim fuere octo, nunc sex recensentur.

Presbiterorum tituli olim fuere 28. num crevere ad 51.

Diaconiae sunt 15, cum olim 14 tantum fuerint.

Ad cardinales multa insignia spectant; scilicet

1.° Eligere summum pontificem.

2.° Adsistere pontifici, consilio et auxilio, in romana et universali ecclesia gubernanda.

3.° Vacante sede pontificia etsi jurisdictio papalis ad ipsos non transeat, ea tamen quae ad electionem papae, et tuitionem ecclesiae adversus pericula imminentia pertinent, facere et ipsi possunt.

Patriarca graecum nomen *summum patrem* sive *patrum et episcoporum principem* denotat.

Veniunt eo nomine praelati, qui non unius dumtaxat provinciae, sed totius regni vel imperii episcopis, et ipsis etiam archiepiscopis praepositi sunt.

Patriarchae sunt duplicis generis Majores, et Minores.

Majores sunt quatuor, scilicet constantinopolitanus, alexandrinus, antiochenus, et hyerosolimitanus.

Minores, qui inter latinos patriarchale nomen sibi vindicant, sunt aquilejensis, venetus, Aetiopiae, et Indiarum.

Primates sunt quidam archiepiscopi potentiores, et qui majores metropoles regunt; officio et potestate a minoribus patriarchis non distinguuntur; sed tantum nomine et titulo.

Archiepiscopus principem episcoporum alicujus provinciae significat, in eo triplex potestas considerari potest, quarum una competit in dioecesin ei subjectam; altera spectat ad coepiscopos, sive suffraganeos; tertia in subditos istorum tendit. De prima nihil hic attinet dicere, quia cum episcopis quibuscumque communis est.

In episcopos *suffraganeos* archiepiscopus habet jurisdictionem ordinariam, cum sit immediatus et ordinarius illorum superior;

habetque super hac illorum subjectione et causarum illos concernentium cognitione intentionem jure communi fundatam.

In subditis suffraganeorum habet quidem ordinariam jurisdictionem, quam tamen exercere non potest, nisi in certis casibus jure expressis.

Episcopus inspectorem significat, atque indicat praelatum dioccesanum, qui in certo alicujus provinciae districtu praeest clero et populo, actuumque in sacris exercendorum et totius disciplinae ecclesiasticae sollicitudinem habet.

Duplex est episcopi potestas, una *ordinis*, altera *jurisdictionis*. Illa potissimum in tribus consistit, videlicet in confirmando, ordinando, et consecrando.

Potestas jurisdictionis est, per quam episcopus constitutuitur judex et pastor ecclesiae suae. Ea est ordinaria; hinc etiam *ordinarius* appellatur.

Potestas jurisdictionis episcopo competit jnre immediate humano, mediate divino; ut communis Theologicorum et Canonistarum defendit.

Jus et potestas episcopi consistit in duplici lege, quarum una vocatur *jurisdictionis*, altera *diocesana*. Multa sunt quae ad hanc duplicem legem spectant, quae tamen nimis longum esset recensere.

Abbas nomen est ab hebraeis assumptum et patrem significat.

In jure nostro plerumque sumitur pro praelato inferiore episcopo.

Abbates sunt duplicis generis. Aliqui *soeculares*, *regulares* alteri.

Potestas varia est; nam aliqui dignitatem solum sine jurisdictione obtinent; alii simul jurisdictionem, eamque vel subordinatam episcopo, qualem habent abbates non exempti, vel ab hoc independentem, qualem exempti.

Praelati regulares exempti habent *in foro interno* potestatem absolvendi subditos suos regulares a quibuscunque peccatis et censuris specialiter non reservatis.

In foro externo possunt inquirere in subditos suos regulares, causas eorum cognoscere, delicta corrigere et punire, carcere etiam, aliisque gravioribus poenis in eos animadvertere, in contumaces ferre censuras excommunicationis et alios incorrigibiles e monasterio expellere, ejectis, donec resipiscant, receptionem denegare.

Possunt dispensare in votis, et juramentis, nec non aliis casibus, in quibus episcopi cum subditis suis dioecesanis jure communi, et tamquam dioecesium ordinarii possunt, nisi specialiter prohibeantur.

Abbates autem, et alii regularium praelati, qui episcopis **subjecti** et non exempti sunt fere similem potestatem habent, quam in foro utroque secundum dicta habent praelati exempti, licet in quibusdam aliquando restrictior.

Abbatissae et aliae praepositae monasteriis monialium possunt administrare et regere monasterium in temporalibus, ejusdem munera committere et auferre, delinquentes corrigere ut moderata castigatione punire, ut quaevis materfamilias potest; habent enim potestatem dominativam, domesticam et maternam.

Imo foeminis de apostolicae potestatis plenitudine potest delegari etiam aliqua jurisdictio spiritualis, modo potestatem ordinis non includat, cujusmodi est potestas condendi legem, ferendi censuram, dispensandi in voto.

Parochus simplex, spectato jure communi, tantum habet jurisdictionem ordinariam in foro interno et conscientiae.

Officium parochi in multis consistit; ex. gr. in celebrando missam, diebus dominicis et festis hora competenti, in administrando Eucharistiam, in audiendo confessiones, in conferendo extremam unctionem, in docendo rudimenta fidei, et alia hujusmodi exequendo ad bonum fidelium sibi commissorum conducentia.

Etiam regulares nonnulli ex privilegio habent potestatem administrandi sacramenta, et verbum Dei praedicandi etc.

Judicis nomen *a jure* sive a *justo dicendo* sumptum est; definitur quod sit persona legitima, quae publicam potestatem habet cognoscendi de litigantium controversiis, et secundum praescripta legum, locorumque consuetudinem de iisdem pronuntiandi.

Judex multiplex est; alius est jurisdictionalis, alius notionalis.

Judex *jurisditionalis* est qui jurisdictioni praeest, seu qui jurisdictionem aliquam obtinet.

Judex *notionalis*, qui etiam *pedaneus* dicitur, est qui nulli jurisdictioni praeest, sed nudam notionem, cognitionem, et pronuntiationem sententiae obtinet.

Judices esse possunt, generatim loquendo, qui vel *natura* vel *lege* non prohibentur.

Jurisdictio describi potest » *Potestas alicujus auctoritatem et eminentiam habentis super alios ex munere publico ad eorum regimen et gubernationem.*

Jurisdictio alia est ecclesiastica, alia politica.

Ecclesiastica versatur circa causas ad Dei cultum et spiritualem animarum salutem pertinentes.

Politica versatur circa causas saeculares et prophanas, et temporalem reip. gubernationem proxime respicit.

Jurisdictio *ordinaria* est, quae ex munere proprio, sive suae dignitatis, officii, vel magistratus, quem quis gerit, exercetur.

Jurisdictio *delegata* est quae exercetur non ex munere proprio, sed praecise ex alterius, sive juris, sive hominis commissione.

Jurisdictio *fori interni* et *externi* quae iterum duplex est; nam alia jurisdictio fori externi est *voluntaria*, alia *contentiosa*. Illa non nisi in volentes; haec etiam in invitos exerceri potest: haec non nisi in proprio, vel si in alieno quandoque, non nisi consentiente judice et partibus inter se contendentibus.

Personalis cohaeret ossibus personae judicis, cum qua etiam extinguitur.

Realis est, quae una cum re v. gr. castro venit, ea lege, ut ipsam accipiens quasi in patrimonio habeat et ad haeredes transmitat.

Jurisdictio *simplex* est quae mercenario officio judicis; *imperium* quod officio ejusdem nobili exercetur; et dividitur in imperium merum et mixtum.

Merum imperium est jurisdictio quae nobili judicio, officio, utilitatem publicam spectante, exercetur;

Imperium mixtum est jurisdictio quae exercetur nobili officio judicis respiciente utilitatem privatam.

Jurisdictio ordinaria acquiritur tribus modis 1. a principe, cui acquiparatur respublica sive populus. 2. a lege seu canone 3. ex consuetudine legitime praescripta.

Illi judices censentur dati a lege nel canone, qui secundum praescriptum legis vel canonis ab homine publicam potestatem habente, vel ab universitate seu collegio constituuntur.

Potestas judicis finitur pluribus modis.

1.° Lapsu temporis:
2.° Morte ejus, cui data est:
3.° Resignatione legitima officii:
4.° Depositione ejusdem ab officio:
5.° Translatione illius:

Officium judicis est potestas, quae ad dirimendas lites, tollendaque gravamina quomodolibet secundum aequitatem exercetur, ut per hoc omnium tranquillitati privatim et publice consulatur.

Aliud est *mercenarium* nempe illud, quod actioni civili in judicio propositae subservit et impenditur.

Nobile officium judicis est, quod per se stat, h. e. quod non praecise deservit et alligatur actioni vel exceptioni propositae a litigante, sed a judice sua authoritate, sive motu proprio, et parte non implorante exercetur.

Digitized by Google

Obligatio judicis est, ut sincere, atque secundum jura et aequitatem judicet.
Judex ex officio potest supplere quae juris sunt, non vero ea quae ad factum spectant, saltem regulariter.
Judex debet amplecti sententiam in expressa lege fundatam, etiam quando sententia contraria ipsi videtur aequior.
Judex autem non tenetur sequi communem sententiam, quando contraria ipsi apparet probabilior.
Judex non potest condemnare reum, qui de crimine nondum convictus, vel in judicio sponte confessus est, etiamsi per privatam scientiam certo sciat eum nocentem esse.
Quod si judex privata scientia cognoscat reum esse innocentem, debet probare media omnia, omnemque diligentiam adhibere ad eum liberandum.
Quod si denique is, quem judex certo scit esse innocentem, per allegata et probata convictus sit, neque ullo remedio possit salvari; quaeritur an judex per sententiam comdemnari possit.
Tres sententiae habentur; probabilior, cui subscribit Auctor, est quae distinctionem init inter *causas civiles* nec non *criminales minores*, et causas *criminales majores*. In primis judex poterit ferre sententiam secundum acta et probata; non autem in secundis, ubi agitur de poena mortis, vel mutilationis, quo casu istius sententiae patroni volunt, judicem, si aliter declinare condemnationem innocentis nequeat, teneri potius cedere officio suo, quam sententiam in innocentem ferre.
Majoritas in genere est excellentia unius personae:
In clericis variis modis potest contingere.
1.° Ante omnia attendenda est excellentia *dignitatis*. In quo ordine *primum* in orbe christiano locum obtinet summus Pontifex; *secundum* Cardinales S. R. E.; *deinde* patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi, aliique praelati; *denique* ceterii clerici.
Inter eos qui dignitate sunt pares; attendenda est praerogativa ordinis; hinc cardinales episcopi praecedunt cardinales presbyteros etc.
Siqui dignitate et ordine plures sunt, de jure attendi deberet ad dignitatem vel praecedentiam ordinantis.
Si cetera omnia paria sunt, majoritatem seu praeminentiam dabit prioritas temporis.
Denique praeminentiam aliquoties tribuit privilegium;
Abbates et praelati regulares cedunt canonicis cathedralibus collegialiter incedentibus, secus si incedant singuli.

Vicarius generalis episcopi *sede plena* primum locum post episcopum obtinet; *sede vacante* locum istum cedit praeposito, decano vel alteri dignitati capituli. Et hoc *de jure*, nam de consuetudine varia habentur.

Protonotarii Apostolici si *partecipantes* sint, quanquam olim archiepiscopopos ipsos anteirent; hodie proximum post episcopos locum obtinent.

Si non partecipantes tanto privilegio non gaudent, sed praeferuntur clericis praelaturam non habentibus.

Ecclesia *cathedralis* praecedit ceteras ecclesias ejusdem dioecesis.

Inter canonicos cathedrales, *de jure* primus est archidiaconus; huic accedit archipresbyter; *sed consuedo* variat.

Post canonicos collegiatarum ecclesiarum veniunt rectores curati, plebani cum reliquo clero soeculari.

Post clerum soecularem sequitur clerus regularis; atque inter hos primi habentur *canonici regulares* deinde *monachi*, postremo *mendicantes*.

Compositio controversiarum quae oriuntur circa praecedentiam pertinet generaliter *episcopo* dummodo non agatur de judicio *possessorio*, quod in quaestione facti consistat, tunc enim etiam ad judicem soecularem controversia deduci potest.

Obedientia in tribus consistit:

1.° Ut ei cui debetur, exhibeatur reverentia.

2.° Ut justa ejus mandata observentur.

3.° Ut ei in judicio pareatur, nisi subditus ab hoc per interpositam appellationem absolvatur.

Summo Pontifici debetur obedientia ab universa ecclesia.

Episcopo debetur a dioecesanis sibi subditis.

Cardinalibus debetur a capellanis et aliis clericis sibi ratione ecclesiae, cujus titulum habet, subjectis.

Praelatis et *superioribus regularibus* debetur obedientia a religiosis sibi subjectis.

Abatissis debetur a monialibus:

Denique debetur *cuicumque superiori legitimo* non tantum cum justa praecipit, quod certum, sed etiam *cum dubium sit*.

Episcopo obedientiam vario modo debent promittere clerici, nam clerici *curati* tenentur *juramentum* obedientiae praestare episcopo juxta consuetudinem ecclesiae: clerici *simplices* vero satisfaciunt si *promissionem* obedientiae praestent verbaliter, aut manualiter.

Idem de regularibus.

Minor seu *inferior* clericus non potest exercere jurisdictionem in ma-

Digitized by Google

jorem seu *superiorem*, nisi hic sponte illi subjciatur; vel major extraneus delinquat in alieno territorio.

Si componenda sit controversia inter clericos de superioritate unius et subjectione alterius, vocandi sunt *illi quorum interest*.

Poena contra hujusmodi inobedientes duplex est secundum diversitatem deliquentiae; nam

Qui decretis et statutis episcoporum non obtemperant *excomunicari* possunt.

Qui non obediunt constitutionibus canonicis incurrunt *notam* inobedientiae, quae quodammodo infamia habetur.

Bellum, ut nonnulli opinantur, per antiphrasin sic dictum est, quod minime bellum et jucundum sit: Alii illud derivant a *belluis*.

Definitur a S. Thoma *discordia principum vel rerum pubblicarum vim et arma sibi mutuo inferentium*. Nam si oritur discordia inter principem et rempubblicam sibi subjectam *rebellio* est; si inter cives et rempublicam *seditio*; si inter privatos *duellum* vel *rixa*. Bellum est duplex, defensivum et offensivum,

Defensivum est quo vis et injuria illata vel inferenda repellitur;

Offensivum seu aggressivum, quo damnum aut injuria illata reparatur

Bellum defensivum sine dubio licitum est; offensivum, quanquam nonnulli ex antiquis, et aliqui ex recentioribus haereticis dicant esse illicitum; tamen si conditiones aptae ponantur, est dogma fidei licitum esse.

Conditiones hujusmodi tres habentur.

1.° *Legitima authoritas*;

2.° *Causa justa*.

3.° *Recta intentio*.

Causa *generalis* belli inferendi est *accepta injuria* eaque gravis; *particulares* plures recensentur

1.° Ut recuperetur provincia, aut civitas, quae multum intersit.

2. Ut vindicetur gravis contumelia illata principi vel reipublicae:

3.° Ut ultio sumatur de gente vel principe, qui hosti injustum bellum gerenti auxilium praebet.

4.° Ut animadvertatur in eos qui foedus violarunt:

5.° Ut impetrentur ea quae jure gentium permissa sunt, et per injuriam denegantur.

6. Ut sociis auxilium justum afferatur etc.

Quanquam nonnulli negant a prosecutione belli cessandum esse, si, eo jam coepto, *competens* satisfactio offeratur a parte adversa; tamen melius tenetur affirmativa sententia; dummodo satisfactio sit competens, hoc est:

1.° Ut damna etiam sarciantur:

2.° Ut impensae refundantur :

3.° Ut ad supplicium offerantur illi ex parte adversa, qui fuerint morte digni.

In bello juste suscepto non permittuntur nisi ea quae *necessaria* et *valde convenientia sunt.* Hinc prohibetur

1.° Usus amulethorum et praesidiorum magicorum.

2.° Venenatio armorum, annonae, fontium etc.

3.° Expoliatio ecclesiarum, aliorumque locorum sacrorum, vel religiosorum.

4.° Spoliatio peregrinorum, mercatorum, ruricolarum etc.

5.° Privatio libertatis :

6°. Violatio treugae :

Doli et *insidiae* permittuntur quanquam nonnulli dissentiant.

Innocentes occidere, et bonis eos spoliare neutrum per se est licitum, sed per accidens ita efficitur.

Treuga est *securitas personis et rebus praestita ad tempus, bello nondum finito*, ac proinde differt a pace, quia pax discordiae imponit finem.

Treuga alia est *legalis* seu *canonica*, quia lege vel canone constituta est ; alia *conventionalis* quia partium consensu praefinitur

Legalis treuga subdividitur in perpetuam et temporalem

Perpetua dicitur, quae sine dierum discrimine conceditur, quam habent clerici, ruricolae etc.

Temporalis quam habent ceterae personae et res ad saeratiora anni tempora et dies.

Treuga etiam conventionalis accurate servanda est.

Etiam diebus festivis bellum justum prosequi posse tutior sententia habetur.

Treuga canonica tamdiu durat, quamdiu stat ratio, ob quam data est Conventionalis vero cessat:

1.° Si deficiat conditio.

2.° Si tempus conventum elapsum sit :

3.° Si ab alterutra parte treuga fuerit violata.

Pax est *finis belli.*

Superior tam ecclesiasticus, quam soecularis poterit cogere partes litigantes ad pacem, si pubblica sint dissidia; si vero privatim in judicio contendant, *ordinarie* non potest, nam

Excipiuntur tres casus.

1.° Si exinde bellum publicum timeatur:

2.° Si causa sit valde intricata, nec spes adsit controversiam brevi finiendi :

3.° Si causa sit talis, quae principis liberae dispositioni subjecta sit, ut sunt causae beneficiariae respectu papae.

Damna propter bellum privatis illata compensari debent ex bonis hostium, si aliqua sint et sufficiant; secus resarciri debent a comunitate, cujus gratia bellum susceptum est. Atque id evenit quoties bellum sit justum.

Si vero injustum sit, tunc tenetur princeps, qui illud suscepit, ex propriis bonis damna pensare.

Pactum generice sumptum definitur ab Ulpiano *duorum vel plurium in idem placitum consensus.*

Specifice acceptum significat *conventionem, quae fit super re certa et gratuito, id est animo donandi*, atque ita differt

1.° A contractu *proprie et stricte accepto*, quae comprehendit conventiones ultro citroque obligantes.

2.° A *transactione* quae initur de re dubia, aliquo dato, vel retento, vel promisso:

3.° *A pollicitatione* seu simplici promissione et nondum acceptata

4.° *A testamento, codicillo*, omnique alia *ultima voluntate.*

5.° *A judicio* et sententia consiliariorum, et doctorum in idem conspirantium.

Plures sunt pacti divisiones; praecipue dispescitur in publicum et privatum, in promissorium et liberatorium, expressum et tacitum, nudum et vestitum.

Publicum quod ob utilitatem reipublice contrahitur.

Privatum ob utilitatem privatorum.

Promissorium est, quo paciscentes ad aliquid dandum vel faciendum obligantur.

Liberatorium quod liberationem ab obligatione inducit.

Expressum quod vel verbis, vel alio modo declaratum sit.

Tacitum quod ex aliquo facto elicitur

Nudum quod in nudis placiti finibus consistit.

Vestitum quod proprium nomen, vel aliud adminiculum habet.

Octo modis pacta nuda vestiuntur.

1.° Si transeat in contractum specificum genere suo perfectum.

2.° Si ex alterutra parte sit secuta traditio rei, vel impletio promissionis.

3.° Si pacto nudo accedat stipulatio:

4.° Si in continenti adjungatur ad pactum legitimum.

5.° Si pactum fiat in judicio:

6.° Si super ejusmodi pacto instrumentum publicum confectum sit.

7.° Si adjiciatur juramentum:

8.° Si tale pactum legis assistentiam sive privilegium habeat.

Digitized by Google

Pollicitatio non acceptata nullam, neque in foro conscientiae, parere obligationem verior est sententia.

Promissio praesenti et tacenti facta eo ipso non censetur tacite acceptata, quanquam nonnulli dissentiant.

Pactum nudum, postquam acceptatum est, inducit obligationem praestandi id quod promissum est, saltim naturalem; inducit exceptionem contra paciscentem, non autem actionem civilem.

Et ne jure canonico quidem, licet aliqui contra contendant.

Pacisci possunt qui non prohibentur; prohibentur autem aliqui natura, aliqui lege, et alii canone. Natura prohibentur

1.° *Infantes*:

2.° *Amentes*, *mente capti*, *et furiosi*.

3.° *Ebrii* graves:

4.° *Surdi et muti* simul.

Jure ecclesiastico prohibentur

1.° *Praelati* et administratores ecclesiarum et monasteriorum super rebus immobilibus, vel mobilibus pretiosioribus.

2.° Religiosi super rebus omnibus.

Excipiuntur tres casus.

1.° Si paciscatur ex facultate superioris.

2.° Si religiosus stipuletur pro monasterio.

3.° Si id, circa quod religiosus paciscitur, sit actio personalis ex se non inhonesta.

Lege prohibentur pacisci

1.° *Impuberes seu pupilli*, nam hi sine auctoritate tutoris non obligantur, nisi conditionem suam meliorem faciant:

2.° *Minores* 20 annis: et si curatorem habeant prohibentur circa omnes res; si non habeant, de immobilibus tantum et pretiosis prohibentur; de ceteris minime; salva tamen restitutione in integrum.

3.° *Prodigi*, quibus interdicta administratio.

4.° *Servi*, jure civili inspecto.

5.° *Filii familias*, nisi de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus sermo sit, in quibus tanquam patresfamilias habentur.

In peculio adventitio *ordinario* necessarius est consensus patris, minime vero in *extraordinario*.

Etiam in peculio *profectitio* filius valide potest contrahere, quando scilicet pater ejus administrationem concessit; praesumitur enim pater consentire.

Filiusfamilias ex mutuo sine consensu patris contracto non obligatur, ope S. C. Macedoniani; sed excipiendi sunt nonnulli casus.

1.° Si filiusfamilias sit *miles*.

3.° Si de haereditate tertii indeterminate aliqui paciscantur, nam tali casu periculum captandae mortis alienae cessat.

Pacta sub *quinque* potissimum *formis* iniri queunt : pure, in diem, sub conditione, sub modo, atque alternative.

Quando pactum initum est *pure*, statim obligationem parit; quia in obligationibus in quibus dies non ponitur praesenti die debetur.

Quando impletioni contractus assignatum est tempus, si tempus hoc est certum, obligatio quidem statim inducitur, non tamen statim urget, sed expectandum donec tempus clapsum sit: Quando vero tempus est incertum, ut cum promitto centum, cum navis ex Asia venerit, appositio talis diei in conditionem resolvitur, adeoque ante eventum ejus nec obligatio nec actio nascitur.

Si pactum ineatur *sub conditione*, distingui oportet an conditio sit de praesenti, praeterito, aut futuro.

Si initum sit sub conditione de *praesenti* vel *praeterito* non suspenditur obligatio, sed vel statim firma est casu quo impleta est conditio; vel nulla est, si non sit impleta.

Si vero initum sit sub conditione *de futuro*, iterum distinguendum an conditio ista sit contingens, vel necessaria, vel impossibilis.

Si *contingens* est, obligatio pacto suspenditur, ita ut nihil interim debeatur, sed tantum spes sit debitum iri, quae spes etiam transmittitur ad haeredes.

Si *necessaria* est, contractus sub ea initus statim obligationem inducit, perinde ac si pure initus esset.

Si denique *impossibilis* sit, contractus sub ea initus, initio statim nullus est; secus tamen in *matrimonio* vel *ultimis voluntatibus*; nam in his conditio *pro non adjecta* habetur.

Cum vero pactum initum est *sub modo*, obligatio statim inducitur; ac proinde differt a conditione.

Quando pactum *alternative* est initum, obligatio etiam alternativa est, ut scilicet in alterutro promissum impleat promittens; in quo electionem facere, regulariter loquendo, debitoris est; aliquando etiam creditoris, ut dicetur infra.

Si una ex duabus rebus alternative debitis perempta est, distinguendum est an perempta sit culpa creditoris, vel debitoris, vel neutrius.

Si culpa creditoris, debitor liberatur, ita ut nec superstitem, nec peremptae aestimationem praestare teneatur.

Si culpa debitoris, creditor petere potest superstitem, aut si haec pretiosior sit, aestimationem peremptae;

Si denique res periit *neutrius mora aut culpa*, videndum an electio penes debitorem, an vero penes creditorem sit. *Si primum*, satisfacit creditor si aestimationem peremptae praestet, etsi ista minoris sit pretii, quam superstes. *Si secundum*, praestare debebit debitor vel rem superstitem, vel aestimationem peremptae, prout elegerit creditor.

Contractus late sumptus includit etiam illas obligationes, quae ex una tantum parte obstringunt, uti mutuatio ac donatio.

Stricte sumptus qui ultro, citroque obligationem inducit, quales sunt emptio venditio, locatio conductio.

Contractus dividitur in *nominatum* et *innominatum, unilateralem* et *bilateralem, bonae fidei*, et *stricti juris*, *juris gentium*, et *juris civilis*.

Nominatus est qui proprium et speciale nomen in jure habet, ut emptio, locatio, societas etc.

Innominatus qui proprium nomen non habet, cujus quatuor sunt genera; do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.

Unilateralis est qui tantum unam contrahentium partem obligat, ut mutuum, stipulatio, literarum obligatio etc.

Bilateralis qui utramque partem contrahentium obligat, ut emptio venditio etc.

Bonae Fidei contractus sunt qui benignam interpretationem admittunt, etiamsi id verbis expressum non sit.

Stricti juris in quibus interpretatio fieri debet secundum id quod expressis verbis conventum est, et natura stricti contractus exigit.

Juris gentium sunt, qui apud omnes fere gentes observantur, ut emptio venditio etc.

Juris civilis qui in una speciatim civitate, uti romana, adhibentur; ex. gr. stipulatio, donatio propter nuptias etc.

Possunt *contrahere* qui *pacisci* possunt.

Jure civili nemo potest alteri pacisci vel stipulari, nisi speciale mandatum habeat; jure canonico eadem debet teneri sententia, quanquam unus et alter contrarium opinetur.

Quatuor modis contractus perficiuntur, solo consensu, re, verbis, et scriptura.

Solo consensu perficiuntur contractus illi, ad quorum substantiam, neque certa verborum forma, neque scriptura, neque traditio rei requiritur.

Re qui actuali rei traditione absolvuntur, ita ut a ite illam nec firmitatem habeant, nec obligationem civilem inducant.

Verbis qui stipulato fiunt.

Literis denique, sive *scriptura* in quibus vel ex conventione partium, vel ex dispositione legis ad substantiam contractus scriptura requiritur.

Si res quae in contractum deducta est, *periit*, ejus damnum sentire quis debet? — Respondendum cum distinctione; vel enim istud contigit, dolo, culpa, vel casu fortuito.

Si dolo damnum praestare is debet qui dolo fecit.

Si culpa, videndum qualis sit culpa, an lata, vel levis, vel levissima. Culpa lata praestari debet in omni contractu, quia in jure aequiparatur dolo, et est dolus praesumptus; in contractibus qui tendunt ad utilitatem utriusque contrahentis, uti sunt emptio venditio, locatio conductio etc. vindicatur etiam culpa levis; levissima autem in iis contractibus, qui unice vergunt in utilitatem principaliter obligati, ut est comodatum.

Si denique *casu fortuito*, regulariter damnum, quod inde alterutri contrahentium contigit, ab altero non praestatur, nisi in sequentibus tribus casibus.

1.° Si ita conventum sit ab initio, et debitor periculum rei in se suscepit.

2.° Si casui dolus vel culpa causam dederit.

3.° Si debitor legitime interpellatus ut rem debitam traderet vel solveret, fuerit in culpabili mora tradendi vel solvendi.

Duobus modis contractus a lege vel canone irritari possunt. *Uno* modo ut ex contractu non oriatur actio civilis, maneat tamen obligatio naturalis. *Altero* ut ex contractu irritato nec civilis, nec naturalis obligatio oriatur.

Transactio late sumpta est quaecumque negotii compositio, qua ab obligatione receditur: *Stricte* accepta significat eam tantum compositionem, qua res dubia et controversa partium consensu componitur, aliqua re data, vel promissa, vel retenta.

Transactio ad contractum innominatum non immerito accenseri potest Est vel realis, vel personalis.

Realis quae ad successores rei, super qua transactum est, transit.

Personalis quae durat donec transigens vivit, sed cum eo extinguitur.

Differt a *sententia judiciali*, quia etsi etiam haec definiat litem, hoc tamen facit citra conventionem, cum etiam in invitos feratur sententia.

Differt a *jurejurando* quia hoc si partium voluntate delatum sit, vim quidem transactionis habet, non tamen naturam, quia non fit necessario, aliquo dato, retento etc.

Differt a *pacto et contractu*, quia sub hoc continetur tanquam species sub suo genere; licet enim omnis transactio pactum et

contractus sit, non tamen vicissim omne pactum et contractus transactio est.

Transigere possunt illi, qui rerum aut suarum aut alienarum liberam administrationem habent; ac proinde non possunt transigere

1.° *Infantes amentes*, et *mentecapti*:

2.° *Pupillus* sine tutoris auctoritate:

3.° *Minor* sine auctoritate curatoris.

4.° *Prodigus*, cui bonis est interdictum:

5.° *Tutores* et *curatores* sine decreto judicis de bonis pupillorum vel minorum immobilibus, aut mobilibus pretiosis, quae servando servari possunt.

6.° *Syndici* et administratores civitatum de iisdem immobilibus sine consensu superioris.

7.° *Procuratores* nisi instructi speciali mandato, aut in rem suam dati, aut constituti cum libera administratione bonorum.

8.° *Vasallus* sine consensu domini directi de re feudali.

9.° *Haeres fideicommisso gravatus* ut haereditatem restituat alteri, nisi transactio fiat cum ipso fideicommissario, vel de consensu illius.

10.° *Pater* de bonis adventitiis filii jam emancipati, sine decreto judicis, et aliqua, licet non exacta, causae cognitione.

11.° *Religiosus* sine licentia praelati.

Praelati denique ipsi, et ecclesiarum rectores de rebus immobilibus, sine solemnitatibus a jure requisitis.

Transactio non valet:

1.° *De re certa*,

2.° *De re judicata*:

3.° *De haereditate alicujus viventis*:

4.° *De iis, quae testamento* vel codicillo *relicta sunt*, nam de iis transigi nequit, nisi inspectis testamenti tabulis:

5.° *De alimentis futuris* testamento vel etiam mortis causa donatione relictis.

6.° *De crimine publico*:

7.° *De re spirituali*, *aut huic annexis*.

8.° Denique *super matrimonio* transactio fieri nequit, si per eam fiat aliquid ad illud dissolvendum.

Licet transigere vel *ante* contestationem, vel *post* contestationem litis, et *in quacunque litis parte*, donec sententia transierit in rem judicatam.

Etiam post latam sententiam transigere licet, vel si ab ea sit appellatum, aut si adversus sententiam petatur restitutio in integrum.

Judex aliquoties potest cogere partes ad transactionem, ex. gr.

1.° Si partium jura sint omnino aequalia, et lis ita intricata, ut aliter expediri nequeat.

2.° Si ex continuatione litis timeatur periculum armorum, vel perturbatio pacis publicae.

3.° Si litigetur de tali re, circa quam judex liberam disponendi potestatem habet.

Effectus transactionis sunt complures:

1.° Aequiparatur sententiae et habet vim rei judicatae.

2.° Rebus et litibus incertis finem imponit.

3.° Si legitime facta sit, revocari aut rescindi non potest, altera transigentium parte invita, ne quidem rescripto principis, aut praetextu novorum, vel de novo repertorum instrumentorum ad litem sopitam pertinentium.

4.° Omnes probationes, instrumenta, et alia jura partium in contrarium allata, si fraus vel dolus non intercessit, post finitam transactionem sunt inania.

5.° Si firmata sit rei traditione, vel stipulatione, parit actionem civilem; exceptionem vero, si sine illis sit inita.

Transactio esse potest vel specialis, vel generalis, vel indefinita.

Si *specialis* est, ad alia extendi non debet, sed solum ad expressa, nisi sint connexa et accessoria.

Si vero *generalis* ac *indefinita* extenditur ad omnia particularia sub eo genere contenta, etiamsi in specie non sit cognita.

Transactio rescindi potest:

1.° Si facta sit, interposito metu injusto.

2.° Si dolo extorta sit.

3.° Si error substantialis intervenerit.

4.° Si in rescissionem illius Partes consentiant.

5.° Si transactio facta sit circa bona pupilli, minoris, vel alterius qui restitutionis in integrum beneficio gaudet, et hic transactione sit laetus.

6.° Si inita sit ex falsis instrumentis.

Aetate major si per transactionem laesus sit, et haec laesio sit infra dimidium, restitutionem in integrum obtinere non potest

Si vero laesio sit ultra dimidium, tutior sententia est, transactionem rescindi non posse, nisi laesio ipsa *enormissima* sit.

Vox *postulare* tripliciter in jure accipitur.

1.° Prout subrogatur electioni, dum persona ecclesiastica laborat impedimento aliquo canonico dispensabili.

2.° Prout significat manifestationem sui ipsius desiderii, vel amici sui apud eum qui jurisdictioni praeest.

Digitized by Google

3.° Vel signicatur *advocatio* sive officium advocati; de quo proprie hoc loco sermo est.

Advocatus qui alias etiam *patronus, orator*, et *causidicus* appellatur, proprie dictus est ille, qui pro altero praesente postulat, seu defensionem praestat, et ei authoritate, consilio, opera sua in judicio assistit.

Advocatus differt a procuratore:

1.° Quia advocatus debet esse juris peritus, imo juris doctorum judicio adprobatus. In procuratoribus vero non tam scientia, quam diligentia requiritur, cum causae suae negotii administrationem tantum habeat.

2.° Advocati officium publicum et honorabile est, multisque gaudens privilegiis. Procuratoris officium est magis privatum, vile et onerosum.

3.° Procurator, si causam male egerit, vel cum adversario colluserit, tenetur actione mandati. Advocatus vero eo casu non ex mandato, sed de praevaricatione tenebitur.

4.° Procurator post litis contestationem fit dominus litis. Advocatus non item.

Advocati alii sunt *publici*, alii *privati*, alii *ordinarii*, alii *extraordinarii*, alii *voluntarii* alii *necessarii*.

Pubblici qui in causis publicis et fisci operam suam impendunt.

Privati qui operam suam praestant in causis privatorum.

Ordinarii qui publica auctoritate ad causas perorandas destinati, quasi ex officio, patrocinium litigantibus conferunt.

Extraordinarii qui nec publica authoritate constituti, nec in numerum adlecti, extra ordinem quasi, partibus patrocinantur in judicio.

Voluntarii qui a partibus rogati spontanee suum auxilium pollicentur.

Necessarii qui authoritate judicis inviti jubentur causam clientis suscipere.

Prohibentur ab advocatorum officio nonnulli lege, nonnulli canone, nonnulli sententia judicis.

Lege vel edicto praetoris prohibetur

1.° *Haereticus* non toleratus:
2.° *Servus*
3.° *Minor* 17 annis
4.° *Foemina*
5.° *Caecus*
6.° *Surdus*
7.° *Infamis*

Digitized by Google

8.º *De capitali crimine*, vel de calumnia publico judicio condemnatus.

9.º *Qui ex testamento* accepit aliquid contra testamentum ex quo accepit.

10.º *Judex et arbiter* in ea causa in qua sunt judicaturi.

11. Qui gradu licentiae vel doctoratus judicii sunt destituti.

Canone seu lege ecclesiastica prohibentur postulare

1º Excomunicati

2.º Religiosi

3.º Clerici saeculares, qui aliquoties tamen defendere possunt.

Sententia iudicis postulare prohibentur

1.º Qui, postquam in numerum advocatorum semel relatus est, et dein jussus a judice patrocinium praestare parti advocatum non invenienti, illud praestare recusavit sine justa causa.

2.º Qui compertus fuerit mala fide processisse, et colludendo cum adversario causam prodidisse.

3.º Qui sub nomine honorarii ex ipso negotio, quod tuendum suscepit, emolumentum sibi certae partis, sive quotam litis, et rei in judicium deductae cum litigatoris damno fuerit pactus.

Advocatus potest pacisci de *salario* solvendo a suo cliente.

Advocatus insuper pacisci potest de *palmario*, seu quod idem est, de extraordinario aliquo ultra salarium ordinarium in casu victoriae sibi solvendo.

Advocatus non debet suscipere nisi causas *justas*; et justae habentur etiam illae, quae *probabiles* sunt.

Obligationes advocatorum plures sunt.

1º Debent causae sibi commissae merita expendere et rationes inquirere.

2.º Nihil aliud in judicio proponant quam quod justum et verum perspexerint.

3.º Causam semel susceptam, cliente invito, non deserant; nisi reperiant esse injustam, sed ad exitum perducant usque ad sententiam definitivam.

Comoda et privilegia advocatorum sunt.

1.º *Nobilitas* quae advocatis competit in supremis imperatoris et principum dicasteriis.

2.º Participatio *privilegiorum militiarum*, illis exceptis quae ob ignorantiam militibus concessa sunt.

3.º Praelatio filiorum ex advocatis descendentium quead officium advocati.

Procurator sic dictus quod ***pro alio curator*** sit, est qui aliena negotia mandato domini administrat.
Procurator est multiplex; verus, falsus, generalis, specialis, simplex, cum libera, in rem alienam, in rem suam, principalis, substitutus, judicialis, extrajudicialis.
Verus est qui legitimum mandatum administrandi habet a domino.
Falsus qui vel nullum mandatum habet a domino, vel non sufficiens, revocatum, aut alio modo extinctum
Generalis est, qui ad omnia negotia vel lites constituitur
Specialis qui ad certum dumtaxat negotium expediendum praeficitur
Simplex opponitur ei qui constitutus est.
Cum libera scilicet cum plena et libera potestate agendi et gerendi omnia, quae in causa nel negotio gerere potest dominus.
In rem alienam procurator negotium gerit in utilitatem domini.
In rem suam procurator gerit negotium in utilitatem propriam.
Principalis qui ab ipso domino immediate deputatur.
Substitutus qui constituitur a procuratore.
Judicialis qui litem mandato domini gerendam suscipit.
Extrajudicialis qui ad negotia extra judicium tractanda, et explicanda constituitur.
Ii omnes possunt procuratores constituere qui liberam rerum suarum vel alienarum administrationem habent.
Etiam praelatus potest constituere procuratorem super ecclesiae vel monasterii rebus.
Etiam *Universitas* id facere potest.
Nemo compelli potest ad constituendum procuratorem, si litigans ipse in judicio comparere velit.
Prohibentur a procuratorio munere exercendo

1. Minores 17 annis.
2. Milites nisi agant in rem suam aut nomine cohortis.
3. Mutus et surdus.
J. Faemina, certis causis exceptis.
5. Religiosus et clericus.
6. Infamis.

Constitui tamen potest *absens* modo is sui constitutionem consensu suo ratam habeat.
Possunt constitui etiam *plures* procuratores in uno negotio; et si constituti sint ***in solidum*** is qui prius causam tractare coepit excludet ceteros: si constituti sint *simpliciter*, unus sine altero admitti non debet; nam plurium procuratorum constitutio etiam sua habet comoda, cum plures oculi plus videant quam unus
Procurator constitui potest in omnibus fere causis, dummodo prohibitum non sit.

Adeoque et in *matrimonio*; requiruntur tamen tria hoc in casu.

1. Ut procurator habeat speciale mandatum ad illud contrahendum cum persona certa et determinata.

2. ut hujusmodi procurator contrahat per semetipsum non per alium, quia intelligitur electa fides et industria personae.

3. Ut constituens non revocaverit mandatum neque expresse neque tacite, hoc est aliud matrimonium interea contrahendo; quo in casu matrimonium postea a procuratore contractum foret irritum. Ubi animadvertenda est dispar ratio *matrimonii* et aliorum contractuum, qui (ut notum est) a procuratore revocato, antequam revocatio ipsi innotuit, valide ineuntur.

Validum censeri debet matrimonium quod procurator nomine principalis iniit eo tempore, quo iste aut dormiebat, aut ad alia distractus minime de contrahendo matrimonio cogitabat, vel etiam in insaniam incidit.

Etiam in causis criminalibus procurator admitti potest

Regulariter non admittitur procurator ad agendum nisi mandatum ostendat; dixi *ad agendum*, seu pro actore, nam pro reo absente etiam sine mandato procurator admittitur.

Ut procurator admittatur cum mandato ad agendum pro pricipali requiritur.

1. Ut mandatum sit conceptum in forma a jure, et juxta stylum curiae cujusque requisita.

2. Ut mandatum sit sufficienter probatum.

3. Ut si sit procurator rei, satisdet de judicato solvendo, nisi satisdationem praestiterit ipse principalis.

4. Ut si rationabiliter dubitetur, an ad agendum legitimo et sufficienti mandato instructus sit, procurator actoris caveat, ev promittat dominum rem ratam habiturum.

Speciali mandato procurator indiget.

1. Ad tractandas causas criminales criminaliter intentatas, quia hae in nullo mandato generali includuntur.

2.° Ad jurandum de calumnia.

3.° Ad deferendum adversae parti juramentum decisivum.

4.° Ad transigendum vel paciscendum.

5.° Ad compromittendum in arbitrum.

6.° Ad petendam restitutionem in integrum.

7.° Ad impetrandum rescriptum.

8.° Ad tractandam causam, seu negotium matrimoniale.

9.° Ad donandum, debitum remittendum, fidejubendum.

10.° Ad beneficiorum aliorumque jurium renuntiationem.

Digitized by Google

11.° Ad accipiendam possessionem canonicatus, vel alterius beneficii.

12.° Ad collationem vel praesentationem faciendam ratione juris conferendi, vel patronatus.

13.° Ad petendam absolutionem ab excommunicatione.

14.° Ad impetrandam dispensationem v. gr. super defectu natalium etc.

Procurator datus ad *negotia* intelligitur datus etiam ad lites.

Officium procuratoris ex natura sua debet esse *gratuitum*, ex quo sequitur; si pactio vel conventio de mercede interveniat inter dominum et procuratorem, non *mandati*, sed *locati* nomine contra eum agendum.

Potestas procuratoris maxime ex mandato pendet; omnibus tamen procuratoribus communia sunt sequentia.

1.° Contestari litem.

2.° Appellare.

3.° Substituere sibi alium, si impeditus est.

4.° Negotio aut lite ad finem perducta, rationem eorum quae gessit domino reddere.

5.° Eidem, quae consecutus est instituere.

Effectu contestationis litis a procuratore factae, procurator ipse fit dominus litis, ita ut in ipsum totus processus dirigi, et ipsa etiam sententia in eumdem et non in dominum regulariter ferri debeat.

Procurator constitutus ad lites appellare potest non tantum si denegentur ei induciae, quas petit ad dominum absentem super re aliqua consulendum, sed etiam a sententia contra ipsum lata.

Procurator, appellatione interposita, non tenetur eam prosequi, ut verior est sententia, sed finita prima instantia, a lite se abstinere.

Excipitur aliquis casus.

Procurator *ad negotia* datus regulariter substituere sibi alium potest; Procurator *ad lites* hoc facere valet post litis contestationem dumtaxat.

Negotio vel lite ad finem perducta, procurator debet

1.° Rationem reddere eorum quae gessit, et quae consequutus est domino restituere.

2.° Si dolo vel culpa etiam levissima damnum intulit, compensare tenetur.

3.° Si expensas in negotii exsecutione fecit, repetere eas potest.

4.° Si negotium non gratis gerendum suscepit, salarium vel honorarium exigere potest. Procurator agendo vel omittendo nocet sibi ipsi, et non domino, cum mandati fines excedit.

Officium et potestas procuratoris variis modis extingui potest.

1.° Expirat *mutuo consensu* utriusque scilicet domini constituentis, et procuratoris constituti.

2.° *Revocatione* : et si res adhuc integra sit, revocari potest procurator etiam sine causa, et invitus : at si res integra esse desiit, causa justa intercedere oportet.

3.° *Exoneratione* ipsius procuratoris renuntiantis mandato.

4.° *Mutatione* procuratoris, seu alio in locum ejus substituto.

5.° Finita instantia judicii, videlicet lata sententia definitiva.

6.° *Morte constituentis*, si res adhuc integra ; secus contra.

7.° *Morte ipsius procuratoris* non solum re integra, sed etsi desierit jam esse integra.

Syndicus est procurator, qui alicujus universitatis communi mandato causas et lites ejusdem administrat, curat, et prosequitur.

Constituitur syndicus ab universitate seu comunitate.

Possunt constitui syndici qui procuratores.

Etiam laicus potest esse syndicus in rebus spiritualibus.

Communitas debet necessario constituere syndicum ; plures etiam possunt constitui ; et eorum objectum sunt causae universitatis.

Potestas syndici, si non mandato restringatur, aut extendatur, eadem fere est, quae procuratoris constituti cum libera, seu plena agendi potestate.

Officium syndici finitur iisdem fere modis, quibus mandatum procuratorium.

Vis est *majoris rei impetus, qui repelli non potest.*

Est vel *absoluta*, conditionalis, publica, privata, ablativa, turbativa, inquietativa, expulsiva, compulsiva.

Vis absoluta quae etiam praecisa dicitur, causat simpliciter involuntarium, et liberum consensum omnino tollit.

Conditionalis, quae modificata appellatur, voluntarium quidem non tollit simpliciter, involuntarium tamen imperfectum seu conditionatum admiscet.

De vi publica hodie tenetur qui cum armis vim infert, aut inferre tentat vel parat, hinc etiam *vis armata* dicitur.

De vi privata tenetur qui id sine armis facit.

Vis ablativa qua mobile aliquod alicui aufertur.

Turbativa qua quis turbatur in sua possessione.

Inquietativa qua quis inquietatur in usu rei suae.

Expulsiva qua quis ex possessione sua ejicitur.

Compulsiva quas quis compellitur ad faciendum aliquid, quod alias non faceret.

Metus est mentis trepidatio instantis vel mox futuri periculi causa.

Digitized by Google

Metus infertur vel a causa *necessaria* vel a causa *libera*; infertur *juste*, vel *injuste*; potest vero esse metus *gravis* et probabilis, aut contra *levis* vel improbabilis.

Metus *reverentialis*, qualis censetur filii respectu patris, uxoris respectu mariti, subditi respectu domini, non habendus est gravis, qui cadat in constantem virum.

Effectus vis absolutae et metus sunt hi: *Vis absoluta* tollit implicite voluntarium; quia qui illam patitur non tam agit ipse, quam ab extrinseco agitur: contra *metus* voluntarium tantum minuit, quia qui ipsum patitur absolute consentit, quamvis non consensisset si metus abesset.

Validi sunt illi actus qui metu etiam gravi gesti sunt, si iste proveniat a principio intrinseco, vel extrinseco naturali non libero: ut patet in votis etc.

Validi item sunt actus extorti metu gravi et a causa libera, sed juste incusso, qualis est matrimonium metu accusationis extortum ab eo, qui aliquem juste ad judicem deferre potuit.

Contra rescindi possunt actus initi metu gravi injuste incusso.

Tutior sententia est actus, qui metu gravi ad eos extorquendos injuste incusso gesti sunt, nullos non esse, sed irritandos per sententiam judicis.

Metus gravis injuste incussus obligat ad standum contractui illum, qui metum intulit, dummodo consentiat is, qui metum passus est.

Actus ob metum gravem injuste incussum ex dispositione juris irriti sunt.

1.° Contractus matrimonii, quia hunc ad evitanda mala, quae matrimonia coacta post se trahunt, sacri canones volunt non tantum voluntarium, sed etiam spontaneum esse.
2.° Professio religiosa.
3.° Constitutio procuratoris ad contrahendum matrimonium.
4.° Promissio et constitutio dotis.
5.° Promissio et traditio rerum ecclesiae.
6.° Absolutio a censura et revocatio sententiae censurae cujuscunque, incurrendae etiam sub conditione primum futura.
7.° Quae geruntur per injuste detentum in carcere cum ipso detentore.
8.° Collatio jurisdictionis, et ejus prorogatio.
9.° Testamentum.
10.° Praestatio authoritatis tutoriae.
11.° Datio libertatis.

Vota alia, quae religiosam professionem non constituunt, si metu

gravi emissa sint, probabilius est mero jure esse valida, licet relaxari metu probato possint.

Qui metu gravi coactus aliquid promisit, vel alicui juri renuntiavit, tenetur stare promissioni vel contractui, si id quod metu sic factum est proprio juramento confirmavit, dummodo tamen sine dispendio salutis aeternae juramentum ejusmodi servare possit.

Potest vero relaxatio talis juramenti peti et concedi a superiore, et judice ordinario, etiamsi factum sit in gratiam et utilitatem alicujus tertii.

Juramentum emissum ob metum levem injuste incussum relaxari potest a superiore papa inferiore, saltem quando is, cui promissio jurata facta est metum hunc ipse incussit.

Contractus celebratus metu gravi vel est nullus, vel per sententiam judicis irritandus. Si *primum* sufficit probare ejus nullitatem; Si *secundum* iterum distinguendum an contractus traditione rei jam sit impletus, vel non.

Si nondum impletus est, qui metum passus est tuetur exceptione *quod metus causa.*

Si jam contractus impletus sit rei traditione, metum passo conceditur actio, qua petere a judice potest ut rescindatur contractus.

Probabilius est rescissioni obnoxium esse illum contractum, qui gravi metu injuste quidem, sed alio fine, quam ad illum extorquendum incusso, obtentus est.

Rescissioni obnoxii sunt contractus gesti metu gravi, quem incussit non is, cum quo gesti sunt, sed alius tertius.

Si malum minetur alicui, absque animo illud inferendi, quod ita fictis minis extortum est ab altero, subsistet, si malum illud potuit inferri jure; non autem si illatum sit cum injuria.

Qui vim aut metum allegat, debet illum probare.

Si juramentum deferri oporteat ad metus probationem, is debet jurare, contra quem est querela, non vero ipsi conquerenti, quia nemo in causa propria testis esse potest.

Cum duo testes deponant de metu incusso; et alii totidem, vel plures testentur non fuisse illatum, primis credendum est, quia testificantur de actu externo et sensibili, ex. gr. de minis.

Restitutio in integrum est remedium extraordinarium a praetore introductum, quo laesi in eum statum, in quo ante laesionem fuerunt, justa et probabili de causa per officium judicis reducuntur.

Requisita ut restitutio in integrum concedatur sunt haec.

1.° Ut contractus ille vel actus sit *validus.*

Digitized by Google

2.° Ut negotium sit civile.
3.° Ut de laesione manifeste constet.
4.° Ut laesio sit *notabilis*.
5.° Ut laesio ista non quocunque modo contigerit, sed vel culpa aliqua adversarii saltem praesumpte, vel inconsulta facilitate laesi, vel procuratoris, aut administratoris negligentia.
6.° Denique ut quod valide et cum notabili laesione actum est rescindibile sit.

Probabilius est laesum in quantitate pretii, et infra dimidium, petere posse recissionem contractus, non tantum supplementum pretii.

Restitutio in integrum competit.

1.° Minoribus.
2.° Ecclesiis.
3.° Reipublicae.
4.° Principi supremo.
5.° Ex justa causa majoribus 25 annis.

Major restituitur his sequentibus causis.

1.° Si reipublicae causa absit.
2.° Si absit propter justum metum mortis vel atrocis cruciatus etc.
3.° Si sit persona, in qua juris ignorantia supponitur, vel toleratur.
4.° Denique quandocunque aliquis ex necessitate, et non ex voluntate agere prohibetur.

Ignorantia facti etiam invincibilis ut ex. gr. in casu quo res ignorantis eam ab alio possideri fuisset praescripta.

Discrimina inter restitutionem, qua succuritur majoribus, et inter restitutionem quae datur minoribus, haec sunt.

1.° Minoribus sufficit si constet quod laesi sint; et majores praeter laesionem habere debent justam causam.
2.° Minor vel ecclesia, ex officio judicis in integrum restitui debet, etsi nemo sit qui petat; et majoris restitutio ad instantiam potius, quam ex officio judicis datur.
3.° Majoribus non datur restitutio, quando suppetit aliud remedium ut appellationis; at minoribus utique, etiam cum aliud remedium habeant.
4.° Minor restituitur, quamvis tutore vel curatore interveniente laesus sit, ita ut in electione minoris sit, an actione tutelae contra tutorem experiri, an vero restitutionem in integrum petere contra laedentem velit; at major, si absens procuratorem

ad sua negotia et lites reliquit non restituitur, sed agere contra procuratorem debet.

Casus, quibus nec minori beneficium restitutionis competit, sunt hi.

1.° In contracto matrimonio: quamvis eo casu adversus dotem et alia accidentalia matrimonii restitui possit.

2.° In professione religiosa valide emissa, etsi ex falsa causa quis inductus ad id fuerit.

3.° Si veniam aetatis impetravit.

4.° Si minor pubertati proximus contractum a se celebratum juramento sponte facto confirmavit.

5.° Si major factus ratum habuerit, quod cum eo in minorennitate gestum est.

6.° Si post contractum prudenter gestum, casu fortuito laesus sit.

7.° Si minor simulet, vel dolo asserat se majorem esse eo animo ut alium ad contrahendum inducat.

8.° Si quid dolo malo in contractibus, vel extra gessit.

9.° Si huic beneficio juramento renuntiaverit citra dolum adversarii.

Non privatur beneficio restitutionis clericus, qui in minore aetate constitutus inconsulte, et cum damno suo renuntiavit beneficio ecclesiastico.

Imo probabilius est minorem restitui adversus renuntiationem beneficii eo etiam casu, quo res integra non est amplius, et beneficium ab eo dimissum collatum est alteri.

Beneficium hoc competit etiam haeredibus et successoribus.

Fidejussoribus regulariter non competit.

Cum ambae partes sint privilegiatae ex. gr. ecclesiae vel minores, hoc beneficium *denegatur generaliter*, in specie tamen conceditur, si dispar sit causa, ex. gr. si unus certet de damno vitando, ac alter de lucro captando, et si ambo in eadem causa sint, spectatur possessio.

Clerici restituuntur, quando laesi sint in bonis et juribus ecclesiae.

Restitutio concessa minori vel ecclesiae proderit etiam laico litis socio si res sit *individua*, non autem si *dividua* sit.

Objectum seu materia restitutionis in integrum est actus seu negotium civile quodcunque aliquo modo validum et rescindile, in quo laesus est, qui beneficio in integrum restitutionis gaudet. In specie objecta restitutionis sunt

1.° Emptio et venditio.

2.° Transactio.

3.° Rerum permutatio.

4.° Compromissum in judicem.

5.° Donatio.
6.° Aditio haereditatis.
7.° Sententia.
8.° Usucapio.

Ut concedatur restitutio in donatione, ea debet esse facta.
1.° cum excessu
2.° ad causam profanam, non ad causas pias
3.° irrevocabiliter.

Minor restituitur etiam adversus sententiam a papa vel alio principe supremo latam.

Adversus tres sententias conformes in eadem causa et super eodem articulo latas non datur restitutio, si ea petatur praetextu injustitiae sententiarum, ut denegatur appellatio; conceditur vero, si petatur praetextu erroris et imprudentiae aetatis.

Minor vel ecclesia, cui restitutio in integrum fuit denegata, non poterit restitui in alio judicio nisi emergant novae defensiones.

Qui praetendit professionem suam esse invalidam et intra quinquennium non reclamavit, adversus istius lapsum restitui poterit si alleget justas causas, quare intra hoc tempus reclamare non potuerit.

Forma restitutionis in integrum in tribus consistit.
1.° Ut petatur a judice competente.
2.° Ut petatur intra praescriptum a jure tempus.
3.° Ut petatur modo, quem SS. canones et leges volunt.

Competens judex in his causis est ille sub cujus jurisdictionis est reus, scilicet is, contra quem petitur restitutio.

Judex delegatus non poterit restitutionem in integrum concedere, nisi ad hoc mandatum habuerit, vel fuerit delegatus ad universitatem causarum.

Cum Clericus petit restitutionem contra laicum adire debebit judicem saecularem, si quaestio de bonis patrimonialibus sit; si vero de beneficialibus in arbitrio est Ecclesiae judicem seligere.

Restitutio in integrum peti poterit non tantum a judice loci in quo reus domicilium habet, at etiam coram judice rei sitae, aut loci in quo celebratus contractus est.

Tempus, intra quod peti debet restitutio in integrum, a Justiniano ad quadriennium extensum est.

Etiam post quadriennium Ecclesiae conceditur restitutio.
1.° Si quadriennio illo adhuc vixit praelatus, cujus contractu ecclesia laesa est.
2.° Si frequentes et repentinae praelatorum mutationes interea factae sint.

3.° Si damnum eminentissimum et laesio enormissima sit.
4.° Si collusio et fraus intervenerit, et ita factum, ne restitutio intra quadriennium peteretur.
5.° Si ecclesia fuit metu prohibita, ne intra id tempus restitutionem peteret.

Quadriennium hoc non currit juste impedito.

Tempus hoc transmittitur etiam ad haeredes, adhibita distinctione; vel enim minor fuit haeres minoris vel item minor fuit haeres majoris; vel contra major fuit haeres minoris, vel item major fuit haeres majoris.

Si *primum* haeredi conceditur quadriennium computandum ab anno aetatis suae 25, non attentâ vel computata aetate defuncti.

Si *secundum* tantum temporis ad petendam restitutionem in integrum post adeptam majorennitatem conceditur minori quantum temporis adhuc habuit major defunctus.

Si *tertium* haeredi majori dandum est quadriennium computandum ab adita haereditate, vel accepta bonorum possessione.

Si *quartum* statim ut iste haereditatem adiit ad restitutionem petendam habebit tantundem temporis, v. gr. duos, vel tres menses, quot mortis tempore defuncto supererant.

Dupliciter restitutio in integrum proponi potest, directo et principaliter per modum actionis, et indirecte seu incidenter per modum exceptionis.

Effectus restitutionis *postulatae* est ut ea pendente omnia in eodem statu manere debeant.

Effectus restitutionis *obtentae* est ut omnia reintegrantur, sive ad pristinum statum reducuntur, in quo ante laesionem fuerunt.

Minor vel ecclesia cum re etiam fructus restituere debet, si res ipsa alienata sit per contractum *gratuitum* non autem per *onerosum*. Haec est generalis distinctio, et probabilior sententia.

Procurator minoris vel ecclesiae admitti poterit ad petendam restitutionem, etiam sine speciali mandato, quoties *incidenter* id faciat, nam si *principaliter* hoc facere non poterit nisi intra decem dies a lata sententia, paritate sumpta ab appellatione.

Si culpa praelati, administratoris vel procuratoris ecclesia aut minor laesa sit; poterit procurator aut praelatus conveniri; non autem si absque culpa, tunc enim sola restitutio conceditur.

Concedenda pariter est restitutio in integrum ecclesiae adversus confessionem praelati vel procuratoris sui, qua laesa fuit ex. gr. si iste fassus est quod verum non erat, vel si verum fuit, quod probari plene non poterat.

Judicii mutandi causa rem alienare dicitur, qui metus litis sibi im-

pendentis, rem de qua litem sibi movendam intelligit, vel suspicatur, dolo malo in alium transfert, ut propter difficultatem hunc conveniendi reddatur durior conditio adversarii, et molestior fiat prosecutio litis ab isto inchoandae.

Haec alienatio judicii mutandi causa variis modis fieri potest:

1.° si fiat in alium potentiorem, cui par esse non possit:
2.° si in alterius provinciae hominem, in qua experiri molestum:
3.° si in clericum ob fori mutationem:
4.° si in alium qui vexaturus est adversarium.

Ei, qui per ejusmodi alienationem ab adversario factam praejudicium passus est, conceditur duplex actio; et quidem jure digestorum *actio in factum*, eaque vel *directa*, quando est alienata proprietas; vel *utilis* si possessio tantum. Jure codicis vero, *actio in rem* ita laeso conceditur.

Actio in factum competit laeso per ejusmodi alienationem, ejusque haeredibus adversus alienantem, et actio in rem adversus tertium possessorem.

Haec duplex actio locum habet in judiciis tam realibus, quando alienata vel cessa res est, quam personalibus, quando alienata, vel cessa est actio ad rem, si per ejusmodi alienationem, vel cessionem conditio debitoris durior fiat.

Ut actiones praedictae ob alienationem ejusmodi laeso competant requiritur.

1.° actus alienationis, quo rei dominium, vel possessio in alterum translata sit:
2.° ut haec translatio dominii, possessionis, vel quasi, facta sit inter vivos, non ultima voluntate:
3.° facta sit dolo:
4.° facta sit causa et intentione judicii mutandi:
5.° facta sit causa mutandi judicii futuri:
6.° ut intersit actoris alienationem factam non esse.

Dispositionis juris civilis circa alienationem judicii mutandi causa approbatae sunt jure canonico, quod tamen iisdem haec duo adjuxit:

Primum est, quod etsi alias rescripta justitiae non extendantur ad personas in iis non comprehensas, si tamen ad elusionem rescripti apostolici res, de qua movetur controversia, in extraneum alienata sit, vi illius rescripti non tantum alienans, sed etiam is, in quem alienatio facta est, coram judice per rescriptum delegato conveniri possit, quamtumvis istius in rescripto nulla facta sit mentio:

Secundum est, ne clerici rem vel litem alienum dolose in se tran-

sferri curent causa mutandi judicium; et eo animo, ut actores laicos ad forum ecclesiasticum trahant.

Nomen *arbitri* duplici modo sumitur:

1.° *Late et generice*: et hoc sensu arbiter dicitur omnis ille, qui ad aliquod negotium aestimandum, et terminandum constitutus est:

2.° *stricte et specifice*: et hoc sensu arbiter definiri potest vir bonus, qui sive ex dispositione juris, sive ex conventione partium constituitur, ut super controversia, quae inter eas est, judicium, sive animi sui sensum proferat, eamque dirimat.

Ex quo sequitur duplicis generis dari arbitros, nempe *arbitros juris*, qui etiam *arbitri necessarii* appellantur et *arbitros commissarios*, qui alio nomine voluntarii dicuntur. *Priores* sunt qui ex praescripto legis, principis, vel judicis constituuntur; *posteriores*, qui solo partium consensu assumuntur. Horum iterum duo sunt species; nam aliqui illorum, appellantur simpliciter arbitri, alii vero arbitratores. *Arbitri* dicuntur in quos ita sive expresso, sive tacite compromissum est, ut in causa sibi commissa, servato juris ordine, ac forma judicii procedere ac pronuntiare debeant. *Arbitratores* vero, in quos a partibus ita compromittitur, ut sine juris ordine, seu forma judicii non observata, causam cognoscant, examinent, ac de illa statuant, sicut ipsis aequum et bonum videbitur.

Arbiter, praesertim compromissarius differt a judice:

1.° quoad ipsam constitutionem:
2.° quoad potestatem:
3.° quoad processum:
4.° quoad pronuntiationis vim et efficaciam:
5.° quoad firmitatem pronuntiati:
6.° quoad appellationem:
7.° quoad executionem.

Triplici sub respectu arbitri juris differunt ab arbitris compromissariis:

1.° Arbitri juris compelli possunt ad munus hoc suscipiendum, non ita arbitri compromissarii:

2.° Arbitri juris habent jurisdictionem quasi ordinariam; compromissarii vero nullam jurisdictionem habent.

3.° A juris arbitris non secus, ac a sententia judicis appellari potest: non est autem appellationi locus ab arbitris compromissariis.

Ob varias causas arbiter differt ab arbitratore:

1.° Arbiter assumitur super lite ad dirimendam controversiam,

quae inter aliquos est; at arbitrator plerumque tantum ad contractus perficiendos, damna illa resarcienda, et alia negotia extrajudicialia expedienda accipitur:

2.° Arbiter procedit, servato juris ordine ad modum judicis, arbitrator, quasi amicabilis compositor, ex aequo et bono negotium aestimat, deque eo judicium suum profert:

3.° Arbitratores semper ex libera voluntate partium assumuntur; arbitri vero aliquando sunt juris et necessarii:

4.° Ad arbitratoris munus regulariter omnes admittuntur; ast non omnes possunt esse arbitri:

5.° Nemo potest esse arbiter in causa propria; at quisquis esse arbitrator in causa et facto proprio non prohibetur:

6.° Sententiae arbitri stari oportet, sive aequa sive iniqua sit, nisi arbiter juris, et necessarius fuerit: at arbitramentum, seu pronuntiatum arbitratoris, propter laesionem enormem, ad arbitrium boni viri reduci potest ad aequalitatem justitiae.

Arbitri juris constitui possunt, et aliquando etiam debent ex variis causis. Constitui debent

1.° in causa suspicionis objectae judicii:

2.° si diversi judices super revocatione litterarum apostolicarum discordent:

3.° si episcopus cum clerico sibi subjecto controversiam habeat:

4.° si supremi principes inter se contendant, et transactione res componi nequeat:

5.° si extet statutum in aliquo loco, ut super controversiis, inter personas sanguine conjunctas ortis, compromittatur in arbitros.

Regulariter in arbitros compromittere possunt omnes, qui rerum suarum liberam administrationem habent, ut de iis disponere etiam alienando possint.

E converso, qui liberam bonorum administrationem non habent, nequeunt compromittere in arbitros.

Praelatus in causa ecclesiae suae compromittere in arbitrium potest

1.° si agatur de re mobili non pretiosa:

2.° si agatur de rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis, ita ut compromissum non ad illas alienandas, sed retinendas penes ecclesiam tendat:

3.° si agatur de rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis, etiam cum alienationis periculo, dummodo accedat justa causa, et consensus capituli, aliaeque solemnitates.

Vasallus absque consensu domini compromittere nequit super re feudali, si judex sit dominus directus, vel pares curiae. Si

vero de ipsa causa feudali judex ordinarius dejudicat, tunc datur facultas vasallis litigantibus aut recurrendi ad judicem ordinarium, aut compromittendi in arbitrium.

Nemo cogi potest compromittere in arbitros.

Haec regula exceptionem patitur,

1.° si sit princeps supremus vel papa, qui cogit:

2.° si judex videat se non posse causam per sententiam sine scandalo, vel alio publico incommodo expedire:

3.° si partes diu litigaverint, et res multum sit controversa:

4.° si dissensio sit inter personas insignes, ut per eas turbatio reipublicae timenda esset:

5.° si immineat suspicio rixae et armorum:

6.° si alii casus verificentur, in quibus jus commune, vel statutarium mandat eligi arbitros.

Omnes cujuscumque dignitatis et aestimationis sint, nisi jure prohibiti reperiantur, in arbitros eligi vel assumi possunt.

Prohibentur esse arbitri compromissarii

1.° servus:

2.° pupillus, furiosus, surdus et mutus:

3.° minor 20 annis:

4.° excommunicatus vitandus:

5.° mulier, nisi de jure, consuetudine, vel privilegio jurisdictionis civili muneri se possit immiscere:

6.° religiosus sine superioris sui consensu:

7.° laicus in causâ spirituali:

8.° qui in ipsa causa habet aliquid interesse.

Foemina, ut *arbitratrix* in contractu, et alio actu extrajudiciali, negotium et controversiam amicabiliter componere potest.

Laicus potest esse *arbitrator* in causa spirituali.

Potest compromitti in judicem sive ordinarium, sive delegatum.

Regula generalis est: compromitti posse in arbitros super qualibet causa, vel se, de qua in canonibus, vel legibus non reperitur prohibitio.

Reconventio coram arbitris institui potest, sed cum distinctione inter *arbitrum juris*, *et arbitrum compromissarium*. Coram illo, si electus sit ad totam causam, et non tantum ad certum articulum definiendum, locum habet reconventio, cum vero sit judex: coram hoc non datur reconventio, nisi id expressum sit in compromisso.

Arbiter non tantum de sola causa principali cognoscere potest, sed etiam de connexis, si quasi intrinseca, non vero extrinseca, sit ipsorum connexio.

Arbiter compromissarius nequit sibi alium substituere, nisi hoc in compromisso expressum sit.
Ad formam arbitrii plura pertinent:
1.° modus, quo compromissum sit in arbitros:
2.° forma, qua procedere in causa sibi commissa debet arbiter:
3.° locus ubi de illa cognoscere:
4.° tempus, quo ferre arbitrium:
5.° modus, quo illud ferre.
Potest compromitti non solum voce, aut nutibus inter praesentes, sed etiam per epistolam, vel internuntium inter absentes; per nudum pactum, nulla interveniente stipulatione, vel etiam hac interveniente, absolute, et sine adjectione poenae, vel apposita paena cum juramento, vel sine illo, in unum, vel plures arbitros.
Varia est compromittentium obligatio.
1.° Si compromissio facta sit nudo pacto, in foro externo nulla oritur efficax obligatio, sed compromittentes possunt impune laudo arbitri non parere:
2.° Si intervenerit stipulatio, sed sine poena, et juramento adjecto, contra non stantem compromisso actio de interesse competit:
3.° Si compromissum sit in arbitros, adjecta poena transgressori, sed sine juramento, sufficit, si ab illo, qui a sententia arbitri recedit, poena solvatur.
4.° Si compromisso praeter poenam trasgressori statutam adjectum sit juramentum de observando arbitrio, haud necesse est compelli transgressorem ad poenam solvendam, et insuper ad observandum compromissum, sed sufficit alterutrum dumtaxat explere.
5.° Si compromisso non quidem poena, sed juramentum appositum sit, quo partes compromittentes jurarunt se staturos sententiae arbitri, distinguendum est inter jus canonicum et civile, et in hoc inter jus novum et antiquum. Jure civili novo prohibetur compromissum confirmari juramento, et tale juramentum perinde habetur, ac si appositum non sit. Jure civili antiquo ex ejusmodi compromisso, si juramento confirmatum fuisset, nascebatur obligatio efficax et actio. Jure canonico partes jubentur compelli ad servandum arbitrium, in quod juramento compromissum est.
Si partes nihil aliud in compromisso expresserint, *forma* in arbitrio servanda est fere eadem, quae in judicio.
Arbitri cognoscere debent de causa sibi commissa, et laudum pro-

ferre in eo loco, in quo factum est compromissum, dummodo compromittentes, ad hanc causae cognitionem, alium locum non designaverint.

Locus, in quo pronuntiatur arbitrium debet esse

1.° honestus, et quidem respectu utriusque compromittentis:

2.° non ecclesia.

Quocumque tempore arbiter potest arbitrari, exceptis feriis, ratione quarum distinguendum inter *arbitratorem* et *arbitrum.* Primus proferre sententiam suam potest etiam die feriato: secundus laudum pronuntiare potest etiam diebus feriatis, si feriae sint *legales*, et partes id petant; non vero si feriae in honorem Dei sint institutae.

Casu, quo plures assumpti sunt arbitri, omnes simul praesentes esse debent (*jure civili* spectato) quando pronuntiatur arbitrium, nisi in eos compromissum sit, *ut uno alterove absente*, *reliqui nihilominus procedere valeant. Jure vero canonico*, si major arbitrorum pars adsit, et reliqui vocati, ac requisiti ut intersint, absque justo impedimento, ex negligentia, vel malitia causae cognitioni interesse nolint, reliqui praesentes causam examinare et definire libere possunt.

Quorum sententiae standum est, si plures electi arbitri dissentiant? Nisi compromissum sit ita, ut concordare omnes debeant, standum est sententiae, in quam major pars illorum convenerit. Si plures electi utrinque numero pari dissentiant, judex ordinarius compellere eos debet, ut tertiam personam certam eligant, cujus authoritati stetur, ac pareatur. Si omnes discordent, videndum, an pronuntiatum unius contineatur in pronuntiato alterius, vel non. Si hoc secundum, arbitrium propter dissensum arbitrorum non valet. Si primum contingat, et unus v. g. condemnet in 15, alter in 10, tertius in 5, tenebit sententia de summa minori.

Effectus recepti arbitrii plures occurrunt ex parte arbitri, ex parte compromittentium, et ex parte causae.

Ex parte arbitri hi effectus habentur:

1.° etsi arbitri munus in se suscipere non cogatur, si tamen illud in se susceperit, in eo perseverare usque ad finem tenetur:

2.° debet procedere secundum tenorem compromissi, nam aliter arbitrium irritum efficitur:

3.° debet pronuntiare juste et sincere, remotis partium studiis, juxta leges, statuta, et consuetudines loci, in quo pronuntiandum est:

4.° potest non comparentes et contumaces punire *pecuniam cum adversario dari jubendo*:

5.° si semel bene, vel male pronuntiaverit, pronuntiatum corrigere non amplius potest.

Ex parte compromittentium hi sunt effectus:

1.° arbitro vocanti tenentur parere:

2.° regulariter obligantur stare sententiae arbitri, sive aequa, sive iniqua sit.

Ex parte causae denique arbitrium sequentes producit effectus:

1.° illi imponit finem ita ut ne appellari quidem ab ipso possit:

2.° interrumpit praescriptionem, siquae fuit coepta, in re per compromissum decidenda:

3.° acta coram arbitro in eadem causa, et inter cosdem compromittentes in quolibet judicio vim probandi retinent.

Causae quae excusant arbitros, quominus arbitrium dicere teneantur, plures sunt:

1.° si litigatores cos infamaverint:

2.° si spreta eorum authoritate, ad judicem, vel alios arbitros iverint, etsi mox redierint:

3.° si litigantium alter cesserit bonis:

4.° si inimicitiae capitales inter ipsos et litigatores intercesserint:

5.° si judices sint ejus rei, de qua in ipsos est compromissum:

6.° si cum servo electi sint arbitri:

7.° si superveniat adversa valetudo, urgeat necessaria profectio etc.

8.° si novum munus publicum sit susceptum.

Quinque casibus laudum, sive sententia arbitri non debet necessario observari:

1.° quando dicta est, non observata forma expressa in compromisso:

2.° quando adversatur legibus, aut SS. canonibus:

3.° quando dolo pronunciata est:

4.° quando ejus iniquitas est notoria:

5.° quando ob eam pars enormissime laesa est.

Ut cognoscatur an debeat servari arbitrium, si eo pars graviter quidem, sed non enormissime et citra dolum laesa sit, distinguendum est inter arbitrum, et arbitratorem. *Arbitratoris* sententiae pars laesa stare non obligatur, sed toties, quoties apparet iniqua, ad arbitrium boni viri reduci potest usque ad annos 30. De *arbitri* sententia distinctio altera adhibenda est: an illa a partibus expresse, vel tacite per 10 dierum lapsum homologata sit, vel non. *Si homologata nondum est*, recedi ab illa potest:

si homologata sit tacite, vel expresse, ad aequitatem, etiam praetextu laesionis gravis, arbitrio viri reduci non potest.

Reductio sententiae arbitratoris petenda est coram judice ordinario, non ipsius arbitratoris, sed illo, coram quo alias agendum fuisset, si compromissum non fuisset factum.

A judice reductionis appellari potest.

Compromissum et arbitrorum potestas solvitur pluribus modis.

Ex parte arbitrorum solvitur

1.° morte arbitrorum, etiam unius, si plures electi sint, et res adhuc sit integra:

2.° deportatione eorum, et professione religiosa:

3.° diuturna absentia, vel alio impedimento, ob quod progredi arbiter in causa non potest:

4.° legitima arbitri recusatione.

Ex parte compromittentium solvitur

1.° morte compromittentium utriusque, vel etiam unius tantum:

2.° mutuo compromittentium consensu:

3.° si de re, super qua compromissum est, a partibus sit transactum:

4.° si una pars litigantium totum jus, quod circa rem controversam habuit, alteri cessit:

5.° si recedens a compromisso poenam ab eo statutam solverit.

Ex parte causae solvitur

1.° pronuntiatione definitiva super tota, vel omnibus causis, super quibus in arbitros est compromissum:

2.° lapsu temporis pro causa finienda praestituti:

3.° lapsu triennii a lite coram arbitro contestata, si nullum certum tempus causae expediendae praefixum sit:

4.° deficiente conditione sub qua in arbitros est compromissum:

5.° interitu rei, de qua arbitrium ferendum erat.

Officium et potestas arbitratoris finitur iisdem fere modis, quibus officium et potestas arbitri.

Morte arbitri non expirat arbitrium

1.° quando in compromisso expressum est, ut ad haeredes, vel alios successores transeat, aut ita conventum ut, uno defuncto, arbitrari reliqui possint:

2.° si compromissum sit in aliquod collegium, vel universitatem:

3.° si compromissum sit in praelatum, expresso nomine dignitatis, et hac tantum respecta.

Mors procuratoris solvit compromissum ab ipso initio, si sit procurator datus *in rem propriam*, non vero si datus sit *in rem alienam*.

Compromissum a tutore vel curatore factum, non horum, sed pupillorum et minorum morte solvitur, quorum gratia factum est.
Si Praelatus compromisit super re, aut jure ecclesiae, de quo ipse solus disponere potest, compromissum per mortem ipsius si arbitrium, seu laudum nondum latum est, extinguitur: si vero compromisit super rebus et juribus, de quibus facultatem disponendi non habet, tunc solum post mortem ejus compromissum ad successorem transit, quando ipse solemnitates adhibuerit ad valorem compromissi requisitas.
Tria numerantur remedia contra laudum, seu sententiam injustam arbitri:
1.° is, contra quem hujusmodi sententia injusta lata est, si conveniatur actione ex stipulatu ad poenam promissam solvendam, *uti potest doli mali exceptione*, et petentem repellere:
2.° in casu laesionis ultra dimidium justi pretii, ita laesus intentare potest remedium *l. rem majoris 2. c. de rescind. vendit.*, etiamsi laudum, et arbitramentum approbasset.
3.° si laudum contineat iniquitatem notoriam et manifestam, admittitur etiam ab eo appellatio, etiamsi compromissum sit juramento confirmatum.
Apud veteres, lites magis armis quam juris disceptatione finiebantur.
Tandem per constitutionem pacis publicae statutum est ut nemo privatorum sibi jus dicat.
Judicii nomen varias, easque in jure receptas significationes habet.
1.° Judicium aliquando significat animi discretionem, et rationis usum: 2.° aliquando sumitur pro opinione et credulitate: 3.° pro ultimae voluntatis elogio: 4.° pro actione in judicio mota: 5.° pro ipsa rei examinatione: 6.° pro condemnatione: 7.° pro sententia: 8.° pro jurisdictione et potestate authoritativa: 9.° denique sumitur pro toto processu, seu discussione causae, quae inter actorem et reum judice competente agitatur.
Quaestio est ipsa res, vel jus controversum, quod deduci potest in judicium.
Causa est ipsa quaestio in judicium deducta.
Litis nomine venit actio, quae, causa controversa, deducitur in judicium.
Instantia est exercitium actionis, quod litis contestatione incipit.
Quaestio, quae in judicio disceptatur, est *facti* et *juris*.
Facti quaestio habetur cum de facto, ejusque circumstantiis quaeritur.
Juris quaestio habetur cum quaeritur de facti merito.
Judicia *originaliter* sunt juris naturalis, et hoc ostenditur necessi-
Digitized by Google

tate humani generis: *formaliter* sunt juris civilis, et hoc patet ex solemnitatibus judiciorum a jure civili inventis.

Petitio actoris, citatio rei, probatio causae, ejusdemque defensio, decisio illius, et sententiae pronuntiatio sunt juris naturalis.

Libelli oblatio, litis contestatio, juramentum calumniae, feriae, dilationes, fatalia, sententiarum formulae sunt juris positivi humani.

Summus Princeps de plano potest causam cognoscere, et alicui sic delegare ut eam dirimat simili modo.

Solemnitates judiciales per solemnitatem tolli possunt.

In nullo judicio omitti possunt ea, quae substantialia judiciorum dicuntur.

Judicium, ratione *causae efficientis*, seu *personarum judicantium*, partitur 1. in *ordinarium* et *delegatum*. Ordinarium dicitur quod instituitur coram judice ordinario: delegatum in quo coram judice delegato disceptatur. 2. In *ecclesiasticum*, et *saeculare*: ecclesiasticum est quod instituitur a judice ecclesiastico qua tali : saeculare quod expeditur a judice saeculari qua tali.

Ad judicium ecclesiasticum pertinent: 1.° omnes causae spirituales, ve his annexae: 2.° lites etiam civiles si vel uterque litigans, vel reus conventus sit de foro ecclesiastico: 3.° crimina haeresis, apostasiae, schismatis, simoniae et similium: 3.° In *mixtum*, quod habetur quando causae coram judice ecclesiastico vel saeculari, prout alterum praevenerit, agitari possunt.

Ratione *materiae* judicium dividitur:

1.° in *spirituale* et *temporale*. *Spirituale* est in quo causa spiritualis, vel spirituali annexa tractatur: *temporale* in quo de re mere temporali, et profana contenditur. Spirituale judicium minus late patet quam ecclesiasticum, temporale magis late quam saeculare.

2.° In *universale*, *generale*, et *speciale*. *Universale* est in quo controversia movetur de aliqua universitate. *Generale*, quod ad plura objecta, sed separata porrigitur. *Speciale*, quod instituitur circa rem specialem, determinatam ac singularem.

3.° In *reale* et *personale*. *Reale* est in quo disputatur de jure in re; *Peresonale*, in quo instituitur actio in personam.

4.° In *petitorium* et *possessorium*. *Petitorium* vocatur in quo litigatur de proprietate rei. *Possessorium* in quo inter partes contentio est de sola rei, vel juris possessione, aut quasi possessione:

5.° In judicium *bonae fidei* et *stricti juris*. Judicium *bonae fidei* est in quo liberam potestatem a lege sibi concessam judex ha-

bet, ut aestimare ex aequo et bono possit - *stricti juris*, in quo facultas judicis est restricta, ita ut ultra id quod vel nominatim inter partes actum, vel specialiter legibus de negotio cautum est, sententia sua non possit progredi.

6.° In *simplex* et *duplex*. *Simplex* censetur in quo unus subit vicem actoris, alter vicem rei. - *Duplex* dicitur in quo uterque litigantium est actor, et uterque reus.

Ratione *formae* judicium dividitur in *plenarium* et *summarium*. Plenarium, quod etiam *ordinarium*, et *solemne* dicitur, est in quo, juris ordine, et solemnitatibus accurate servatis, de causa cognoscitur et pronuntiatur. Summarium, quod etiam *extraordinarium* vocatur, est in quo, praetermissa observatione solemnis ordinis judiciarii, simpliciter et de plano proceditur.

Ex iis quae jure divino, vel naturale aut gentium requiruntur, nihil omitti in processu summario potest.

Ratione *finis* dividitur judicium in *civile* et *criminale*. *Civile* est in quo disceptatur de causa civili, seu in quo principaliter intenditur commodum privatum actoris. *Criminale* est in quo de crimine agitur criminaliter, sive ad vindictam publicam, vel poenam etiam extraordinariam applicandam.

Judicium criminale subdividitur

1.° in *capitale* et *non capitale*. *Capitale* est in quo agitur de crimine capitali. *Non capitale*, in quo agitur de crimine non capitali.

Capitale crimen dicitur, ex quo reo irroganda est poena capitalis, tam naturalis, quam civilis. *Non capitale crimen* est ex quo reus, salvo capite, tam naturaliter, quam civiliter loquendo, circa bona, existimationemque punitur, aut aliquam corporis coercitionem sustinet.

2.° Item subdividitur in *publicum* et *privatum*. *Publicum* est in quo agitur de crimine, quod accusare cuivis ex populo est permissum. *Privatum* est in quo agitur de crimine, quod accusandi jus iis tantum competit, ad quos res vel injuria pertinet:

Personae ad judicium concurrentes sunt duplicis generis: aliae *principales*, quae judicium constituunt; aliae *minus principales*, quae non sunt necessariae ad illud instituendum.

Judex, *actor*, et *reus* judicium quodcumque constituunt. Judex est persona, quae publica authoritate judicio praeest, et rem controversam secundum juris praescriptionem decidit. Actor est qui actionem proponit et prior ad judicium provocat. Reus est qui ab actore in jus vocatus, ejus actionem propulsando, se defendit.

Ex personis quae in judicio interveniunt minus principaliter, aliae juvant litigantes; ut advocati, procuratores, testes ecc. aliae judicem 1.° *consultando*, ut faciunt assessores et consiliarii: 2.° *acta* judicii conscribendo, ut tabelliones: 3.° *exequendo quod judex imperat*, ut apparitores, cursores, executores ec.

Assessores ab *assidendo* dicti sunt, quod eum in finem assumuntur, ut judici assideant, eumque suo consilio in judicando adjuvent. Hodierno autem jure in plerisque principum dicasteriis jurisdictionem etiam, et causarum decisionem habent.

Notarii varia sortiuntur nomina. Dicuntur *notarii* a *notis*, seu abbreviato scribendi modo, quibus olim gesta excipiebant: *scribae publici*, quia quae publice fiunt, publica authoritate conscribunt: *actuarii* dum acta judicialia notant: *tabelliones*, quia annotationes suas olim referebant in tabulas; *protocollistae*, quia hodie protocollum, seu librum actorum habent.

Cursorum officium est jussa sui magistratus et judicis implere, litigantes in jus vocare, actusque judiciarios exequi.

Auditores sunt, quibus vel tota causa, vel certus causae articulus examinandus committitur, eo fine ut post diligens examen super hoc institutum, rem omnem exponant judici, ejusque decisioni relinquant. Horum usus est in curia romana, et apud legatos Sedis apostolicae.

Referendarii sunt qui causarum momenta discutiunt, et postea earum substantiam, rationem et merita judici, et assessoribus referunt, sicque illos ad sententiam ferendam instruunt.

Non necesse est in omni judicio intervenire judicem, actorem, et reum

1.° quia judicio criminali, quando agitur de crimine notorio, et per viam inquisitionis specialis ex officio proceditur, nullus est actor:

2.° quia aliquando proceditur per viam inquisitionis generalis ad inveniendum malfactorem, ubi tam actor, quam reus deficit.

Ut judex cognoscere et judicare de causa aliqua possit, necesse est, ut illa sit sui fori. Sed neque de causa qualibet, quae sui fori est, judex potest cognoscere, nam

1.° nemo potest esse judex in causa, in qua advocatus est:

2.° non admittitur tamquam judex ordinarius, vel delegatus ad tractactionem causae, qui consimilem habet ipse tamquam actor vel reus:

3.° non potest aliquis esse judex in causa propria, seu tali, cujus emolumentum, vel damnum ad ipsum suo nomine pertinet.

Princeps, seu *judex supremus* in causa propria, sive quae verti-

Digitized by Google

tur inter ipsum et subditos judex esse potest, si vel arbitris eam decidendam committat, vel judices ordinarios, aut delegatos constituat, qui jus inter ipsos et subditos suos dicant.

Judex principe *inferior* in propria causa *regulariter* judicare non potest.

Plures vero sunt casus quibus inferior judex *legitime* potest procedere in causa, quae ipsiusmet est, aut videri potest.

1.° In iis, quae sunt jurisdictionis voluntariae, exceptis actis, qui specialem causae cognitionem exposcunt:

2.° si factum, e. g. injuria, ipsi judici illata, sit notoria, ubi tamen quoad irrogationem poenae est distinguendum, an injuria illata sit judici utpote tali, an ejus personae. In *primo casu* potest in injuriantem decernere poenam tam ordinariam, quam arbitrariam: in secundo casu arbitrariam quidem irrogare non potest, quia esset judex in causa propria:

3.° quando Episcopus, vel alius similis praelatus judicat in causa sua ecclesiae; ubi distinguendum an causa directe spectet ad ipsam ecclesiam, an ad episcopi personam. Si *primum* potest Episcopus in ea causa esse judex: si *secundum* nequit judicare;

4.° in causa competentiae, sive quando judex rationabiliter dubitat, an jurisdictio quam habet, se extendat ad causam perlatam ad suum tribunal.

Acta et sententiae pronuntiatae a judice solum existimato, sive qui revera judex non est, si *probabili* et *publico*, *seu communi populi errore* talis esse existimatur, sunt valida.

Acta judicis existimati, quantumvis is careat titulo colorato, valent.

Plures sunt casus in quibus acta judicis existimati valent.

1.° Valent acta Episcopi, cujus electio propter quodcumque juris humani impedimentum fuit nulla, si ejus nullitas publica ignoretur:

2.° Valent absolutiones collatae a Sacerdote, et coram eo celebrata matrimonia, etsi vere parochus non sit; modo pro legitimo parocho communiter sit habitus:

3.° eadem acta, sententiae, et absolutiones subsistunt, quamtumvis episcopus excommunicatus, suspensus ecc. fuisset, modo communi errore existimetur adhuc praeditus jurisdictione sufficienti:

4.° ea ipsa valebunt, quamtumvis impedimentum unus, vel alter sciverit, modo ii, a quibus gesta sunt, pro veris judicibus communi errore sint habiti:

5.° imo valent acta, quae judex mala fide egit, scilicet sciens

se carere jurisdictione, modo communi errore hac praeditus existimetur:

6.° eadem acta valent, etsi una, vel utraque pars sciat, judicem coram quo agunt legitima potestate instructum non esse, modo communiter habeatur pro vero judice.

Possunt agere et conveniri in judicio qui legitimam personam standi in judicio habent,

In judicio stare nequeunt

1.° *infantes*, *furiosi*, *amentes*, *surdi*, *et muti*, *et prodigi*.

2.° *Servi proprie dicti* in causa pecuniaria, quia quoad actus civiles pro mortuis habentur.

3.° *Pupillus* sine authoritate tutoris, dummodo non agatur de aliquibus causis criminalibus, et momentanea possessione; et adversarius eum non removeat contra ipsum excipiendo.

4.° *Minor 25 annis* sine authoritate curatoris. Agere vero et conveniri potest absque hujusmodi authoritate. 1.° Si 20. aetatis anno impleto, veniam aetatis impetravit: 2.° in causa momentaneae possessionis: 3.° si querelam porriget de thoro violato: 4.° in causa alimentorum: 5.° cum de castrensibus, aut patris testamento litem agit: 6.° in praeparatoriis ad judicium: 2.° si absque tutore, vel curatore contrahens cum aliquo juret se esse majorem, et postea ex tali contractu oriatur controversia: 8.° si in causis civilibus sine tutore, vel curatore juravit gestis, vel in judicio gerendis non contravenire: 9.° si causa sit spiritualis: 10.° si in judicium deducatur causa connexa cum spirituali.

Minor vero *impubes* nequit stare in judicio sine curatore 1.° in causis spiritualibus, vel quae sunt spiritualibus annexae; sed eidem dandus est curator, qui loco illius litem prosequitur, et 2. in quibuscumque causis, in quibus consuetudo legitima praescripta concedit *minori* potestatem sine interventu curatoris litigandi in judicio.

5.° *Filius familias*. Hic tamen si *cum patre* litigare velit, indiget venia a praetore obtenta: si *cum extraneo* indiget consensu patris, et si major sit annis 25. De hoc consensu patris non indiget 1. si lis sit de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus: 2. si pater longius absit, aut dementia laboret, aut alias periculum in mora versetur: 3. in praeparatoriis judicii usque ad contestationem litis exclusive; 4. in momentanea possessione: 5. quando agitur de thoro violato: 6. in his, quae extraordinario officio judicis explicantur; 7. in causis bo-

norum adventitiorum : 8. in causis sqiritualibus , et quae ab bis dependent , modo sit pubes : 9. in causa personali.

6.° *Mulieres.* Hic tamen distinctioni locus est inter causas civiles et criminales. In *civilibus* invitae personaliter ad judicium trahi non permittuutur : si tamen velint , agere et respondere in eo possunt. In *criminalibus* non quidem permittuntur agere , vel accusare excepto casu , iu quo suam injuriam prosequantur , vel id publica utilitas , aut natura causae exposcat : si tamen atrocis alicujus criminis reae sint , invitae in judicium trahi possunt.

In causis criminalibus et civilibus foeminae viles inhoneste , et luxuriose viventes , ad judicium personaliter evocari , et si criminum reae sint , seorsim tamen a viris detineri non prohibentur.

7.° *Excommunicatus* excommunicatione majore. Hic vero adhibenda est haec distinctio. Si excommunicatus vitandus *reus est necessarius* , non solum admittitur , sed etiam compelli ad respondendum in judicio potest , in quacumque causa conventus fuerit. Si *reus est voluntarius* , antequam absolvatur ab excommunicatione , ad respondendum in judicio non admittitur.

Excommunicatus non vitandus in judicio stare potest ut *actor* , si neque pars contra cum excipiat , neque judex illum repellat. Si vero sit excommunicatus vitandus , *regulariter* ab *agendo* repelli debet.

Reus excommunicatus potest actorem reconvenire , si *causa reconventionis cum causa conventionis connexa sit* ; si *causa nova sit, et cum illa conventionis non connexa* , actorem nequit reconvenire.

Excommunicatus in judicio conventus cogi potest, ut per procuratorem respondeat, si causa *ardua* non sit : si causa *ardua* sit , potest per se ipsum comparere , et respondere in judicio.

8.° *Religiosus.* Hic ut conveniat , vel conveniatur in judicio , eget consensu praelati , exceptis hisce casibus. 1. Si obtineat beneficium ecclesiasticum , quod annexam habet administrationem aliquam. 2. Si studiorum et aliorum negotiorum causa a monasterio procul absit : 3. Si agere velit , ut in religione retineatur , vel ab ea expulsus restituatur etc. 4. si proprius praelatus tamquam dilapidator etc. accusandus sit : 5. Si defendendus sit proprius praelatus incarceratus. 6. Si tuenda causa monasterii, et praelatus sit absens. 7. Si conveniendus sit causa proprii delicti.

Praelatus super ecclesiae , vel monasterii rebus , juribusque com-

Digitized by Google

munibus, nisi sit causa majoris momenti, vel administratio in casu aliquo speciali ad praelatum, et capitulum pertineat communiter, sine consensu capituli, vel conventus in judicio agere et respondere potest.

Si agatur de bonis et juribus, quae a praelaturae bonis prorsus separata, et capitulo, vel monasterio specialiter attributa etiam quoad administrationem sint, in his agere, et conveniri debet capitulum, vel monasterium; neque ad hoc opus est consensu praelati.

Abatissae, praelati regulares, et alii praepositi monasteriis virorum possunt agere et respondere in judicio per constitutos procuratores super rebus et juribus monasteriorum suorum.

Jus agendi super rebus et juribus ecclesiae parochialis ad parochum spectat, si haec ecclesia proprium parochum habeat, nec alicui ecclesiae, vel monasterio unita sit. Si vero haec unio habeatur, super rebus, juribusque ecclesiae incorporatae agit et respondet in judicio collegium, vel monasterium, cui est incorporata.

Praelatus *inferior* potest agere et respondere in judicio super rebus et juribus ecclesiae sibi concreditae, dummodo *superior* non velit ipsemet agere et respondere. Si tamen rerum juriumque administratio est penes *inferiorem* tantum, hic omnino praeferendus est in agendo, vel respondendo in judicio.

Si capitulum sine consensu praelati, cum debuisset illum exquirere, in causa propria egit in judicio, et causam obtinuit, sententia in favorem ejusdem lata ratificari a praelato per subsequentem consensum potest.

Praelatus in causa propria capituli, capitulum in causa propria praelati admittitur ad agendum, et respondendum in judicio, si aut praelatus habeat speciale mandatum a capitulo, vel capitulum a praelato: si vero mandato ejusmodi careant, necesse est ut caveant de rato.

Nemo compelli potest ad agendum in civilibus et criminalibus. Excipitur

1.° qui jam semel actionem proposuit:
2.° qui alterum diffamavit:
3.° creditores studiosorum discessurorum ab academiis:
4.° tutores et curatores:
5.° administrator civitatis:
6.° haeres.

Actor et reus cogi possunt ut personaliter compareant in judicio, si judex sit supremus, puta Papa, Imperator, Rex: Ast ad hoc

Digitized by Google

cogi non possunt, quando **judex est inferior supremo**, dummodo causa non sit criminalis.

Actor et reus nequeunt cogi a judice delegato Principis, etiamsi sit delegatus papae, ut se personaliter sistant in judicio.

Judex inferior ordinarius, vel delegatus compellere potest partes ad personaliter comparendum in judicio

1.° Si causa sit criminalis, et injungenda poena major:
2.° si praestandum sit juramentum calumniae:
3.° si specialiter examinare oporteat qualitatem personae, maturitatem aetatis, judicii discretionem:
4.° si actoris, vel rei praesentiam personalem necessitas juris exigat:
5.° si indicia contra reum sint vehementia, et accedente praesentia rei, veritas facilius deprehendenda speretur:
6.° si judex delegatus papae ad hoc habeat speciale mandatum.

Ea quae ad factum pertinent, non per advocatos, sed per ipsas personas principales proponi debent. Excipiantur quatuor casus:

1.° si principalis sit homo simplex, et rudis:
2.° si advocatus ad factum proponendum in judicio habeat speciale mandatum:
3.° si consuetudo expositiones facti ab advocatis admittat:
4.° si judex et pars altera non contradicat, quando advocatus ea proponit, quae facti sunt.

Qui promisit se litigaturum coram judice, sedenti pro tribunali, etsi litem nondum sit contestata, non potest amplius judicium recusare, vel exceptionem fori declinatoriam opponere, nisi nova causa superveniat vel antiqua, quae latebat et ignorabatur, delegatur.

Causae ecclesiasticae sunt duplicis generis aliae *mere ecclesiasticae*, seu *spirituales*, et aliae *non mere ecclesiasticae*, seu *temporales*.. De mere ecclesiasticis indubitata apud omnes tam catholicos, quam heterodoxos sententia est, illas ad cognitionem judicis ecclestastici, et quidem solius, laicis omnino exclusis, spectare.

Item ad cognitionem judicis ecclesiastici pertinent illae causae, quae ab intrinseco spirituales non sunt, sed spirituali tantum annexae, quales sunt causae redditum ecclesiasticorum, decimales etc.

Judex laicus *principaliter* et *per se* de jure patronatus non potest cognoscere, vel pronuntiare: quamvis id ei permissum sit *secundario* et *accessorie*, quod verificatur si ipse per sententiam condemnet possessorem castri alicujus, ut illud domino suo reddat una cum juribus patronatus ei annexis.

Ad judicem saecularem spectat cognoscere de quaestione orta super jure sepolturae, *si quaestio sit mere facti*: si vero *quaestio sit juris*, ad judicem ecclesiasticum cognitio causae pertinet.

Coram solo judice ecclesiastico causae matrimoniales decidendae sunt.

In causis matrimonialibus infidelium judex competens est solus judex saecularis.

Circa solemnitates matrimoniorum extrinsecas, etiam inter christianos princeps saecularis statuere potest.

Magistratus saecularis potest cogere subditos suos poenas infligendo, ut ea, quae jure ecclesiastico de contractu matrimonii statuta sunt, observentur.

Ad solum judicem laicum cognitio de causa dotis, et alimentorum spectat, si de eadem causa *principaliter* agatur; si *accessorie* ita ut quaestio incidat in causa divortii ad judicem ecclesiasticum spectabit de illa cognoscere.

Quando dubitatur an causa sit spiritualis, vel temporalis, ejus decisio pertinet ad judicem ecclesiasticum.

Laicus potest de causis spiritualibus cognoscere ex delegatione summi Pontificis, non vero ex delegatione alterius praelati ecclesiastici.

Causae profanae si agitentur inter clericos, vel saltem reus sit clericus, tractandae sunt a judice ecclesiastico: si vero agitentur inter laicos, vel saltem reus conventus sit laicus, solius judicis laici cognitioni, et jurisdictioni subsunt.

Interdum accidit ut in causis etiam temporalibus reus laicus ecclesiastico judice conveniri possit. Hoc evenit 1. si vidua, pupillus etc. sint vi oppressi, et rerum suarum possessione dejecti: 2. si laicus res ad ecclesiam pertinentes turbet et invadat: 3. si agatur de peccato: 4. si consuetudine receptum sit, ut judices ecclesiastici causas laicorum etiam civiles cognoscant: 5. si juramentum contractui adjectum sit: 6. si causa sit mixti fori; 7. si constet, quod judex saecularis desit officio suo in administranda justitia actori; sive clerico, sive laico.

Judex ecclesiasticus potest supplere negligentiam illorum judicum saecularium, qui superiorem in temporalibus non cognoscunt; non vero illorum, qui talem superiorem cognoscunt.

Judex saecularis supplere negligentiam judicis ecclesiastici nequit, utpote ille cui desunt ad hoc faciendum cognitio, et jurisdictio.

Princeps saecularis potest supplere negligentiam judicis ecclesiastici, si is ejus vassallis non administraverit justitiam.

Digitized by Google

Causae mixti fori tractandae sunt ab eo judice, qui alterum cum quo cumulativam potestatem cognoscendi de hujusmodi causa habet: causae cognitionem in se suscipiendo praevenerit. Ad hoc autem duo requiruntur. 1. Ut causa ex se, et ex natura sua sit temporalis: 2. Ut vi legis aut consuetudinis cognitionem ejus suscipere judex ecclesiasticus possit

Causae mixti fori sunt 1. illae de matrimonio, decimis, jure patronatus etc. quando circa ea moventur quaestiones facti: 2. restitutionis, si ab ecclesia petatur contra laicum: 3. miserabilium personarum, quae sunt vi oppressae: 4. juramenti, quando agitur de ejus observantia: 5. usurarum, si contractus aliquam iniquitatem contineat: 6. adulterii, nisi de eo agatur ad dissolutionem, vel divortium: 7. criminum polygamiae, sodomiae etc. 8. blasphemiae, divinationis etc. 9. sacrilegii falsationis litterarum apostolicarum.

Si laicus a judice ecclesiastico propter crimen mixti fori punitus sit poena *ordinaria* secundum canones et leges statuta, ob idem crimen non poterit etiam puniri a judice laico: si contra solum affectus sit ab eodem judice ecclesiastico poena *medicinali*, et *legibus civilibus non definita*, ob idem crimen poterit in eum animadverti in foro saeculari adhuc poena ordinaria per leges statuta.

Laicus criminis accusatus, si in foro ecclesiastico absolutus sit, accusari, vel condemnari a judice saeculari non potest amplius, saltem quoties crimen non fuit obnoxium poenae sanguinis, et condigne a judice ecclesiastico puniri potuit.

Si lis agatur inter duos vassallos, de ea cognoscere debet dominus directus.

Si lis agatur inter vassallum et extraneum, causae cognitio pertinet ad judicem ordinarium rei conventi.

Quando lis habetur inter vassallum et dominum directum, si vassallus rem, de qua controversia est, dicit esse allodialem et liberam, tunc controversia decidi debet a judice ordinario rei conventi: si vero fateatur rem feudalem esse, sed quaestio tantum incidit super feudi concessione, devolutione etc., tunc cognitio causae pertinet ad pares curiae, si tales sint, vel si nulli sint pares curiae, iterum ad judicem ordinarium rei conventi.

Pares curiae appellantur convassalli ejusdem domini directi, degentes in eodem territorio, nam si in diversis districtibus habitent, inter se pares curiae non sunt.

Si lis sit inter dominum directum, et extraneum, judex ordinarius rei conventi judicat.

Si dubium oriatur, cujus ex duobus litigantibus feudum sit, decisio controversiae pertinet domino directo, quia causa vere est feudalis, ac proinde non ab alio, quam ab ipso domino rectius et expeditius tractari potest.

Si vero neuter litigantium aliud feudum a domino directo obtineat, cognitio causae competit judici ordinario.

Causae connexae, nisi aliud quid obstet, ab uno eodemque judice cognoscendae sunt.

Causae connexae dicuntur, quae communem habent liquidationis, et discussionis qualitatem, ac rationem, propter quam una sine altera plene, ac liquide cognosci, ac definiri nequit.

Pluribus modis possunt esse causae connexae. 1. *Ratione personarum*: 2. *ratione rei*: 3. *ratione questionis praejudicialis* in judicium incidentis: 4. *ratione reconventionis*: 5. *ratione actionis generalis*.

Ille habetur tamquam judex legitimus in causis connexis, qui est superior respectu omnium interesse habentium.

Judex qui cognovit de una causa, cognoscere de altera connexa non potest 1. si reus conventus contra dividentem causarum continentia non excipiat: 2. si judex, coram quo agitatur una ex connexis, respectu alterius ex illis sit incompetens: 3. si unus ex litigantibus sit laicus, alter clericus: 4. si reus in primo judicio contumax fuit: 5. in executiviis, seu cum ad executionem proceditur: 6. si juramentum contractui adjectum fuerit.

Judiciorum forma consistit in *processu judiciario*, qui variat juxta stylum et consuetudinem.

Effectus judicii sunt 1. quod litibus et controversiis imponat finem, eoque rem deducat, ut quisque consequatur, quod suum est: 2. quod judicio caepto, neuter litigans adversario dissentiente, a judicio possit recedere: 3. quod acta coram judice incompetente sint invalida.

Judicium redditur nullum 1. ex defectu capacitatis et competentiae judicis: 2. ex defectu personarum versantium in judicio: 3. ex defectu actus, sive solemnitatis substantialis: 5. ex defectu ordinis judiciarii.

In iis judiciis, in quibus magis consideratur aequitas, ut in foro canonico, et camera imperiali, nullitates ex defectu solius processus et solemnitatis provenientes non attenduntur.

Finitur judicium duobus modis per *sententiam definitivam*, et ali-

quando etiam ante illam: In hoc secundo casu finitur 1. *mutua voluntate partium*: 2. *absolutione ab observatione judicii*: 3. *lapsu temporis*; exceptis 1. causis fiscalibus, 2. causis in consistorio agitatis, 3. causis ubi a Principe instantiae terminus prorogatur, 4. et causis ubi reus conventus subterfugiis et cavillationibus suis impedimenta objicit, quominus intra trienni terminum ferri sententia definitiva possit.

Peti potest absolutio ab observatione judicii 1. si in progressu litis appareat, quod intentio, ac petitio actoris in libello inepta proposita fuerit: 2. si post litem contestatam, reo praefixum terminum comparente, actor contumaciter absens causam non prosequatur, 3. si ante litis contestationem, actore non comparente in termine peremptorio, comparcat reus, et contumaciam absentis accuset.

Hodie modus finiendi lites lapsu biennii in causa criminali, et triennii in causa civili a foro recessit: nam 1. in tribunalibus supremis pricipum ex consuetudine nunc potius habetur ratio; 2. in multis etiam tribunalibus inferioribus receptum est, ut, lite etiam intra triennium non finita, instantia tamen non censeatur perempta: 3. de jure SS. canonum non tantum consuetudine, sed lege scripta instantia videtur esse perpetua quoad omnes causas, excepta illa appellationis, cui finiendae annus praefixus est.

Fori nomen multipliciter accipitur. 1. significat locum rerum venalium negotiationi destinatum: 2. districtum, in quo quisque judex jurisdictionem habet: 3. locum, qui ad exercendas, ac judicis sententia definiendas lites est destinatus. 4. jurisdictionem exercentis judicium, seu publicam potestatem de causa in judicium deducta cognoscendi, ac renuntiandi.

Forum dividitur 1. *in competens*, et *in incompetens*. *Forum competens* est in quo reus conveniri potest et debet. *Incompetens* in quo reus nec conveniri potest nec debet.

2. In ecclesiasticum et saeculare. Forum ecclesiasticum subdividitur in *internum* et *externum*.

3. In *ordinarium* et *extraordinariam*. *Ordinarium* est quod habent judices in personas, et causas specialiter non exemptas ratione domicilii, delicti, rei sitae etc. *Extraordinarium*, quod ex accidenti competit, ut fit per prorogationem, continentiam, vel connexionem causarum. Ordinarium subdividitur in *commune* et *singulare*.

4. In *contentiosum* et *voluntarium*. Illud est in quo exercetur jurisdictio contentiosa; hoc in quo voluntaria.

Judex competens dicitur is cujus jurisdictioni subjicitur reus; seu coram quo actio, et lis proponi, atque institui, et finiri potest.

Alius est *simpliciter competens*, quem sc. pares litigantes adire possunt et debent.

Alius est *per se incompetens*, qui tamen consensu partium litigantium, dum jurisdictionem ejusdem prorogant, competens fieri potest.

Utrique opponitur judex, qui simpliciter est incompetens, ita ut nec partes jurisdictionem ejusdem prorogare in se consensu suo possint.

Generali commissione eorum, quae ad forum ecclesiasticum spectant, etiamsi videtur comprehendi jurisdictio utriusque fori, tam interni, quam externi, tamen si extensione commissionis ad forum internum praejudicetur alicui tertio, commissio ad forum externum restringi debet: si non praejudicetur, etiam jurisdictio fori interni commissa censebitur.

Sententia lata a judice *simpliciter incompetente* nulla est ipso jure.

Sententia lata a judice *per se incompetente nulla est*, si pars litigans ab eo in jus vocata ignoraverit eum esse incompetentem: *valida est* si pars litigans judicis incompetentiam sciverit, et tamen non opposita exceptione fori declinatoria, comparuerit.

Competentia fori deducitur 1. *ex persona judicis*, *ejusque jurisdictione*. 2. *ex persona reconventi*: 3. *ex qualitate causae in judicium deductae, vel deducendae*.

Si actor habeat forum diversum a foro rei, haec regula est, quod ille forum hujus sequatur, nisi aliter velit consuetudo,

Primus et ceteris amplior modus sortiendi forum est *domicilium*, quod in *commune* et *privatum* partitur. Commune civibus romanis est Roma. Privatum est vel *naturale*, seu *originis*, vel *accidentale*, seu *habitationis*, quod secundum est vel *necessarium*, vel *voluntarium*. Utrumque hoc dicitur *quasi domicilium*, quod petit diuturnam in loco commorationem; et *simpliciter domicilium*, quod stabili et perpetua habitatione contrahitur.

Verum domicilium habetur, ubi quis familiam, rerum, ac fortunarum summam sic constituit, ut inde non sit discessurus.

Ad comparandum domicilium in aliquo loco, requiruntur *animus* et *factum*: ut scilicet quis demonstret et voluntatem constituendae in eo loco habitationis perpetuae, ac stabilis, et reapse hanc habitationem constituat.

Ad domicilii comparationem sufficit, siquis in eodem loco habitationem constituerit, animo in eo perpetuo et stabiliter permanendi, etiamsi eadem non trastulerit majorem bonorum suorum partem.

Ut quis in loco aliquo domicilium constituisse dicatur, non requiritur habitatio diuturna, si certum sit de animo transferentis domicilium, quod velit ibidem perpetuo persistere.

Quando dubium est de animo persistendi aliquo in loco, etiamsi aliqui requirunt decennium, ut animus hic praesumi de eo possit, tamen spatium temporis accommodati ad hanc praesumptionem hauriendam relinquendum est prudentiae, et arbitrio judicis, qui proinde, ut recte ferat judicium, accurate considerare debebit circumstantias loci, personarum, et vel maxime causarum diuturnioris commorationis in loco.

Animus constituendi domicilium colligi et praesumi potest 1. ex domicilio originis: 2. ex matrimonio: 3. quando clericus alicubi beneficium habeat residentiam exigens: 4. siquis in aliquo loco majorem partem bonorum suorum possideat: 5. siquis venditis rebus suis, quas alibi habebat, in aliam urbem cum familia demigrarit: 6. siquis in aliqua civitate jus civitatis impetrarit, et ibidem habitaverit.

Potest aliquis in duobus, vel pluribus locis simul habere domicilium, si aequali tempore in iisdem degat, non mathematice, ita ut in uno loco non plus uno die, quam in alio habitet; sed moraliter, ut in quolibet loco per magnam anni partem, quamvis non aequalem habitationem habeat.

Domicilium quandoque haberi potest absque habitatione ab iis tantum, qui ratione conditionis, vel status sui alicubi stabiliter manere tenentur.

Vis domicilii veri est, ut ratione illius sortiatur quis forum quoad universam jurisdictionem, tam contentiosam, quam voluntariam in causa civili et criminali.

Quasi domicilium sortitur aliquis in loco illo, in quo animo non perpetuo, sed per annum, vel majorem, vel saltem notabilem anni partem commorandi degit.

Effectus quasi domicilii est 1. quod hoc habentes, quamdiu ibidem existunt, teneantur legibus, statutis, et consuetudinibus illius loci.

2. Ut acquirant jus parochiae, et subditi ei fiant in foro externo, ita ut sacramenta non solum poenitentiae, sed etiam omnia alia recipere possint ab episcopo, vel parocho illius loci, excepto sacramento ordinis: 3. Ut in loco quasi domicilii

probabilius possint dispensari in votis, et juramentis, jungi matrimonio, et habere sepulturam.

Coram judice loci, in quo aliqui habent quasi domicilium, possunt ipsi conveniri super contractibus, et delictis a se celebratis, vel commissis, etiamsi agatur de actibus alibi gestis.

Vagabundi ubique sortiuntur forum, et domicilium habere censentur, ubi inveniuntur, ita ut conveniri ibidem possint etiam ratione contractus alibi initi, et puniri propter delicta alio in loco commissa.

Vagabundi sunt qui nullam certam habitationem et domicilium habent, sed navigant, aut iter faciunt per mundum.

Quasi domicilium acquiritur *animo* persistendi in aliquo loco ad tempus anni notabile, et *facto*.

Ratione *originis*, aliquis sortiri potest forum 1. in loco in quo ipse natus est: 2. ubi pater ejusdem natus fuit: 3. ubi natus est ejusdem avus paternus, modo, vivente avo, ipse conceptus fuerit.

Ratione *originis fortuitae*, aliquis sortitur forum in loco, in quo ex matre transeunte editus in lucem est, si natus sit dum parentes ejus, domicilio priore deserto, alibi domicilium constituturi migrabant: si vero in itinere natus sit, dum parentes ad domicilium, a quo negotiationis causa exivère, redibant, sortitur forum ubi domicilium parentes habent.

Ex *materna origine* illi filii sequuntur forum matris, qui vulgo quaesiti vel spurii sint.

Quoad jurisdictionem principalius domicilium habitationis, quam originis considerandum est, quia per hoc subjicitur quis solum secundum quid, ita ut conveniri in eo non possit, nisi in loco sit praesens; per illud fit quis absolute subjectus jurisdictioni magistratus loci, in quo domicilium habet, ita ut absens etiam conveniri possit.

Domicilium originis, *jure scripto* spectato, per translationem habitationis in alium locum non amittitur; sed ita transiens manet civis loci originis, et retinet hujus jura.

Domicilium originis, spectato *jure consuetudinario*, amitti potest ab eo, qui alio domicilium suum transtulit, ita ut transiens non amplius subjectus sit jurisdictioni judicis loci originis.

Non valet statutum, quo cives et originarii vetantur civitatem, et domicilium mutare, quia libertatem infringit.

Domicilium generale civibus romanis, et omnibus imperio romano subjectis Roma est; quod hodie non amplius verificatur quoad

laicos, et quoad causas profanas, cum Roma modo non sit sedes imperatoris.

Clerici adhuc hodie conveniri possunt in curia romana, etsi alias specifice ibidem forum non sortiantur, modo, dum conveniuntur, ibi existant.

Laici in causis spiritualibus possunt conveniri in curia romana, si ibidem reperiantur, nec causam domum revocandi habeant.

Roma hic non accepienda est materialiter, et pro determinata urbe, quae eo nomine appellatur, sed pro illo loco ubi Pontifex residet, sive Roma is sit, sive alius locus.

Alter modus sortiendi forum est contractus; nam quisque in eo loco, in quo contraxit, etiam sortitur forum, ut ibidem conveniri possit ratione illius contractus.

Ratione contractus sortitur forum qui in tali loco contraxerit; neque interest, quis contraxerit, modo de jure potuerit contrahere.

Ratione contractus sortitur forum etiam is, qui privilegium habet, ut non teneatur respondere, vel solvere, nisi in certo loco; exceptis iis, qui hujusmodi privilegium in corpore juris communis clausum habent.

Ratione contractus sortitur forum etiam clericus, modo judex, coram quo ipse convenitur, sit ecclesiasticus.

Peregrini sortiuntur forum in loco, quo contraxerunt, si ibidem moram aliquam trahunt: si vero non morantur, et statim recessuri sint, ratione contractus conveniuntur in loco contractus, quoties ii, qui cum illis contrahunt, nesciant eos brevi discessuros esse; secus in loco domicilii sui.

Viator etiam sine mora transiens, ratione contractus in loco contractus conveniri potest ab eo qui scivit illum peregrinum esse, et brevi discessurum, si 1. ita loci consuetudo postulet: 2. si inter contrahentes ita conventum: 3. si agatur de iis, quae in ipso contractu more implenda sunt: 4. Si is qui tamquam viator contraxit, ex post facto iterum ad locum contractus revertatur: 5. si peregrinus qui contraxit, de fuga, vel alia fraude suspectus sit.

Ratione quasi contractus forum sortitur contrahens in loco contractus.

Contrahens conveniri potest in loco contractus celebrati, si ibi inveniatur, ad ejus rescissionem et annullationem, quoties ipse contractus aut nondum perfectus sit ex utraque parte, aut laboraverit vitio quodam intrinseco.

Si vero contractus ex utraque parte perfectus sit, nec vitio

aliquo intrinseco laboret, sed rescissio petatur ex qualitate aliqua extrinseca, contractus rescissio petenda est a judice domicilii rei conventi.

Super distractu, seu super resolutione non facienda, sed facta, reus conveniri debet in loco distractus, seu ibi, ubi resolutus, seu rescissus contractus est.

Is, qui administrationem gessit, sortitur forum, et conveniri potest in eo loco, quo administravit, si in eo reperiatur.

Si hujusmodi administrator absens sit, compelli potest ad comparendum in loco administrationis gestae, sive haec sit publica, sive privata.

Contractus regulari debet juxta jura et consuetudines loci ubi agitatur causa, si agatur de litis et judicii ordinatione.

Si vero agatur de causae decisione, observanda sunt jura, et consuetudines loci contractus celebrati.

Contrahens conveniri potest in loco contractus, si ibi inveniatur, nec aliter conventum inter contrahentes, vel per leges particulares statutum sit.

Potest absens conveniri in loco contractus ratione contractus 1. si locus contractus, sit simul domicilii: 2. si ibi se responsurum promisit, simulque foro domicilii expresse renunciavit: 3. si agatur de reddenda ratione administrationis: 4. si cum defuncto ratione contractus coram judice loci contractus lis jam contestata sit: 5. si reus conventus sit studiosus, qui, relictis in loco academiae debitis, discessit insalutato hospite.

Contrahens etiam praesens in loco contractus conveniri nequit 1. si ita conventum sit inter contrahentes: 2. si debitor sit advena: 3. si aliter statutum non sit legibus locorum particularibus.

Si solutioni et implemento contractus destinatus sit locus *certus*, reus sortitur forum non in loco celebrati contractus, sed ibi, ubi se soluturum promisit.

Si vero solutioni et implemento contractus locus *incertus* sit destinatus, tum attendendus est modus incertitudinis; nam multipliciter promissio hujusmodi incerta fieri potest.

Si reus peregrinus in eo loco, ubi contraxit, vel promisit se soluturum, reperiatur, judex exercere potest suam jurisdictionem in ejus personam, eam per citationem in jus vocando, et vocatam ad comparendum opportunis remediis compellendo.

Si idem peregrinus non reperiatur, citari potest a judice loci contractus, quoties ipse reus ibidem habeat aliqua bona.

Si hic reus nulla habeat bona in loco contractus, sed alibi possideat, tunc judex loci contractus, vel solutionis promissae po-

test illum citare per litteras requisitoriales, ad judicem domicilii datas.
Quoties vero hic reus nuspiam bona habeat, actor convenire debebit debitorem super impletione contractus coram judice domicilii.
In contractibus regulariter remissioni locus non est.
Tertius modus sortiendi forum est res sita.
Coram judice rei sitae regulariter conveniri possunt personae omnes, etiamsi alias tali judici subjectae non sint.
Reus in loco rei sitae conveniri potest actione reali tantum, non vero personali, nisi sit in rem scripta.
Reus sortitur forum ratione rei mobilis, aut semoventis, si haec in loco, saltem ad aliquod tempus, permansura sit: secus non sortitur.
Reus in loco rei sitae actione reali conveniri potest etiam quando in eo non reperitur.
Possessor rei in loco rei sitae conventus, potest se liberare ab intentata sibi actione nominando authorem suum, si possideat nomine alieno: si vero possideat nomine suo, non liberatur, etiamsi nominet authorem suum.
In loco rei sitae potest institui etiam judicium possessorium.
Arbitrio actoris relinquitur, an reum coram judice domicilii, vel territorii, in quo res contentiosa existit, convenire velit.
Quartus titulus, et modus sortiendi forum jure communi est delictum.
Delinquens quicumque, qualecumque delictum committat, in loco delicti forum sortitur.
Si delinquens deprehendatur in loco delicti, seu territorio judicis, ab hoc puniendus est, prout ratio delicti postulat.
Si delinquens post crimen patratum egressus sit loco delicti, et ipsi ante egressum sit insinuata citatio, denuo citari, et si contumaciter non compareat, processus adversum ipsum institui, et ferri sententia potest.
Si delinquens ante egressum loco delicti citatione praeventus non sit, tunc, *quoties constet in quo loco moretur reus*, necesse est, ut judex delicti litteras requisitoriales det ad judicem territorii, ad quod delinquens abiit, huncque per illum citari curet: *quoties non constet, quo reus profugerit*, judex, facta summaria informatione de delicto, potest illum citare per edictum in territorio delicti promulgandum.
Judex delinquentem in suo territorio, si hic in alium territorium fugerit, persequi, et in eo deprehensum apprehendere nequit.

Judex loci delicti petere potest remissionem delinquentis a judice territorii, in quo delinquens transiit.

Ubi viget consuetudo remittendi reos ad judicem delicti ad hujus petitionem, remissio delinquentis petenda, aut facienda est, observatis conditionibus, quas doctores exigunt.

Reus extra domicilii et delicti commissi loca *regulariter* non potest sortiri forum, neque puniri.

Si aliquis in uno territorio sauciatus inde abeat, et in utriusque territorii confinio decedat, reus sortitur forum in illo territorio, quo lethale vulnus inflixit.

Quando stans in territorio uno explodit scopulum, et globo illius alium consistentem in territorio confinanti occidit, reus sortitur forum in utroque territorio, atque idcirco inter utriusque territorii magistratus, et judices locus est praeventioni.

Quando invenitur cadaver in confinibus duorum territoriorum jacens, et dubium est, in utro ex duobus lethale vulnus acceperit, probabilior et communior sententia docet reum tali casu sortiri forum utriusque territorii ratione delicti, ita ut inter utriusque judices locus praeventioni sit.

Qui in uno territorio existens mandavit delictum alteri exequendum in alio territorio, regulariter hujusmodi mandans sortitur forum non in loco mandati dati, sed in loco executionis delicti.

Quando vel per statutum, vel per tribunalium usum specialem delicto commisso ab aliquo alia poena constituta est in loco domicilii delinquentis, et alia in loco delicti, tunc reo illa poena infligenda, quae statuta et usu recepta est in delicti loco, si factum *jure communi* prohibitum sit.

Si vero factum prohibitum sit solum *jure particulari* et *statutario*, reus puniendus est juxta varias consuetudines, quae vel in loco domicilii, vel in loco delicti existunt.

Clerici tam quoad res suas, quam quoad personas, a foro saeculari exempti sunt, et quidem jure optimo.

Clerici pro diversitate gradus diversos sortiuntur judices.

Clericus coram non uno episcopo conveniri potest, sed ut laicus, ita et ipse plures potest habere judices, coram quibus lis intentari contra eumdem valeat.

Praeter episcopum dioecesanum, etiam alii praelati episcopo inferiores reperiuntur, qui vel ex lege, vel consuetudine vim legis habente, vel ex electione collegii ecclesiastici regularis, aut saecularis jurisdictionem ordinariam tam in foro interno, quam in externo habent, eamque in clericos sive saeculares, sive regulares sibi subjectos exercent.

Licet episcopus ordinarie tribunal, seu consistorium secum habeat in civitate sua episcopali, reipsa tamen jurisdictionem suam exercere potest in quolibet dioecesis suae loco.

Praelati episcopo inferiores, si habeant territorium proprium ex speciali jure privilegii, vel consuetudinis, intra fines illius territorii potest exercere jurisdictionem in subditos suos.

Praelati episcopo inferiores, si territorium proprium non habeant, jurisdictionem contentiosam sibi competentem possunt exercere in quovis dioecesis loco.

Clerici gaudent privilegio fori in omnibus causis, in quibus non est exceptio, ita ut nullus judex saecularis possit per se judicare, vel condemnare clericos seu personas ecclesiasticas, nisi super hoc legitimam a pontifice, aut episcopo licentiam et commissionem habeat, vel causae genus exceptum sit.

Clerici coram judice saeculari possunt conveniri 1. si causa sit feudalis; 2. si bona immobilia a principio ecclesiis, vel clericis donata sint cum reservatione jurisdictionis: si agatur contra laicum ad evincendam ab ipso rem, quem emit a clerico: 4. si clericus ratione officii alieno nomine conveniatur tamquam tutor, curator, vel procurator alicujus laici: 5. si clericus laicum conveniat coram judice laico: si clericus sit haeres laici, et lis cum defuncto jam fuerit caepta.

Clerici, ecclesiae etc. in foro ecclesiastico etiam convenire de jure debent actione reali, non tantum super feudalibus, regalibus, aliisque cum reservatione donatis bonis, sed etiam super bonis, et rebus ceteris, quae in dominio suo habent.

Laico possunt delegari ab episcopo, vel alio praelato ecclesiastico causae civiles, non vero criminales.

In specie gaudent privilegio fori ecclesiastici 1. Clerici etiam prima tonsura duntaxat initiati, modo habeant qualitates a Trid. requisitas: 2. regulares utriusque sexus, et etiam novitii: 3. religiosi ordinum militarium: 4. eremitae, qui in approbata aliqua religione tria substantialia vota emiserunt: 5. rectores hospitalium.

Clericus in minoribus constitutus, vel prima tonsura initiatus gaudet privilegio fori, si *beneficium habeat, aut habitum cum tonsura deferat* etc.

Clerici conjugati gaudent privilegio fori relate ad causas criminales, si cum unica, eaque virgine matrimonialiter copulati sint etc.

Privilegio fori non gaudent laici ecclesiae, vel clericorum coloni, ministri, et familiares liberi, et uxores legitimae.

Clericus minor, vel religionis novitius propter delictum in statu laicali commissum, post ecclesiasticum statum assumptum, debet judicari a judice saeculari, si ab hoc, antequam ipse clericatum susciperet, coeptum judicium est per citationem: secus conveniri debet coram judice ecclesiastico.

Clericus minor, vel religionis novitius, qui commisit delictum in clericatu, vel monasterio, et illo patrato, redet ad statum laicalem, judicari et puniri debet a judice ecclesiastico.

Clerici *constituti in minoribus* privilegio fori privantur, si conditiones a Trid. requisitas non habent.

Clerici *in majoribus constituti* amittunt fori privilegium 1. si propter delictum curiae saeculari traditi sint: 2. si habitum et tonsuram clericalem nunquam deferant: 3. si rei sunt assassinii: 4. si dimisso habitu clericali se immisceant enormitatibus.

Judex saecularis potest capere et incarcerare clericum, quando hic sibi, vel proximo vult grave malum inferre, vel aliud delictum committere, quod absque coercitione et captura impediri nequeat: 2. quando deprehenditur in fragranti delicto: 3. quando crimen ab ipso commissum est notorium, et de ejus fuga dubitatur: 4. si sit debitor, et de fuga suspectus: 5. si laicum gravi injuria effecit: 6. si portet arma per leges principis prohibita.

Clericus recipiens *officium saeculare* a principe laico, et in illo delinquens, non potest a judice saeculari puniri.

Clericus, qui deliquit dicendo falsum testimonium in judicio saeculari, debet judicari et puniri a judice ecclesiastico.

Clericus reus criminis laesae majestatis non defenditur fori priviegio, si inter perduelles reperiatur in pugna, sed occidi aut capi potest a saeculari potestate: si tamen vel in bello, vel alias captus sit, adversus eumdem a saeculari potestate procedi non potest, nisi antea degradatus est etc.

Personae et loca ecclesiastica conveniri nequeunt coram judice saeculari, et condemnari ab illo ad poenam, et resarcitionem ratione pauperici, seu damni ab animalibus illorum illati.

Quoad causas spirituales non tantum clerici, sed etiam laici a jurisdictione, et potestate saeculari *jure divino* exempti sunt.

Quoad causas temporales clerici, et aliae personae ecclesiasticae a jurisdictione et potestate saeculari exemptae sunt *jure naturali*, *vel saltem divino positivo*, juxta aliquorum. DD. sententiam: *jure humano* ex novo testamento derivato juxta alios Doctores.

Clerici nec inviti, nec volentes renuntire possunt privilegio fori ecclesiastici, et consentire in judicem laicum, ut coram ipso conveniantur.

Clericis privilegio fori renunciantibus poene indictae sunt.

Si Clericus actor alium clericum trahet ad judicium saeculare, perdit causam, si ea civilis sit, et excommunicatur, donec satisfecerit reo, et ecclesiae.

Clericus reus, si coram judice saeculari conventus, voluntarie, se purget, vel respondeat coram eodem si causa sit civilis, perdit quod evincit, vel si retinere haec velit, amittit locum suum, seu debet deponi. Si causa sit criminalis, locum suum amittit, et deponi debet ab officio.

Praeter clericos etiam quidem laici forum privilegiatum habent, suntque quatuor praecipue illorum genera 1. Personae miserabiles; 2. milites: 3. Studiosi: 4. Principes et Ordines sac. romani imperii.

Nomine *personarum miserabilium* veniunt 1. Pupilli: 2. Viduae: 3. Foeminae, quae habent maritum a quo defendi nequeunt: 4. Virgo, si patrem non habeat, a quo defendi possit: 5. Senes decrepiti etc.

Personis miserabilibus triplex maxime privilegium competit ratione fori 1. Extra provincias in quibus sunt, ad comitatum, h. e. ad curiam etc. imperatoris vocari nequeunt, nec ibi conveniri invitae: 2. si ipsae alios conveniant, immediate Caesarem adire, et adversarios suos coram eo in prima statim instantia convenire possunt: 3. si vi oppressae, et spoliatae possessione sua sint, spoliatorem laicum coram judice ecclesiastico, omissis etiam judicibus aliis ordinariis, sub quorum jurisdictione sunt, convenire immediate possunt.

Ex personis miserabilibus nequeunt uti hoc privilegio juris 1. Viduae viventes impudice; 2. Meretrices: 3. qui sua culpa in paupertatem, malumve aliud se praecipitarunt: 4. qui eidem privilegio renuntiarunt.

Miserabiles personae non possunt uti suo privilegio contra aliam personam miserabilem, eam trahendo in prima instantia ad curiam imperatoris.

Ratione fori militibus hoc privilegium conceditur, ut si in numerum militum, praestito juramento, rite inscripti sint; coram alio judice, quam militari, civili, aut criminali conveniri nequeant.

Privilegium militare non prodest reo, militi facto, postquam jam praeventus est ab alio judice.

Digitized by Google

Rationi fori privilegiati sunt studiosi a Friderico I. Barbarossa constitutione in comitiis apud Roucalias lata, qua indulsit, ut si litem studiosis quispiam super aliquo negotio movere voluerit, eos coram *domino*, vel *magistro suo*, vel coram ipsius civitatis episcopo de eo conveniat, ita ut optio iisdem competat an coram hoc vel illo conveniri malint.

Hoc privilegio fori specialis gaudent 1. studiosi qui universitate publica sunt immatricolati, ac litteris ibidem dant operam: 2. Professores illorum: 3. Utrurorumque uxores: 4. Relictae eorum viduae: 5. Eorum filii et nepotes: 6. Eorum famuli, si in loco academiae iisdem inservient: 7. Notarii, Pedelli, Nuntii, Ostiarii academici.

Ut studiosus privilegio fori academici guadeat requiritur 1. ut sit reus: 2. ut sit in album universitatis relatus: 3. Ut ad litterarum studia incumbat in studio generali, et academia approbata.

Privilegio fori academici gaudent etiam studiosi *cessatores*, seu ii, qui alio tempus terunt, vel a bonarum artium, aut scientiae studio aliena sectantur, donec ob ignaviam eo priventur, et academia excluduntur.

Hoc privilegio fori non gaudent tantum, qui extra patriam docent et discunt, sed etiam qui in patria hoc munus exercent.

Studiosi guadent privilegio fori academici in causis tam civilibus, quam criminalibus.

Si studiosus alibi delinquat, et loco studiorum reperiatur, ad locum delicti remittendus non est.

Studiosus ex loco delicti ad forum academicum remittendus est, si petatur, vel ipse petat,

Ad instantiam rei, vel senatus academici non remittitur is studiosus, qui a judice loci delicti commissi, vel celebrati contractus per citationem praeventus, et postea factus scholaris est.

Magistratus academicus habet aliquando jurisdictionem in clericos litterarum studiosos, si ejus corpus sit mixtum et clericis, et saecularibus; secus, in illos hanc jurisdictionem non habet.

Amittitur privilegium fori academici 1. discessu ab academia animo non redeundi: 2. si scholaris committat crimen, in quod lata est paena privationis fori academici: 3. si a vidua vel pupillo conveniatur: 4. si non habeat requisita: 5. si conveniatur de rebus, quas aliter, quem studiorum comtemplatione, tractat.

Forum, in quo conveniri possunt Principes, et Ordines S. R. imperii, est camera imperialis, et judicium imperiale aulicum,

cui accedunt postquam, primae, instantiae loco, coram judicibus *austregarum* forum sortiti, et condemnati sunt.

Sub nomine Principum et Ordinum S. R. imperii venit 1. Classis principum, et principali dignitate illustrium: 2. classis praelatorum, comitum, heronum, nobilium: 3. classis civitatum imperialium.

Causae quae decidi possunt judicio *austregarum* sunt illae *matrimoniales*, *feudales*, *criminales*.

Quando persona *primae classis* convenitur a persona ejusdem secum ordinis, actor mittit reo libellum actionis, qua experiri cogitat, ipsumque simul requirit ut se judicio austregario submittat. Reus requisitus intra quatuor hebdomadas, a facta requisitione computandas, nominare tenetur quatuor principes regentes, partim ecclesiasticos, partim ecclesiasticos, partim saeculares etc., a quibus actor eligit unum pro judice.

Quando persona *primae classis* convenitur a persona diversi ordinis, varia experiundi remedia actori competunt.

Quando persona *secundi ordinis* convenitur a personis *primi ordinis*, vel accusatus tres electores, aut pricipes nominat, e quibus actor sibi unum assumat in judicem: vel princeps actor ab imperatore impetrat sui status commissarium.

Quando persona *secundi ordinis* convenitur a *persona ordinis tertii*, vel omnino *extranea*, immediate convenitur in camera imperiali.

Praeter forum privilegiatum, de quo supra actum, habentur aliae fori specialis species, quibus aliquis judici, qui alias secus non est, subditur.

Forum *jactationis*, seu *diffamationis* est illud inductum *a lege diffamari* 5. *Cod. de ingenuis manumissis*, cujus beneficio is, qui in possessione ingenuitatis constitutus, si a quopiam diffamatur, quod ingenuus non sit, apud judicem conqueri, et petere ab eo potest, ut diffamanti assignet certum terminum intra quem probet veritatem suae diffamationis, et si in probatione defecerit, perpetuum eidem imponatur silentium.

In causa jactationis, seu diffamationis, cognitio causae pertinet ad judicem proprium personae diffamatae.

Remedium *legis diffamari citatae* non habet locum in sola status diffamatione, sed in omni causarum genere, ubi honestorum virorum fama, atque existimatio contra malignorum obtractationes illaesae conservari opus sit.

Eidem remedio locus est tantum contra laicum diffamatorem clerici, quantum contra clericum diffamatorem laici, dummodo in

hoc secundo casu judex laici diffamati saeculari adeat judicem ecclesiasticum clerici diffamatoris proprium, ut iste eumdem ad comparendum in foro laici diffamati compellat.

Si judex, quem diffamatus pro satisfactione adiit, diffamatorem citaverit, ex citatione non inducatur praeventio, quando diffamatus plures habebat judices, coram quibus conveniri poterat: sed liberum est diffamatori, an coram illo, ad quem diffamatus provocavit, an coram alio judici diffamati proprio probationem jactationis velit suscipere.

Forum *leg. si contendat* 28. *de fidejussor.* praestat remedium, quod datur specialiter fidejussori, cui beneficium *divisionis* competit; et ex ejus tamen aequitate generali etiam ad alios casus extenditur.

Vi hujusmodi remedii is, qui in quacumque causa ab alio sibi litem movendam timet, proprium secum judicem adire potest, et implorando officium nobile ab eo petere, ut adversarius citetur, ac ipso praesente declaretur, se illius debitorem non esse, vel exceptionem sibi adversus eumdem competere: ac propterea illi super ea causa perpetuum imponatur silentium.

Reus exceptionem, quam habet, vel habere se putat, nequit opponere casu, quo actor ideo intermittit agere, quod actio in certum diem, vel condictionem restricta sit, et dies nondum advenerit, aut conditio extiterit.

Forum *praeventionis* est illud, quod inducitur citatione, qua ille judex, qui causam in suo foro agitandam assumpsit, prosequi illam potest, et caeteros judices, quos ita praevenit, a cognitione illius causae excludere.

Ut inducatur praeventio requiritur 1. ut facta sit saltem citatio rei: 2. ut citatio ab eo judice, qui vult jure praeventionis uti, sit prius facta: 3. ut si causa sit civilis, citatio facta sit ad instantiam, sive petitionem partis: 4. ut citatio facta sit a judice competente, sive ex ejus commissione: 5. ut citatio sit valida: 6. et intimata parti.

Si reus post citationem ei intimatam, contumaciter se absentavit, actor variare, et illum corom alio judice competente convenire potest.

Quando reus citatus comparuit, si postea ad judicium vocetur ab alio judice, potest huic praeventionis exceptionem opponere.

Utraque pars, post citationem factam, recedere a judice implorato potest in causa tantum civili.

Quando plures sunt correi ejusdem delicti, citatio unius praeventionem inducit etiam respectu ceterorum, si judex, qui citatio-

nem facit, etiam respectu ceterorum sit competens. Si judex sit competens respectu illius, quem citavit, non vero respectu alterius non citati, tum non inducitur praeventio etiam respectu criminis socii.

Laicus, etsi homicidii, vel alterius criminis, quod ecclesiastici et mixti fori non sit, socium habeat clericum, plectendus est a judice saeculari.

Quando clericus et laicus sunt correi, uterque coram suo judice conveniendus est, *si causa dividua sit*: *si vero causa sit individua*, uterque conveniri debet coram judice ecclesiastico.

Si reus, postquam ab uno judice praeventus jam fuit, forum mutet, transferendo domicilium, aut militiam assumendo, vel aliud forum privilegiatum acquirendo, nihilominus litem prosequi *regulariter* tenetur coram judice praeveniente.

Forum *prorogationis* habetur, quando fit extensio jurisdictionis ad personas, causam, tempus, vel locum, in quas, quando, et ubi alias non competit, consensu earumdem personarum facta,

Ad prorogationem jurisdictionis requiritur 1. ut judex, in quam partes litigantes consensiunt, jam antecedenter aliquam jurisdictionem habeant: 2. ut jurisdictio, quae per prorogationem extenditur, sit similis, sive ejusdem speciei, et ad causae cognitionem sufficiens; 3. ut partes in hujusmodi judicem libere et scienter cousentiant; 4. ut si causa inter partes controversa transferatur ad locum diversi territorii, cunsensum addat judex illius loci, ex quo transfertur: 5. ut si prorogatio fiat de persona ad personam, de causa ad causam, judex, cujus jurisdictio prorogatur, habeat jurisdictionem ordinariam, vel saltem sit delegatus ad universitatem causarum.

Sunt aliqui casus, in quibus prorogatio jurisdictionis locum non habet. 1. Si causa sit feudalis controversa inter duos vassallos: 2. si causa sit reservata ipsi principi in signum supremae jurisdictionis: 3. si princeps causam ad se evocaverit: 4. in causis appellationis: 5. in causis criminalibus: 6. in causis spiritualibus.

Prorogare jurisdictionem nequeunt 1. *Furiosi* et *Servi*: 2. *Pupilli* sine tutore; *minores*, et *prodigi* absque curatore: 3, *Procuratores*: 4. *Studiosi*: 5. *Clerici* et *religiosi*.

Clerici ne quidem in causis profanis et temporalibus, etiam permittente episcopo, prorogare in se possunt jurisdictionem judicis saecularis, seque ei submittere.

Clericus in se prorogare ne quidem potest jurisdictionem alieni judicis ecclesiastici.

Digitized by Google

Clerici et praesertim religiosi exempti, et papae immediate subjecti, per viam prorogationis se subjicere jurisdictioni ordinariorum nequeunt, sine consensu papae in iis, quae pertinent ad jurisdictionem contentiosam: in iis, quae pertinent ad jurisdictionem voluntariam, possunt, habita licentia propri praelati regularis, se dioecesis praelato subjicere.

Libellus est brevis scriptura, claram actoris petitionem, et causam continens.

Libellus partitur 1. in *simplicem*, seu *summarium*, et in *articulatum*, seu *positionalem*: 2. in *civilem* et *criminalem*.

Libellus communiter tribus partibus construitur, *narratione facti*, *medio concludendi*, et *ipsa conclusione*.

Narratio facti est una pars libelli, quae construitur 1. nomine judicis, coram quo causa agenda est: 2. nomine actoris: 3. nomine rei: 4. ipsa narratione, ubi factum recensebitur cum necessariis circumstantiis, et ubi, si libellus sit civilis, exhibebitur quid, quale et quantum debeatur, vel petatur, si vero sit criminalis, apponi debet delicti locus, annus, mensis.

Medium concludendi est causa petendi, seu jus ex quo agitur: quod adeo in libello exprimi debet, ut reus secum consultare possit, utrum ex causa allegata aliquid actori debeat, et an cedere, vel litigare expediat.

Medium concludenti, sc. causa petendi in omni actione sive *personali*, sive *reali* duplex est; *proxima* et *remota*.

Conclusio libelli est petitio actoris, qua judici et reo suggerit, quid, quantum, et quale ille actori adjudicare, hic vero praestare tenetur.

Haec conclusio adhiberi solet in libello *civili*, seu *conventionali* tantum; nam in *criminali*, sive *querimoniali* lex ipsa concludit, et certam delictis poenam determinat.

Conclusione in libello civili plerumque adjci solet *salutaris* clausula his verba concepta « *super his omnibus peto mihi jus, et justitiam administrari omni meliore modo, et forma, qua de jure statuto, vel consuetudine fieri potest.*

Libellus debet 1. offerri *in scriptis*, 2. debet esse *brevis*, *clarus*, *ordinatus*.

Vitia libelli sunt *contradictio*, *obscuritas*, *incertitudo*, *generalitas*, *alternativa locutio*.

Libellus omnino ineptus dicitur, ex quo jus agendi non concluditur, et qui nec ex interpretatione adjuvari possit. Si talis afferatur judici, pronuntiare ex eo sententiam nequit.

Digitized by Google

Si libellus ex una parte sit aptus, ineptus ex altera, super parte, qua est aptus, fundenda sententia est.

Ineptitudo libelli non officit, neque processum impedit, si forte offeratur in judicio summario.

Regulariter non admittitur alternativus libellus. Plures tamen sunt casus in quibus admittitur. 1. In actione hypothecaria: 2. in materia emptionis: 3. quando petitur restitutio adversus contractum, testamentum, vel sententiam: 4. quando incertitudo provenit ex facto alieno; praesertim adversarii: 5. quando res, quae debetur, post moram debitoris deterior facta est: 6. quande petitur restitui res, si extet, aut aestimatio illius si sit consumpta.

Libellus obscurus non statim a judice rejiciendus est, sed permittenda actori declaratio.

Actor in libello suo potest plures actiones cumulare. Excipiuntur 1. actiones contrariae; 2. actiones, quarum una, vel altera est praejudicialis; 3. aetiones, quae ex una eademque causa descendunt: 4. actiones, quae sic se habent, ut una preposita, et condemnatione secuta, factaque executione, contingat liberatio ab alia.

Judex, Oblato libello, ante omnia debet studere litis statum rite cognoscere; deinde ipsius libelli in ispiciendi, et describendi copiam reo facere.

Reus, inspecto libello, deliberare potest utrum cedere an contendere ulterius debeat, et si contendendum putet, veniat etiam ipse ad defendendum instructus, et respondeat.

Si responderit reus, sententiam judex pronuntiare debet libello conformem.

Libellus offerri debit, cum judicium est plenarium et ordinarium, et ibi oblatio libelli est de substantia, ita quidem, ut absque ea judicium non subsistat, neque etiam a partibus remitti possit.

In summario judicio, et brevioribus ac levioribus causis etiam de jure communi non est necesse libellum scripto tradi.

Duplicem ob causam judicia summaria institui solent, vel quia causa in judicio proposita celerem expeditionem desiderat, vel quia modica est.

Si summarius instituatur processus ob causae levitatem, ordinarie non requiritur plena probatio, sed sufficit semiplena.

Libellus omitti potest 1. in causis summariis: 2. in notoriis: 3. in causis appellationum: 4. in causis coram principe: 5. quando judex, vel magistratus motu proprio, et ex officio procedit:

6. cum duo eamdem rem possidere contendunt; et neuter vult libellum offerre, ne fateatur penes alterum possessionem esse: 7. quando lis movetur de causa per sententiam, vel transactionem jam decisa; 8. si statuto cantum, vel consuetudine receptum sit, ut omnia in judicio ore tenus petantur, et proponantur.

Libelli *mutatio* actori permissa est ante litis contestationem, non vero quando lis contestata jam sit.

Libelli *emendatio* fieri potest usque ad sententiam, refusis tamen expensis, reo per ineptum libellum causatis.

Mutari libellus dicitur, cum aliquid in eo mutatur, quod pertinet ad ejus substantiam.

Emendari dicitur libellus; quando vitium aliquod in eo tollitur, vel aliquid additur, aut detrahitur, salva manente ipsius libelli substantia.

Variant DD. in statuendo cujus sumptibus libellus edendus sit.

Si judex libellum sibi oblatum idoneum, et causam in eo expressam justam esse viderit, progredi debet ad *citationem* rei conventi.

Haec citatio ita est necessaria qnoad absentem, ut nullatenus omitti per se loquendo possit, et si omittatur, omnis alius actus judicialis ipso jure irritus, et nullus est.

Citatio est actus legitimus, quo quis mandato judicis vocatur in judicium juris experiundi causa.

Citatio alia est 1. *juris*; alia *hominis*. Illa habetur quando jus, vel lex statuit certum terminum intra quem debet quis judicio se sistere: haec, quando quis judicis mandato in jus vocatur. Utraque dividitur in *generalem* et *specialem*: 2. alia *verbalis*, alia *realis*; *verbalis* dicitur quando judex apparitorem, nuntium, vel aedellum ad reum mittit, eique oretenus, vel in scriptis significare facit, ut ad certum diem appareat in judicio: *realis* est, qua personae propter delictum, aes alienum, aut aliam justam causam apprehenduntur, et arrestantur.

Citatio verbalis est, vel *privata*, vel *publica*. *Prior* habetur, quando quis privatim ad faciem, vel ad domum citatur: *posterior*, quando publice per proclama etc., vel per edictum (et tunc dicitur *edictalis*) fieri solet.

3.° Alia *simplex*, alia *peremptoria*. *Simplex* est, quae absque praecisa comparitionis comminatione, et ulterioris termini denegatione concipitur, qualis est si judex simpliciter alicui mandet, ut tali die in judicio compareat. *Peremptoria* est, quae

ita concipitur, ut praecisam comparendi necessitatem imponat, omni ulteriori termino; seu citatione denegata.

Citatio realis 1. fieri potest a judice ordinario, non vero a delegato, nisi perraro:

2.° Adhibetur in causis criminalibus, praemissa cognitione causae.

3.° In civilibus habet locum 1. si reus in comparendo sit nimis contumax: 2.° si post acceptum judicium litem sine causa deserat: 3. si agatur in causa debiti, et ipse debitor de fuga suspectus sit.

Ut hoc casu ad apprensionem personae debitoris procedi possit, tria requiruntur: 1. ut bona immobilia non habeat: 2. ut sit potens solvere: 3. ut debitum sit liquidum.

Citatio edictalis permittitur 1.° solis judicibus ordinariis, et delegatis principum:

2.° Locum habet, quando citari quis alias non potest:

3.° Antequam decernatur fieri debet summaria inquisitio, ex qua constet de fuga etc. citandi.

4.° Legi debet per nuntium, et post lecturam affigi in locis consuetis:

5.° Affixa relinquenda est certo temporis spatio.

6.° Ut facilius divulgetur, non in uno tantum, sed in duobus, aut tribus locis edictum affigendum erit.

Circa *citationem peremptoriam* observandum *tempus* et *numerus* citationum. Tempus prefixum computandum a die factae et insinuatae citationis.

Ut citatio sit *legitima* requiritur 1. ut fiat ad instantiam partis: 2. ut fiat mandato judicis competentis: 3. ut, si in scriptis fiat, continere debeat nomen et cognomen judicis, a quo reus in jus vocatur: 4. ut debeat continere nomen et cognomen ejus, ad cujus instantiam citatur: 5. ut in citatorio designare debeat nomen citati: 6. ut contineat causam citationis, etiam in criminalibus: 7. ut indicet locum judicii: 8. ut debeat continere competentem terminum, intra quem comparatio sit possibilis: 9. ut fieri debeat juxta consuetum curiae stylum.

Necesse est designare *certum diem* justum et opportunum, quo citatus comparere debeat ante judicem. In causa vero alimentorum etc. hac designatione opus non est.

Non requiritur *designatio horae*, qua citatus ante judicem comparere debeat, dummodo compareat hora causarum solita, et tali, qua possit actus expediri ante tenebras.

Qui a judice citatur ad locum non tutum *ob pestem*, non cogitur parere, imo nec tenetur excusatorem mittere.

Qui a judice citatur ad locum non tutum *ob inimicitias* etc., de-

Digitized by Google

bet illas, quantum vis notorias, allegare, et petere sibi cautionem de non offendendo, vel assignari sibi alium locum tutum.

Si citatus moretur extra territorium citantis, citatio tripliciter fieri potest: 1. per nuntium a citante missum, qui citando litem futuram insinuet: 2. per judicem rei sitae, qui per *litteras subsidiales* requirat judicem loci, in quo citandus degit, vel ut ipse nuntio misso facultatem tribuat citationem exequendi, vel per suos ministros hanc exequatur: 3. per edictum affixum in locis finitimis.

Si judex loci, in quo reus citandus degit, per litteras subsidiales requisitus, renuat citationem insinuare reo in territorio suo degenti, confugiendum est ad magistratum superiorem.

Nisi stylus curiae contrarium dictet, provide omnino et circumspecte faciet judex, si una cum citatione libellum transmittat.

Diverse requiruntur, ut citatio danda sit executioni.

1.° Ordinarie *citatio* fit per ministros publicos.

2.° Facienda est in loco subjecto jurisdictioni judicis citantis, dummodo non citentur latrones etc., quorum persecutio extra territorium persequentis continuari potest.

3.° Ejus insinuatio fieri potest quovis tempore, modo fiat de die.

4.° Si possibile sit, ejus executio facienda est in faciem, et praesenti.

5.° Si reum inquisitum nuntius non repererit, potest in subsidium, vel procuratori illius, vel domesticis, vel vicinis denuntiationem exponere, vel, hisce deficientibus, citationem affigere ad domum.

6.° Si citandus plures habeat aedes, executio fiat ad eas, quibus majore parte anni degit.

7.° Executione facta, incumbit eidem nuntio facere relationem, quae in acta referri debet, ut appareat de legitime facta executione.

Semper opus est citatione, exceptis hisce casibus. 1. Si delinquens in flagranti crimine deprehendatur: 2. quando judex procedit ex officio: 3. quando reus citandus praesens jam est in loco judicii: 4. si crimen sit notorium; 5. cum periculum est in mora, et in continenti alicui est subveniendum: 6. si causa sit haeresis: 7. quando citatus actum impedire non possit: 8. quando ipse judex praesens per se ipsum, vel per alios monet partes, ut compareant certo tempore.

Citatio fieri potest a judice ordinario et delegato.

Quando citans exhibet mandatum, quo delegatur ipsi potestas, tunc tantum

Digitized by Google

vult demonstrare, ubi citatus paruerit: si agatur *de gravissimo* praejudicio citati, huic nulla est comparendi obligatio, antequam de mandato plene, et legitime constet; si de *gravi*, sufficit transmissio copiae, non autem simplex assertio, et mentio delegationis factae; si de *levi* satis est si delegatus dicat se delegatum.

Solus ille citari potest, qui jurisdictioni citantis subjectus est.

Principaliter reus est citandus: et praeter hunc omnes illi, quorum interest seu quorum causa agitur.

Citatio legitime facta: 1. adstringit citatum ad comparendum: 2. inducit litis pendentiam ad eum finem, ut lite pendente innovari nil possit: 3. facit rem, quae ab actore controvertitur actione reali, litigiosam: 4. constituit citatum legitimum contradictorem; 5. perpetuat judicis delegati jusisdictionem: 6. tollit potestatem actori eligendi inter plures judices: 7. prorogat judicis jurisdictionem: 8. interrumpit praescriptionem saltem odiosam.

Citatio invalida non parit effectus supradictos, nisi ex post facto convalidetur.

Mutuae petitiones sunt conventio ex parte actoris, et reconventio ex parte rei.

Reconventio est actus, quo reus post oblatum, et visum actoris libellum vicissim aliquid ab eo petit coram eodem judice, ac in eodem judicio, etiamsi alias judex ille non esset actoris competens.

In mutuis petitionibus, seu reciprocis conventionibus durante judicio conventionis, reus nequit convenire actorem coram alio judice, nisi finita lite.

Actor, nisi ratio, et natura causae id petat, nequit declinare judicem eumdem a reo imploratum cum libello reconventionis, et se tueri exceptione fori incompetentis.

Reconventio habet locum et coram judice ordinario, et etiam coram judice delegato.

Reconvenire potest ille, quem actor in judicio convenit, modo facultatem agendi habeat.

Reconventio institui potest regulariter adversus quemlibet actorem.

Clericus non potest coram judice laico reconveniri neque in causa rei spiritualis, vel huic annexae; neque in causa criminali, sive criminaliter, sive civiliter agatur de crimine.

Adversus clericum in causa mere civili conventum, locus est reconventioni, quando ista solum per modum exceptionis proponitur.

Probabilior ac sanior sententia est, spectato jure communi, ne actor clericus coram judice laico reconveniri possit a reo laico, reconventione non per modum exceptionis, sed actionis proposita.

Reconventio habet locum in omnibus causis, quae specialiter non sunt exceptae, et in quibus judices per modum conventionis possunt cognoscere.

Non admittitur reconventio: 1. *in causis executivis:* 2. *in causa depositi:* 3. *in causa appellationis:* 4. *in causa spolii*: 5. *in causis feudalibus*: 6. quando actor reconventus vult iterum reconvenire reum: 7. in iis causis, de quibus, ex natura causae, vel principis voluntate, judex conventionis, etiam assentientibus partibus, cognoscere nequit.

In causis criminalibus: si 1. civiliter conventus velit criminaliter accusare, *locus est reaccusationi*: 2. si accusatus criminaliter velit accusatorem civiliter convenire, *reconventio non admittitur*: 3. si accusatus civiliter velit etiam civiliter accusare, *locum habet reconventio*: 4. si criminaliter accusatus velit accusatorem suum etiam criminaliter accusare, ille hunc reaccusare nequit, exceptis aliquibus casibus.

Ex mutua petitione, seu reconventione, duplex oritur effectus. *Primus* est prorogatio jurisdictionis: *secundus* est processus *simultaneus*.

Ut utrumque effectum operetur reconventio simultanei processus et prorogationis, necesse est eam proponi ipso litis exordio.

Contestatio litis est principium judicii.

Litis contestatio est fundamentum judicii per petitionem actoris in jure propositam, et congruam rei responsionem secutam animo litigandi.

Litis contestatio dividitur: 1. in *solemnem* et *non solemnem*. Solemnis, quae etiam *formalis* dicitur est, quae fit verbis conceptis, vel praescriptis juxta stylum curiae. Non solemnis, quae etiam *simplex* appellatur, est illa quae sine certa verborum praescriptione fit.

2.° In *affirmativam* et *negativam*. Affirmativa est, quando reus fatetur petitionem actoris; negativa, quando eam diffitetur. *Prior* subdividitur in *simplicem*, et in *qualificatam*. Simplex habetur, quando reus simpliciter et absolute fatetur intentionem actoris: qualificata, quando reus fatetur quidem delictum, sed opponit exceptionem exclusivam intentionis actoris. Etiam *secunda* duplex est, *explicita*, quando simpliciter absque ulla conditione etc. negatur intentio actoris: *implicita*, quando negatur cum quadam reduplicatione.

Digitized by Google

3.° In *generalem* et *specialem*. Generalis est, cum reus generaliter dicit; *nego narrata vera esse, et petita debere fieri:* specialis, quando ad singula narrata et petita respondetur negative.

Litis contestatio requiritur ad substantiam judicii ita, ut, ea praetermissa regulariter loquendo, totus processus sit irritus, et cons. etiam sententia. Excipitur, si pars litem contestari renuat ex juxta causa.

Judicium subsistit etiam sine contestatione litis: 1. in judiciis summariis: 2. in causis appellationis: 3. in causis notoriis: 4. in causa coram papa vel principe proposita in consistorio principis: 5. in quibusdam causis spiritualibus.

Positiones dicuntur breves quaedam enarrationes, seu assertiones alicujus facti ad causam controversam pertinentis, super quo petitur ab adversario responderi etc.

Articuli appellantur eae positiones, quas reus negat, et cons. actor probare debet.

Hae positiones a litis contestatione, et a libello *differunt*, quia nullam continent petitionem, sicut libellus, et litis contestatio, et quia praeterea post contestationem litis regulariter fiunt.

Conveniunt autem positiones cum libello: 1. quia ut libellus, ita et ipsae continent narrationem factorum: 2. quia ut libellus, in judiciis ordinariis debent offerri judici in scripto, ut videat an pertinentes sint, vel impertinentes.

Litis contestatio inducitur: *per negationem* et *per affirmationem*. Per negationem quando reus simpliciter negat narrata, et petita per actorem; per affirmationem quando narrationem confessus ponit exceptionem 2. Per verbum etiam dubitativum, e. g. *ignoro ita esse*: 3. per dilationem juramenti factam actori a reo.

Nec per exceptiones *peremptorias*, quae ipsam causam et actionem perimunt, et tollunt; nec per illas *dilatorias*, quae tendunt ad differendum judicium, et causae cognitionem; nec per illas *declinatorias fori*, quae personam judicis concernunt, et *declinatorias actoris*, quae spectant personam actoris litigantis, *regulariter* induci potest litis contestatio.

Litis contestatio impeditur, vel retardatur: 1. Si reus expresse protestetur; se alio, quam litigandi animo respondere: 2. per oppositam exceptionem fori declinatoriam, vel aliam dilatoriam: 3. per exceptiones peremptorias, quae tantum litis contestationem impediunt, quando per easdem opponitur nullam

unquam actionem ortam fuisse, vel actionem, quae olim orta fuit, per factam solutionem, transactionem, jusjurandum etc. desiisse: non vero, quando per illas excipiens tendit perimere, et elidere actionem, quae orta est, et competit.

Speciales litis contestatae effectus sunt: 1. Per contestationem litis incipit judicium: 2. a tempore litis contestatae incipit currere instantia: 3. actio personalis per contestationem litis fit litigiosa: 4. lite non contestata, sententia definitiva ferri non potest: 5. lite contestata judex amplius recusari nequit, nisi supervenerit nova suspicionis causa: 6. litis contestatio praecludit viam opponendi exceptiones dilatorias, nisi de iis antea fuerit interjecta protestatio etc. 7. litis contestatio interrumpiit praescriptionem longi temporis: 8. per contestationem litis temporalis actio perturbatur usque ad 40. annos: 9. lite contestata actiones poenales, quae ex delictis, vel quasi descendunt, ad haeredes, et in haeredes in solidum transeunt: 10. per litis contestationem quasi contrahitur inter litigantes: 11. post litem contestatam possessor bonae fidei constituitur in mala fide quoad fructuum perceptionem: 12. lite contestata non amplius currit praescriptio, sed interrumpitur: 13. missus in possessionem in reali actione post litem contestatam fit verus possessor: 14. Non admittitur post eam mutatio libelli.

Ante contestationem litis *judicio ordinario* super causa principaliter non recipiuntur testes, ut sententia definitive feratur.

In judiciis summariis, quoniam in his simpliciter et de plano proceditur, neque libelli oblatio, neque litis contestatio est necessaria.

Ad sententiam interlocutoriam recte proceditur, etiam lite non contestata.

Judex recipere testes, lite non contestata, potest, casu quo procedit ex officio ad inquisitionem generalem defectuum.

Actor receptionem testium, lite non contestata, obtinere potest, cum timetur, ne inter litis contestandae moras pereat copia probationis, eo quod probabile sit periculum, ne testes ob senium, infirmitatem etc. citius moriantur.

Receptioni testium, lite non contestata, duntaxat locus est in causa civili, vel criminaliter intentata, non vero in criminali criminaliter intentata.

Reus se defendens potest producere ante litem contestatam quoscumque testes, sine aetatis discrimine, et facere, ut examinentur *ad perpetuam memoriam*, et futuram sui defensionem,

Digitized by Google

non tantum ad casum, quo lis sibi actu movetur, sed etiam quando timet, ne sibi in posterum super aliquo moveatur.

Reus nequit testes producere, ante litem contestatam quando exceptionem opponit per modum actionis, et quando actor praesens est, et offert se paratum agere, ac litem movere.

Ob favorem causae ad receptionem testium, et si de causa liqueat, etiam ad sententiam definitivam, lite non contestata, procedi potest 1. *in causa matrimonii carnalis*, 2. *in causa matrimonii spiritualis.* In primo casu, si agatur de crimine adulterii ad separationem thori, vel restitutionem dotis contra reum, etiam contumaciter absentem, testes recipi, et sententia ferri ante litis contestationem non potest: si quaestio sit an matrimonium subsistat ob allegatum impedimentum dirimens, et reus legitime citatus contumaciter non compareat, non tantum testes recipi, sed etiam probata causa, sententia definitiva proferri potest.

In secundo casu, si agatur de praelato post legitimam institutionem ob crimen a se perpetratum ab ecclesia, et praelatura removendo, non statim condemnandus, aut testes contra eum recipiendi sunt, sed primo contumaciter post legitimam citationem non comparens excommunicandus, et si insuper habito anathemate intra annum non compareat, tum demum contra eum ad privationis, vel depositionis sententiam procedendum est: si agatur de impugnativa electionis, institutionis etc. tunc si praelatus contumaciter absens ad terminum peremptorium non compareat, testes, lite non contestata, sunt admittendi, et nihilominus, si de causa liqueat, ad definitivam sententiam est procedendum.

Ut *reus* testes producere, et productos judex admittere ante litis contestationem possit, requiritur, quod lis ipsi vel intentetur actu, vel metus sit, ne aliquando sit intentanda.

Ut *actor* testes producere, et productos judex admittere ante litis contestationem possit requiritur 1. ut subsit causa rationabilis: 2. ut reus citetur: 3. ut actor, si reus citari nequeat, intra annum reum conveniat, vel saltem receptionem testium, et horum depositiones ipsi denuntiet, et transmittat etc.

Vox *calumniari* aliter sumitur in *criminalibus*, aliter in *civilibus:* in criminalibus nil aliud est, quam *falsa crimina intentare:* in civilibus vero est *per meras frustrationes negotium differre*, *vel per fraudem alias litibus vexare.*

Juramentum calumniae est juramentum, quo partes litigantes jurant, quod in judicio tam agendo, quam excipiendo, et de-

fendendo absque fraude et calumnia versari, omniaque bona fide peragere velint. Est *generale* et *speciale*: primum est illud, quod super tota causa praestatur, secundum, quod in qualibet parte judicii deponitur etc. Hoc juramentum speciale partitur *in juramentum veritatis*, *et in juramentum malitiae*. Hoc praestatur quoties est praesumptio contra partem litigantem, quod aliquid malitiose dicat, vel faciat in causa: illud praestatur, quia jurans velit veritatem dicere.

Quadruplex est *finis* juramenti calumniae: 1. ut eliciatur veritas: 2. *timore juramenti contentiosa litigantis instantia compescatur*: 3. ut metu perjurii non efficiatur litigator immemor suae salutis: 4. ut sit dirimendarum controversiarum remedium, et litium compendium.

Objectum juramenti calumniae his versibus continetur.

Illud juret, quod lis sibi justa videtur. Et si quaeretur, verum non inficiatur, nil promittetur, nec falsa probatio detur: Ut lis tardetur, dilatio nulla petatur.

Effectus juramenti calumniae est, ut si praestitum sit, jurantem ab omni calumniae suspicione; sive a *tacita*, seu *praesumpta* calumnia excuset.

Juramentum calumniae, si ab alterutra parte litigantium petitum fuerit, *necessario* praestari debet, ita ut eo casu omissum vitiet totum processum relate ad eum qui jurare recusarit, et sententiam latam aliquoties reddat nullam.

Necessitas juramenti calumniae introducta est juro positivo humano.

Per rescriptum principis juramentum calumniae tolli potest.

Per *tacitam* renuntiationem partium istud juramentum remitti potest non vero per *expressam*, dummodo 1. ob hominum alicujus loci probitatem et fidelitatem non videatur sufficere simplex non calumniandi promissio etc. 2. ob hominum perversitatem, non praebeatur isto praecepto occasio perjurii: 3. ob consuetudinem inductum sit ne de calumnia juretur.

Juramentum calumniae, regulariter loquendo, debet praestari a personis litigantibus, scilicet actore et reo, modo hi personam standi in judicio habeant.

Etiamsi regulariter loquendo omnis actor et reus jurare de calumnia debeat, tamen ab hoc excipiuntur 1. principes: 2. procurator fisci: 3. dominus feudi cum vassallo litigans, et vassallus dominum conveniens.

Juramentum calumniae non debent praestare parentes et patroni.

Clerici, qui coram judice suo litigant, *si agatur de causa eccle-*

siae, non tenentur jurare de calumnia personaliter; sed sufficit in eorum vice syndicus, vel procurator generaliter constitutus ad causas ecclesiae juramentum praestent: *si vero agatur de causa propria*, possunt et debent jurare sive per se, sive per procuratorem a se specialiter constitutum cum speciali mandato jurandi etc.

Clerici qui litigant coram judice alieno, de calumnia jurare non possunt siue speciali licentia sui ordinarii, vel praelati.

Episcopus, si per seipsum litigare velit in judicio, et hoc gravitas causae postulat, etiam ipse personaliter juramentum calumniae debet edere.

Quando actor, vel reus est *universitas*, vel ecclesiastica, vel saecularis, et syndicum, oeconomum, aut procuratorem non habet, tum, si sit *ecclesiastica*, ipse praelatus, vel cum praelato major, seu principalior pars conventus: si sit *saecularis*, ii per qnos regitur universitas, vel major pars illorum in proprias animas conventus, vel communitates jurare debent.

Si vero universitas illa syndicum, oeconomum, procuratorem etc. habeat, non universitas aut praelatus etc., sed ipse syndicus etc. in animam suam jurare debet.

Etiam procurator particularis admitti debet ad praestandum juramentum calumniae, si quidem speciale mandatum habeat.

Juramentum calumniae praestandum est in causis omnibus, quae in judicium adducuntur: et hoc procedit: 1. etiam in causis criminalibus: 2. in causis spiritualibus: 3. in causa appellationis: 4. in causis summariis: 5. in causis ceteris quae coram arbitris tractantur.

Juramentum calumniae (idem dic de juramento veritatis) per se louqendo praestandum est in principio litis, videlicet statim post litis contestationem, antequam positiones ab actore offerantur.

Hoc juramentum defertur: 1. auctore praetore, seu judice: 2. coram eodem judice: 3. praesente adversario, vel ejus procuratore: 4. publice: 5. tactis ss. scripturis, seu evangeliis.

Episcopi, non tactis, sed propositis tantum evangeliis, et manu pectori admota juramentum praestant in judicio.

Judaei, quando litigant cum christianis, non super evangeliis sed super tacto, vel praeposito decalogo jurare debent.

Consuetudine receptum est ut hodie sufficiat apud acta jurare.

Regulariter loquendo, si detrectans jurare de calumnia, sit actor, instituta actione, cadit; si vero reus, pro confesso habetur.

Digitized by Google

Contumacia procuratoris, vel administratoris, si is jurare de calumnia detrectet, non nocet domino.

Jurans calumniae a solvendis expensis non liberatur.

Dilatio est assignatio certae diei, vel termini, intra quem actus judicialis peragendus est, justo temporis intervallo facta.

Dilationes aliae sunt *legales*, quae a lege conceduntur: aliae *conventionales*, quae ex partium conventione dantur: aliae *judiciales*, quae assignantur a judice in judicio.

Sunt aliquae dilationes, quae dantur ante contestationem litis ratione justi impedimenti, ob quod comparere quis non potest, vel non debet, vel non hoc modo, aut tempore, quo petitur. Horum aliae sunt *citatoriae*, aliae *deliberatoriae*, aliae *recusatoriae*.

Citatoriae dilationes, quae etiam *expectatoriae* appellantur, sunt illae, quae reo absenti et citato dantur ad comparendum, et respondendum libello actoris.

Citatoriae dilationes vel sunt *simplices*, vel *peremptoriae*. Ob illas reus non nisi ad tertiam, ob has post unicam comparere tenetur.

Quando reus tribus simplicibus citationibus in jus vocatur, inter singula citationum edicta intervallum temporis antiquo jure non minus, quam decem dierum, recentiore, triginta dierum intervallum intercedere debet. Quando autem unica citatione peremptoria in jus vocatur, dilatio citatoria continebit tantum temporis intervallum, quantum tres simplices, ac proinde antiquo jure triginta, recentiore nonaginta dierum spatium.

Causa dilationem citatoriam legali statuendi longiorem sufficiens est, si causa in judicium deducta sit valde ardua, vel personae in eodem intervenientes sint senio, infirmitate etc. impeditae - Brevior legali terminus statui potest: 1. in causis vilium personarum, et in causis exiguis: 2. in causis alimentorum: 3. cum res litigiosa tempore est peritura: 4. cum legatis dilatio majores est causatura expensas, quam allatura commodi: 5. cum alias causa non patitur moram.

Dilationes deliberatoriae sunt illae, quae reo post oblatum libellum dantur, ut deliberare possit, an litigare velit.

Terminus istarum induciarum jure communi extenditur ad 20 dies a die porrecti libelli ab actore.

Suapte natura dilationes istae sunt peremptoriae; et hinc per se nonnisi unica dari debet. Varii autem sunt casus, in quibus altera dari potest, et 1. si legitimum impedimentum intervenerit, ob quod reus non potuit in prima dilatione deliberare etc.

2. si libellus ita generalis sit, ut reus causae statum inde non satis colligere potuerit etc: 3. si in libello actor mutet aliquid, quod pertinet ad ejus substantiam: 4. quando in judicio emergit nova exceptio, aut nova cumulatur actio: 5. quando judex dat secundam dilationem, praesente utraque parte.

Dilationes recusatoriae, seu *declinatoriae* dicuntur illae, quae ad omnes exceptiones dilatorias, seu declinatorias opponendas dantur priusquam litis contestatio fiat.

Speciatim dilatio declinatoria dari potest 1. quando reus vult judicem velut suspectum recusare: 2. quando vult impugnare rescriptum, vi cujus ad judicem incompetentem citatus est: 3. quando vult repellere actorem, vel procuratorem tamquam excommunicatum etc: 4. quando vult auctorem suum laudare.

Post litis contestationem, et juramentum calumniae praestitum dantur dilationes *probatoriae*, *allegatoriae*, *definitoriae*, et *executoriae*.

Probatoriae dilationes sunt illae, quae dantur utrique parti litiganti ad probandam intentionem suam, actori quidem ad positiones, et articulos probatoriales formandos, reo ad respondendum istis sive excipiendum, ambobus ad testes, vel instrumenta quaerenda, aut praeparanda.

Hae probatoriae dilationes conceduntur plerumque ad instantiam partis litigantis.

Tempus pro his dilationibus assignandum committitur arbitrio judicis.

In causis pecuniariis et civilibus regulariter dilationes probatoriae sunt peremptoriae: in criminalibus vero reo dari possunt tres dilationes, accusatori duae, et ex quacumque causa, nullo etiam impedimento allegato, dummodo non sit praesumptio, quod malitiose petantur.

In causis civilibus interdum *ex justa causa* judex concedere potest secundam et tertiam, imo de jure comuni saltem, etiam quartam dilationem.

Prima, secunda, et tertia dilatio prorogari nequit; quarta potest.

Allegatoriae dilationes sunt quae dantur ad allegandum: *definitoriae*, quae dantur ad causam definiendam, *executoriae*, quae dantur reo per sententiam condemnato ad satisfaciendum, et solutionem praestandam.

Triplex est effectus dilationum, *primus* est; quod dilatio uni concessa, etiam prosit alteri parti litiganti. *Secundus*, ut excuset a poena, et mora, eaque durante officium judicis conquiescat adeo ut si quid innovatum fuerit, sit ipso jure nullum, neque validari per partium concessum possit. *Tertius*, quod

Digitized by Google

dum lapsus fuerit terminus, seu dies in dilatione praefixus, regulariter vim habeant sententiae interlocutoriae, et perimant actum, qui in assignato dilationis termino fieri debuit.

Inspicienda intentio, et verba judicis concedentis, an in dilatione computari etiam debeat dies, a quo ipsa incipit.

In terminum dilationis veniunt etiam dies feriati qui interea occurrunt, nisi feriae absorbeant totam dilationem, vel majorem illius partem. — Si feriae repentinae supervenerint, beneficium restitutionis gravato competit, ut iis subductis, alii totidem dies subrogentur.

Dies postremus, qui pro termino est assignatus cedit in commodum petentis dilationem.

Feriae sunt causae dilationis, nam, iis durantibus, in jus vocari nemo, nec actus judiciales exerceri possunt.

Feriarum nomen a *feriendis hostiis* desumptum est. Varie sortiuntur nomina, nam: 1. appellantur *dies feriati*: 2. *dies festi*: 3. *dies devotionum*: 4. *dies nefasti*.

Feria comprehendit dies omnes, quibus judicia celebrari non possunt, et cons. etiam dies festos.

Feriae dividuntur in *solemnes* seu *ordinarias*, et in *extraordinarias*, seu *repentinas*. *Solemnes* sunt quae a legibus, vel SS. canonibus definitae sunt, ita ut singulis annis recurrant, et aequaliter semper serventur. *Extraordinariae* dicuntur, quae nulla certa et stabili lege, sed pro re nata, et occurrentibus circumstantiis etc., indicuntur.

Feriae *ordinariae* subdividuntur in ferias *sacras* et *profanas*. Illae dicuntur, quae ad Dei cultum et SS. honorem sunt institutae: hae sunt, quae hominum gratia, ad eorum scilicet utilitatem sunt institutae. Tales sunt: 1. *feriae nundinarum*: 2. *feriae messium, et vindemiarum*: 3. *feriae nuptiarum*.

Sunt dies feriati omnes dies festi, quos ecclesia festivos celebrat, et praeter hos septem illi dies, qui antecedunt festum resurrectionis Domini, et septem qui subsequuntur.

Feriae profanae institui possunt a principe, vel alio magistratu superiorem non recognoscente.

Feriae sacrae nequeunt indici absque summi Pontificis, aut episcopi consensu.

Feriae universales, quae totam ecclesiam obbligant, institui possunt a solo pontifice.

Feriae particulares, et quae unam tantum dioecesim ligant, indici possunt ab episcopo illius proprio.

Per consuetudinem induci nequit obligatio diem aliquem festum ce-

lebrandi, nisi includat consensum ejus, qui expresse potest diem festum instituere.

Feria sacra, seu festa dies incipit a vespera, et durat usque ad vesperam.

Feriae messium conceduntur a die 8. calend. julii usque ad calendas augusti: vindemiarum autem a die 10. calend. septemb. usque ad idus octobris.

Feriae repentinae tempus non habent, sed indicere eas princeps potest, et durationem iis praefigere pro suo arbitrio.

Feriae nuptiarum incipiunt ab adventu domini usque ad diem epiphaniae, et a feria 4. cinerum usque ad octavam paschae inclusive. His temporibus tamen matrimonium contrahi potest in facie ecclesiae, donec non contrahatur *publice et solemniter*.

Feriis sacris, et feriis repentinis partes renuntiare non possunt.

Partes possunt renuntiare feriis rusticis, videlicet messium et vindemiarum.

Circa feriarum renuntiationem tria sunt advertenda: 1. Renuntiatio fieri potest vel in judicio, vel extra illud: 2. sententiam: et acta judicialia his feriis celebrata tenere, si comparere partes ultro, et sponte voluerint: 3. etsi partes renuntient pro se his feriis rusticis, non tamen judicem teneri his diebus jus iisdem dicere, extra casum urgentis necessitatis.

Praeceptum observandi ferias sacras partim *affirmativum*, partim *negativum* est. *Priori*, Christi fideles omnes missam integram cum attentione audire tenentur: *posteriori* prohibentur: 1. *opera servilia*: 2. *mercatus*: 3. *juramenta*, quae adduntur contractibus, et negotiis prohibitis in die festo: 4. *placitum*, sub quo nomine venit tota causa judicialis, et forensis tractatio: 5. *causae criminales*.

Libellus die festo probabiliter judici offerri potest, quia oblatio haec non promanat a judice, nec auctoritate ejusdem fit, sed sola voluntate actoris.

In causis, quae diebus festis expediri de jure possunt, citatio die festo potest fieri.

In aliis causis, si citationis vi facta processus inchoatio sit diebus festis, eam irritam esse omnes facile concedunt, quod judicis cognitionem, et judicialem strepitum involvit.

Die feriato decerni nequit nec a judice sedente pro tribunali nec a judice pro tribunali non sedente mandatum de reo citando.

Executio citationis fieri potest in die feriato, si citatio insinuatur per nuntium, vel per litteras, donec aliud nolit consuetudo.

Si fiat citatio in die non feriato ad diem festum expresse, ejus mandatum est illicitum et nullum. Si vero fiat sine expressio-

Digitized by Google

diei festi ad certum diem mensis etc., quo aliquod festum incidit; hoc casu valet citatio, et citatus die proximo non feriato in judicio se debet sistere. Si denique fiat citatio ita ut in ea assignetur terminus, intra quem apparere oporteat eum, qui est citatus; eo casu si ultima dies sit festum, valida est citatio, et citatus comparere debet ante diem signatam in aliqua ex diebus intermediis.

Si citatus in diem non feriatum ob aliquod impedimentum nequit comparere tempore statuto, citatio urgebit pro die sequenti non impedito.

Quando in feriis actoris, rei et judicis domicilia discrepant, attendendae sunt feriae loci, ubi fit actus.

Spectato jure communi, depositio testium die feriato admitti non potest, nisi periculum sit in mora.

Sententia in die feriato a judice ferri nequit, si requirit cognitionem causae, et judicialem strepitum; secus, ferri potest.

Sententia excomunicationis, suspensionis, interdicti ferri potest in die festo.

Executio sententiae judicialis fieri nequit in die festo.

Reus in die festo nec capi, nec incarcerari potest, nisi periculum sit in mora.

Appellatio fieri licet in die festo, quia non est actus judicialis, neque exercitium jurisdictionis.

Ex causa necessitatis, *et ex causa pietatis*, *et misericordiae* diebus feriatis actus judiciales possunt expediri.

Ordo cognitionum, seu *judiciorum* nihil aliud est, quam ordo servandus a judice in examine plurium quaestionum, quae in eodem judicio concurrunt inter easdem personas.

Regula I. et universalis est, quotiescumque de duabus causis, in eodem judicio propositis, una pendet ex alia, primo cognosci, et pronunciari debet super causa, a qua dependet altera.

Regula II. Si quaestio praejudicialis incidat in aliqua causa, de illa prius est cognoscendum, et interim supersedendum in causa principali, donec illa fuerit terminata.

Regula III. Causa major in cognitione minori praeferenda est, nisi ista praejudicialis sit.

Regula IV. Si opponatur exceptio peremptoria vel dilatoria, prius discutienda est exceptio, quam causa principalis cum discrimine tamen; quia si dilatoria sit, non solum prius cognosci, sed etiam decidi, et definiri debet, antequam ad causam principalem tractandam procedatur: at quando est peremptoria, non est necesse ut causa exceptionis discussa, super eadem feratur sententia.

Digitized by Google

Regula V. Quando in causam principalem incidat quaestio,de qua judex causae principalis principaliter non potest cognoscere, si solum non possit de ea principaliter cognoscere, quia est incompetens respectu causae incidentis, non obstante competentia, cognoscere de causa incidente potest: si vero nequeat de ea principaliter cognoscere, quia est incapax jurisdictionis in illo genere causae supersedere interea debet in cognitione de causa principali, donec quaestio incidens definiatur ab eo judice, ad quem de jure pertinet.

Si quaestio incidens ad judicium ecclesiasticum quidem pertineat, sed facti dumtaxat sit, hujusmodi quaestionis et facti cognitio competere judici saeculari potest.

Regula VI. In causa spolii, si reus contra actorem spoliantem spoliationem opponat per modum exceptionis, et causa talis sit, in qua admittitur exceptio spolii, prius audiendus est reus super exceptione spolii, et ea probata, non cogitur respondere actori, nisi prius restituatur.

Plures sunt casus in quibus exceptio spolii non admittitur. 1. Si periculum sit in mora: 2. si officium judicis imploratur, nulla instituta actione contra adversarium, ut si petetur, ut electus confirmetur: 3. si causa, sive factum sit notorium: 4. in causa matrimoniali, et aliis spiritualibus, vel quasi contra agentem non admittitur exceptio spoliationis rerum privatarum: 5. quando spoliatus convenitur ex obligatione, vel promissione juramento firmata.

Pluris petitio est inordinata petitio actoris aliquid ultra debitum a reo apud judicem exigentis.

Quatuor modi plus petendi enumerantur. *Causa plus* petere dicitur, quando quis certum quid in specie, vel individuo a debitore petit, quod is in genere solum, vel alternative, seu disjunctive promisit.

Re, seu *quantitate* plus petitur, si cum debeantur quinque aurei, alter petet decem, aut cum ad eum res spectet solum quoad partem, alter illam petat totam, vel quoad majorem illius partem.

Loco plus petitur, cum quis alibi convenitur, quam ubi conventum erat, ut debitum solveretur.

Tempore plus petitur, cum ante diem, vel ante conditionem pactioni, seu promissioni adjectam petitur, quod promissum est.

Extante debito indeterminato, vel disjunctivo certum petere prohibitum est in omni casu, in quo electio est penes debitorem, nisi 1. verba executionis dirigantur ad creditorem ita ut ex iisdem verbis appareat, quod huic sit data optio; vel nisi

2. ante impletam promissionem unum eorum, quae disjunctive alter promisit e duobus, perierit, quia tunc, si in mora vel culpa fuerit promissor, tenetur dare alterum.

Is, qui petit fundum cum fructibus, domum cum pensionibus etc. etiamsi hi fructus, pensiones etc. non debeantur, tamen plus repetere dicendus non est, quia in plus petitione attenditur solum principale debitum, non etiam id, quod accessorie petitur.

Is, qui ante tempus petit, merito dici potest plus petere, quia privat debitorem commoditate ulterius differendi solutionem, quae dilatio et differendi facultas cum pretio aestimabilis est.

Qui ante eventum conditionis petit, quod sibi sub conditione promissum est, plus debito petere dici potest, quia petit absolute, quod sibi debitum fuit solummodo conditionale.

Creditor sibi non nocet, nec praejudicat, si per errorem minus petat, quam ipsi debetur, quia error, in quo ipse cecidit, est error facti, qui excusationem praestare debet.

Olim paena plus petentium fuit, ut causa caderent, litemque una cum toto debito perderent.

Per jus novum plus petens civili causa non cadit, sed si quid amplius tempore petat, in poenam amittit sumptus litis, et insuper inducias duplicare jubetur: qui vero plus causa, re, loco petit, praeter damnum, quod sua petitione reo, seu debitori intulit, et resarcire tenetur, insuper pendere debet triplum ejus, quod ob majorem quantitatem libellis conventionis comprehensam viatoribus, i. e. excusatoribus sportularum, seu mercedis, et salarii nomine praestandum fuit.

Haec tripli poena locum non habet ex jure canonico.

Contra petentem plus tempore integrae induciae duplicare debentur.

Si actor non plus, sed justam quantitatem sibi debitam petiit, et hanc reus negat, in expensis hic puniendus, sicut actor plus petens.

Si actor plus petiit, quam sibi debetur, et reus plus negans, excedit tantum, quantum actor plus petens, compensationi locus erit, et haec delicta compensatione tolluntur. - Si reus negando, actore plus petente, non excedit tantum, quantum actor, ille non est puniendus.

Plures sunt causae, quibus poena plus petentium evitari potest 1. Si actor plus petens sit minor 25. annis: 2. si per probabilem ignorantiam actor etiam majorennis plus petiit: 3. si in libello adjecta sit clausula, *salvo jure superflui*: 4. si facti poenitens a plus petitione ante litis contestationem recedat: 5. si reus induciarum duplicationem non petat, et plus

petitionis exceptionem non opponat: 6. si justa sit causa, ut ante tempus, vel alio loco petatur, quod alias debetur.

Justa causa ante tempus petendi habetur 1. si debitor de fuga suspectus sit: 2. si pater bona dissipet: 3. si possessor majoratum ad alium transferre velit etc.

Justa causa alio loco petendi etc. habetur, si debitor in loco constituto nunquam reperiatur, aut non facile conveniri possit.

Actor post litem contestatam primum poenitens a poena plus petentium excusatur, quia in poenis legalibus poenitentiae locus est usque ad sententiam.

Possessio accipitur pro actu, sive jure possidendi, a quo denominatur possessor, et res possessa. Actus possidendi dicitur *possessio facti*: jus possidendi appellatur *possessio juris*.

Possessio juris est jus insistendi rei, tanquam suae, non prohibitae possideri.

Possessio facti definitur detentio rei corporalis, corporis, animi, et juris adminiculo.

Possessio facti dividitur; 1. in *justam* et *injustam*. *Justa* est, quae legitimo titulo innititur; *injusta*, quae tali titulo destituitur. 2. In *possessionem bonae et malae fidei*. *Prima* est justae et legibus confirmatae; *secunda* injustae ac legibus reprobatae possessionis scientia. 3. In *propriam*, et *impropriam*. *Propria* est illa jam definita: impropria est *quasi possessio* rerum incorporalium. 4. In *naturalem*, *civilem*, et *mixtam*. *Naturalis* est cum quis rem quidem possidet corporis et animi adminiculo, nullus tamen praeterea ejusdem rei possessionem civilem retinet. *Civiles*, cum quis rem aliquando naturaliter possessam, non quidem actu corporis vel per se, vel per alium, sed animi tamen adminiculo possidere pergit. *Mixta*, quando quis corporis et animi adminiculo ita actualiter possidet, ut nullus alius ejusdem rei possessionem civilem retineat.

Possessio rerum corporearum acquiritur *apprehensione vera*, *apprehensione ficta*, *et dispositione legis*.

Apprehensio vera est, quae vel fit manibus, eas rei injiciendo, cujus possessores esse volumus, aut pedibus, insistendo scilicet fundo, quem velut nostrum habere contendimus.

Apprehensio vera est necessaria ad acquirendam possessionem, 1. Si res sint, quae domino carent, ut sunt ferae etc. 2. Si sint bona defuncti: 3. si quis clam aut vi vult aliquid possidere: 4. si alius rem possidens nolit tibi possessionem reddere.

Circa apprehensionem veram tria adhuc sunt advertenda. 1. Capere, mediante illa, aliquis possessionem potest vel per se; vel per

alium : 2. Ut apprehensione vera capiatur possessio, satis est ingredi aliquam domus, vel fundi partem animo possidendi totam domum, vel fundum : 3. si res aliqua, cujus possessio comparanda est, capi consuevit non per partem sui, sed per id, quo continetur, ut vinum contentum in vase, sufficit eam capi per id, per quod capi alias cousuevit.

Apprehensio ficta est, quando nec manibus res possidenda apprehenditur, intervenit tamen aliquis alius, qui ea fictione, seu dispositione juris apprehensioni verae aequivalet, et illius vim obtinet.

Variis modis fieri potest; 1. per *traditionem clavium* praesente re factam : 2. *per visum*, si antiquus possessor eminus, vel cominus ostendat oculis meis fundum: 3. *per appositionem brevis manus*, si nempe quis rem suam tibi prius locatam, commodatam, postea tibi vendat, aut donet : 4. *per traditionem scripturae, seu instrumenti*, quo pristini possessoris jus continetur ; 5. *per substitutionem antiqui possessoris*, si is, qui tibi rem donavit etc. in ea sibi retineat usumfructum etc. tuo nomine: 6. *per appositionem custodiae*, si novus possessor, consentiente antiquo, apponat custodiam rei : 7. *per signationem rei venditae*, si quis emat duo pecora ex grege aliquo, et venditore consentiente accipiat; et signet tanquam sua : 8. *per clausulam constituti*; nam si praecedente donatione etc. donator etc. constituat se possidere nomine donatarii, eo ipso illi possessio quaeritur: 9. *per investituram*.

Legis dispositione quaeri potest possessio absque ullo actu apprehensionis vero vel ficto.

Possessio, vel *quasi possessio* rerum incorporearum, seu jurium acquiritur cum distinctione. Si agatur *de jurium nulli rei corporali inhaerentium possessione*, haec acquiritur per ejusmodi jurium usum, accedente scientia et patientia illius ad quem pertinet concedere, vel resistere actui. Si vero agatur *de jurium, quae corpori inhaerent, possessione*, haec comparatur duplici modo. 1. per introductionem, vel immissionem in fundum, qui servire debet, voluntate ejus, qui servitutem constituit : 2. per exercitium, sive usum servitutis tanquam sibi debitae, cum distinctione inter servitutem affirmativam, et illam negativam.

Quot actus requirantur ad acquirendam hanc possessionem, dissentiunt DD. Pro servitute negativa, dicunt *unum actum sufficere*: pro affirmativa, *pariter unicum actum sufficere*, si actus sint tales, qui vix unquam alicui conceduntur ex gratia : plu-

res requiri, si actus sint, qui ex amicitia et gratia alteri concedi solent, sed raro et non frequenter.

Possessio amitti potest *volente* vel *invito* possessore. Primo casu amittitur possessio, quando res possessa relinquitur animo simul, et corpore:

Non amittitur solo corpore possessio civilis, quia ad hanc conservandam plerumque sufficit solo animo possidere.

Possessio amitti potest *solo animo*.

Possessio rerum mobilium, nolente, aut ignorante antiquo possessore variis modis amittitur. 1. per furtum et rapinam alterius: 2. per fraudem depositarii: 3. per amissionem rei: 4: per fugam rerum animatarum.

Possessio bonorum immobilium, nolente domino, vel antiquo possessore, amittitur, 1. si possessor sit longo tempore absens, nec per alium rei insistat: 2. si per vim a possessione dejectus sit: 3. si rem sciat ab alio occupatam, et negliget illam sibi vindicare: 4. si reversus statim quidem repetat suam possessionem, sed ab occupante repellatur: 5. si timens repulsam non audeat repetere possessionem: 6. si res a flumine etc. ita sit occupata, ne facile recuperari possit: 7. si nesciat rem esse suam etc.

Possessio rerum incorporalium amittitur, 1. si per negligentiam etc. non utamur jure nostro: 2. si alius invitum excludat ad eadem jura spectantem. 3. si impedimenta objiciat, quominus jure nostro uti possimus.

Plura enumerantur commoda, et privilegia possessionis 1. Possessio bonae fidei parit praescriptionem: 2. si bonae fidei possessori, antequam rem praescribat, incidat dubium, num res sua sit, nec ne, rem retinere, eaque frui potest, donec ipsi constet ad alium pertinere: 3. Qui bona fide rem possidet, interim habet jus administrationis, et si annexum rei possessae sit jus eligendi etc., valet electio etc. 4. Si bonae fidei possessor rem, aut fructus illius alienet, vel absumat, putans se jus habere, postea vero appareat, rei dominium ad alium pertinuisse, non plus tenetur restituere, quam quo inde ditior factus est. 5. Possessor bonae fidei potest vim vi repellere, et possessionem suam armis tueri, illamque perditam, modo in continente fiat, repetere. 6. Possessio bonae fidei in judicio parit praesumptionem dominii. 7. Qui tempore litis contestatae invenitur esse in possessione, a judice defendi et conservari in ea debet, nisi vi, clam, precario possideat. 8. Eadem possessio longissimo tempore 30, vel saltem 40 annorum conti-

nuata, si possidenti jus non resistat, fundat praesumptionem tituli. Continuata autem tempore immemorabili inducit praesumptionem ejusdem, quae sit juris et de jure etc. 9. Possessor immobilium liberatur ab onere satisdandi de judicio sisti, idque ideo, quia cessat suspicio fugae. 10. Princeps non censetur dare privilegium, aut beneficium cum praejudicio alterius iu possessione existentis, nisi id exprimat. *Proprietas* aliquando 1. significat quodcumque jus extra possessionem super quo judicio petitorio contendi potest: et in hoc sensu includit etiam jus, quod *ad rem* vocatur. 2. Aliquando strictius significat solum jus in re, sed qualecumque extra possessionem. 3. sumitur etiam strictissime, ac frequentissime pro dominio.

Dominium late acceptum est facultas disponendi de aliqua re, tamquam sibi subjecta. Duplex est, unum *jurisdictionis*, alterum *proprietatis*. *Jurisdictionis dominium* est jus gubernandi, judicandi, puniendi protegendi subditos, ab eisque emolumenta exigendi. *Dominium proprietatis* est jus reale disponendi de re aliqua tamquam sua, nisi lege prohibeatur.

Valde differunt inter se proprietas et possessio 1. Saepe accidit, ut unus rem possideat, alter vero habeat illius proprietatem, seu dominium. 2. Solo animo interdum acquiritur proprietas, non autem amittitur: possessio solo animo acquiritur nunquam: 3. Possessio ex pluribus causis haberi potest; dominium non nisi ex una. 4. Dominium non acquiritur sine titulo; possessio titulum non desiderat. 5. Ex judicio proprietatis res contrahit vitium litigiosi; non item si lis moveatur de possessione.

Proprietas et dominium dividitur 1. in *naturale* et *civile*. Naturale habetur, quando quis, spectato jure naturali, est dominus: civile, quando quis per legem acquirit dominium.

2.° in *verum* et *fictum* Dominium verum est, quod quis vere, et citra juris fictionem habet: fictum, quando jus aliquem fingit esse dominum, cum tamen non sit.

3.° in *perfectum* et *imperfectum*. Primum est jus perfecte disponendi de re. Secundum est jus disponendi de re ita, ut etiam alius jus disponendi de illa habeat; ex quo oritur dominium *directum*, et *utile*.

4.° in *revocabile*, et *irrevocabile*. Illud est, quod non est perpetuum; hoc est quod ex intentione perpetuo durat.

5.° in *universale* et *singulare*. Universale competit cuivis, haeredi circa universitatem jurium, singulare competit circa res singulas.

Dominium acquiritur vel *jure gentium*, vel *jure civili*. Ex jure ci-

Digitized by Google

vili venit praescriptio, donatio mortis causa, legatum etc. Ex jure gentium veniunt 19. modi acquirendi dominium.

1.° *Venatio*, quae est occupatio ferae (sive piscis, sive avis, sive aliud animal sit) existentis in naturali sua libertate.

2.° *Inventio*, quae definitur occupatio rerum inanimatarum, quae nullius sunt, vel pro derelictis a domino habentur. — *Thesaurus inventus, jure gentium*, cedit inventori: *jure communi*, si inventus sit in fundo proprio mediis lecitis, totus est inventoris; si mediis illicitis, totus fisco vindicatur. Quando vero in fundo alieno hujusmodi inventio facta est, si hoc casu accidit, thesaurus inter inventorem, et dominum loci partitur; si data opera, absque licentia domini fundi, ad hunc totus thesaurus spectat. *Jure particulari* aliqui reges sibi thesauros sive integros, sive ex parte asserunt.

3.° *Captivitas*, seu *occupatio bellica*, quae est modus acquirendi dominium rerum et personarum in bello juste captarum.

4.° *Alluvio*, quae est *incrementum* latens, quando nempe quasi insensibiliter motu fluminis uni fundo aliquid accedit.

5.° *Accretio*, sive *coalitio* quae est modus acquirendi, quo notabilis pars praedii alieni vi fluminis praedio nostro adjecta, eique affixa nobis acquiritur.

6.° *Insulae productio*, quae si enata sit in mari, fit occupantis, si in flumine, nunc fit eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam praedia habent, nunc tota acquiritur propinquiori, prout vel in medio fluminis sita sit, vel ad alterutram partem accedat.

7.° *Alvei mutatio*, quae fit quando flumen alveum deserit et novum occupat: quo casu prior alveus accrescit illis, qui prope ripam possident.

8.° *Specificatio*, quae est formatio novae moraliter speciei, ex materia, vel simpliciter aliena, vel partim propria, partim aliena.

9.° *Accessio*, quae etiam vocatur *intextura*, *adjunctio*, *suffultura*, et *sutura*, et quae fit cum per nostram industriam, et laborem res aliena nostrae suam speciem retinenti accedit.

10.° *Scriptura*, propter quam acquiritur dominium characterum ei, in cujus materia scribuntur.

11.° *Pictura*, propter quam acquiritur dominium tabulae, nisi haec sit picturae praetiosior.

12.° *Confusio*, quae fit quando duorum materiae liquidae, aut liquefactae, sive ejusdem, sive diversi generis, ita miscentur, ut ab invicem arte humana, et via ordinaria separari nequeant etc.

Digitized by Google

13.° *Permixtio*, quae fit, quando corpora solida, et quae etiam post mixturam a se invicem discreta manent, suamque singula speciem retinent, inter se miscentur.

14. *Aedificatio*, ob quam jura statuunt omne id soto cedere, quod solo inaedificatur. Hinc si quis ex aliena materia in solo proprio aedificium erexerit, ipsi aedificium jure soli acquiritur: si quis e contra ex sua materia in alieno solo aedificaverit, illius fit domus, cujus est solum etc.

15.° *Plantatio*, cujus vi plantae dominium cedit domino soli, si in hoc arbores radices egerint.

16.° *Satio*, quae plantationem imitatur.

17.° *Foetura animalium*, per quam nobis acquiritur id quod ex animalibus dominio nostro subjectis nascitur.

18.° *Perceptio fructuum*, ob quam fructus ex re aliena bona fide possessa possessori acquiruntur.

19.° *Traditio*, vel potius *rei traditae apprehensio*. Haec, ut dominium transferat, requiritur 1. ut subsit titulus et justa causa: 2. ut fiat a domino habente liberam administrationem rerum suarum: 3. ut intercedat tam accipientis, quam dantis consensus in rem, quae traditur: 4. ut res tradita sit vacua ab alterius possessione: 5. ut traditio facta sit sine conditione tacita, vel expressa.

Effectus proprietatis, vel dominii sunt 1. quod dominus re sua uti, imo etiam abuti possit: 2. quod res invito auferri nequeat: 3. quod dominus in rebus suis praeferatur creditoribus omnibus: 4. quod si in possessoria utraque pars litigans pares probationes afferat, ea pars vincat, quae dominium et proprietatem probat: 5. Quod domino, si possessionem rei suae amiserit, competat in rem actio.

Causa possessionis vocatur, qua principaliter agitur de possessione, vel quasi possessione, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda; ex qua causa oritur *judicium possessorium*.

Causa proprietatis est illa, in qua principaliter agitur de rei controversae proprietate, seu dominio, vel alio jure extra possessionem, vel quasi possessionem; ex qua causa oritur *judicium petitorium*.

Agenti judicio petitorio jus concedit diversas actiones, nempe *rei vindicationem, actionem confessoriam*, et *negatoriam etc*. et *actiones personales*.

Rei vindicatio datur adversus possessorem rei corporalis, et ea actor petit, se ejus dominum declarari, et illam officio judicis sibi a possessore restitui.

Digitized by Google

Actio confessoria datur adversus eum, a quo quis a juris usu impeditur, et hac contendit actor sibi jus tale adversus impedientem competere.

Actio negatoria competit rei e. g. praedii domino adversus eum, qui praetendit, et utitur aliqua servitute in praedio illo; quod tamen dominus dicit esse liberum, et pretensae servituti obnoxium esse negat.

Actiones personales competunt, quando *de jure ad rem* solum agatur.

Judicium, seu remedium possessorium triplex est; sc. *adipiscendae*, *retinendae*, et *recuperandae possessionis*; quae remedia, *interdicta* vocantur.

Interdictum adipiscendae possessionis triplex est, *quorum bonorum*, *quorum legatorum*, et *salvianum. Primum* competit haeredi post aditam haereditatem ad capiendam possessionem rerum haereditariarum adversus eum, qui aliquid ex iis vel pro haerede, vel pro possessore possidet, aut dolo vel culpa desiit possidere - *Alterum* competit haeredi, vel bonorum possessori contra legatarium ad restituendum legatum, quod ille propria authoritate occupavit - *Tertium* competit domino, seu locatori fundi adversus colonum, seu conductorem, ut rerum, quae a colono in praedium conductum illatae, et pro mercede conductionis expresse pignori obligatae sunt, possessionem consequatur. Et haec sunt remedia *praetoria*.

Pro adipiscenda possessione competunt alia remedia *ex jure civili* provenientia, et ea sunt tria. *Primum* datur haeredi; qui testamentum prima fronte nec cancellatum, nec abolitum, nec ulla ex parte vitiatum judici competenti exhibet, ut rerum haereditariarum possessionem illico, et absque mora ex sola testamenti inspectione consequatur. *Alterum* habetur, ubi creditoribus vi pacti conventi facultas tribuitur ingrediendi possessionem rerum ad debitorem pertinentium. *Tertium* est imploratio officii judicis facta ab haerede, ut authoritate ejus vacantem rerum haereditariarum possessionem nanciscatur absque incommodo etc.

Interdictum retinendae possessionis duplex est: uti possidetis, et *utrobi*. Primum datur pro rebus immobilibus, alterum pro mobilibus. Competit hoc interdictum possessori, qui in sua possessione turbatur injuste, et extrajudicialiter adversus turbantem in possessione etc.

Si duo contendant aliquid possidere, se jus piscandi etc., possessio adjudicanda est illi, qui vel probationibus, vel tempore, vel titulo, vel testibus potior est. Si pro utroque omnia supponantur

Digitized by Google

esse aequalia, judex pronuntiabit « *ut possidetis, ita possideatis* ».

Interdictum recuperandae possessionis pluribus modis accipitur: hic duo tantum recensentur. 1. *Interdictum unde vi*, quod datur pro recuperanda possessione rerum immobilium, a qua per vim aliquis est dejectus, contra eum, qui spoliavit: 2. Actio *vi bonorum raptorum*, quae datur pro recuperandis rebus mobilibus vi ablatis.

Judicium possessorium de rebus spiritualibus, vel quasi spiritualibus ad judicem ecclesiasticum tantum pertinet, si cum eo aliqua quaestio juris admixta sit: si vero cum eo solum quaestio facti adjungatur, ad judicem ecclesiasticum iterum spectat, quando reus conventus est persona ecclesiastica; et erit mixti fori, quando reus est laicus.

Causa proprietatis, et possessionis apud eumdem judicem tractari debet, nisi 1. litigantes sint fori diversi: 2. causa proprietatis et possessionis tales sint, ut de utraque non possit judex cognoscere: 3. judex specialiter ut delegatus pro causa proprietatis tantum, vel tantum super causa possessionis.

Salubre Jctorum monitum est, ut actor causam proprietatis non intentet, quamdiu remedio aliquo possessorio potest agere.

Causa possessionis et proprietatis in eodem judicio simul proponi et cumulari potest, quia hoc modo minuuntur lites, quae ex duobus fit una.

Judicium petitorium cumulari potest etiam cum judicio possessorio retinendae.

Quando causae possessionis et proprietatis cumulantur in eodem judicio, prius cognoscendum est de causa possessionis, quam de causa proprietatis: utraque autem causa terminari debet eadem sententia; ita tamen, ut iterum prius pronuntietur de causa possessionis, quam de causa proprietatis, in executione praevaleat causa proprietatis.

Casu, quo quis egit ab initio judicio petitorio, nequit, eo suspenso, intentare interdictum adipiscendae, vel recuperandae possessionis, si jam conclusum in causa, et allegationibus ac probationibus renuntiatum sit: si vero nondum conclusum in causa sit, et probationibus renuntiatum, actor admitti debet ad agendum in possessorio.

Si sententia contra actorem lata sit in petitorio ideo solum, quia proprietatem probare non potuit, is transire potest a petitorio ad possessorium: si vero contra eum sententia lata sit, ut etiam

proprietas per sententiam reo sit adjudicata, actor non potest intentare judicium possessorium.

Interdictum unde vi, seu recuperandae possessionis conceditur illi, qui vi dejectus, aut spoliatus fuit possessione rei immobilis, ejus haeredibus, ceterisque successoribus.

Ut recte hoc interdictum intentetur, tria anuotanda. 1. Spoliatus debuit esse verus possessor rei spoliatae. 2. Non refert an spoliatus possederit rem naturaliter, sive civiliter, juste, sive injuste. 3. Dejectus non debet rem possidere amplius per alium.

Etiam praedoni spoliato restitutio facienda est, non tantum casu, quo hujusmodi praedo spoliatus sit a non domino, sed etiam quando spoliatus est ab illo, quem ipse dejecit, quia nemo sibi jus dicere et rem propria authoritate vindicare potest.

Praedo restituendus non est contra dominum spoliantem, si 1. ab hoc in continente dejiciatur; si 2 talis sit, ut ejus vitae nemo parcere debeat; si 3. possessor dejectus sit per violentiam non formalem sed fictam.

Si colonus, vel conductor etc., qui talis est *ad breve tempus,* dejiciatur fundo, aut domo ab altero vi occupata, extraordinario officio judicis implorato, restituitur: interdictum autem *unde vi* non ipsi, sed domino competit.

Si colonus, vel conductor, vel emphyteuta etc., qui talis est *ad longum tempus,* dejiciatur fundo, aut domo etc. ab altero vi occupata, is interdictum *unde vi* intentare potest, quia est in quasi possessione.

Interdictum *unde vi* competit non solum illi, qui possessione absolute spoliatus est, sed etiam illi, qui licet possessione non sit spoliatus, spoliatus tamen est plena libertate possidendi.

Si alicui liber homo, vel laico res sacrae per vim eripiantur, interdicto *unde vi* locus non est.

Interdictum *unde vi* competit adversus eum, qui alium possessione sua dejecit per vim aut clam, sive rem spoliatam amplius non possideat; sive ipse non spoliaverit, sed spoliari mandaverit; sive spoliationem suo nomine factam ratam habuerit.

Quando servi aliquem spoliarunt, seu possessione dejecerunt, si hoc factum sit jussu domini, adversus hunc interdictum *unde vi* competere certum est: si vero sine ejus mandato, et eo ignorante etc., adversus eumdem non datur hoc interdictum, nisi servus, quem dominus scivit esse malum, aut suspectum, delinquat in eo officio, cui a domino est praepositus; hic tali casu tenebitur ex quasi maleficio.

Interdictum *unde vi* non competit liberis contra parentes, et libertis contra patronos, nisi armata manu usus fuerit patronus contra libertum, parens contra liberos - Idem de vassallo dicendum est.

Interdictum *unde vi* intentari potest contra judicem injuste spoliantem, si hic *extrajudicialiter etc.* aliquem dejecerit possessione rei suae, aut si id fecerit per latam sententiam, *absque competentia respectu rei et causae*.

Datur etiam hoc interdictum contra judicem competentem, si hic per latam sententiam *substantialiter vitiatam* aliquem spoliaverit.

Interdictum *unde vi* non datur spoliato contra haeredes, aut successores spoliatoris, quia ex maleficiis poenales actiones in haeredem rei non competunt. Haec regula extenditur ad haeredem haeredis.

Non datur hoc interdictum spoliato adversus eum, qui rem, per vim injustam ab alio ereptam alteri, scienter et mala fide accepit, sed tantum conditio *ex c. saepe* 18. *de Restit. spoliat.*

Spectato jure, negatur hoc interdictum spoliato contra tertium bonae fidei possessorem.

Interdictum *unde vi* nequit intentari nisi intra annum: hic tamen annus non debet esse continuus, sed talis, in quo non computatur tempus, quo spoliatus non potuit agere - Intentatur autem etiam post annum, si 1. agatur de eo, quod ad spoliatorem pervenit: 2. si spoliatio proprie apponatur per modum exceptionis: 3. si agatur cum illa actione, seu condictione *(l. si quis* 7. *Cod. unde vi)*, qua spoliator rem, si sua sit, perdit; si aliena, praeter restitutionem, etiam in aestimationem ejus condemnari debet.

Cum a spoliato petitur restitutio in causa spolii, regula generalis est spoliatum ante omnia restituendum, si de spoliatione facta vere constet, aut legitime sit probata.

Non audiendus in judicio spoliator, etsi velit dominium et proprietatem in continenti probare, sed ante omnia cogendus ut restituet spoliato; et hoc procedit 1. tam in corporalibus, quam in incorporalibus, 2. tam in mobilibus, quam in immobilibus.

Sunt aliqui casus, in quibus exceptio dominii, seu proprietatis fieri potest a spoliante antequam restituatur spoliatus. 1. Si spoliatus consentiat, ut de exceptione dominii, seu proprietatis ante restitutionem factam cognoscatur: 2. Si notorie constet, quod jus nullum competat spoliato, et simul in ea competat spoliatori: 3. Si vertatur animae periculum in restitutione spoliati: 4. si,

facta restitutione, timeatur damnum irreparabile, vel publicum scandalum etc.: 5. si quis rem suam, aut sibi notorie, et indubitato debitam, quod eam per viam juris etc. recuperare non potuit, propria authoritate occupavit: 6. si juris praesumptio contra spoliatum pro spoliatore militet: 7. si lite pendente, et stante quaestione spolii alius quidem tertius pro suo interesse interveniat, atque in re spoliata dominium vel aliud jus praetendat: 8. si reus conventus, seu spoliator concludat spoliatum possidere nec potuisse, nec posse.

Spoliatus agens ad restitutionem rei spoliatae duo debet probare, se possedisse, et possessione sua injuste, aut indebite dejectum, vel saltem ne libere possideret, prohibitum fuisse.

Ad probandam possessionem sufficit, ut spoliatus probet se olim in possessione fuisse, ante illud tempus, quo spoliatum se ait.

Restitutio facienda est non qualiscumque, sed plena, ut non solum res principalis, sed etiam accessoria restituatur cum omnibus fructibus, qui a die spoliationis percepti sunt, vel percipi a spoliato potuerunt.

Fructus dicuntur, qui, deductis necessariis expensis, supersunt. Alii sunt *naturales*, alii *industriales*, alii *mixti*, et alii *civiles*. Sunt etiam vel *percipiendi*, vel *percepti*.

Expensarum nomine venit quod expenditur in fructibus quaerendis, colligendis, et conservandis.

Spoliator debet restituere fructus omnes, sive extantes, sive consumptos, sive perceptos, sive percipiendos etc.

Spoliato restituendi sunt etiam fructus, quorum perceptio est inhonesta, si isti fructus *percepti* sint.

Spoliato restituendi sunt a spoliatore etiam fructus, quos ipse, si rei possessionem non amisisset, ex ea percipere potuisset industria sua tam *communi*, quam *singulari*.

Cum re spoliato etiam restituendi sunt illi fructus, quos percipere spoliator potuisset *communi* industria, non quos potuisset percipere industria *singulari*.

Spoliator aut alius malae fidei possessor tenetur restituere fructus *perceptos* provenientes ex melioratione rei sine ejus detrimento non separabilis.

Spoliator, aut alius malae fidei possessor, illos fructus, quos dominus verisimiliter percepturus erat, tenetur restituere *in foro utroque*: et illos fructus, quos dominus percipere potuisset, tantum restituere tenetur *in foro externo*.

Spoliator etc., quando rem vi, vel injuria occupatam, vel detentam

restituit, deducere potest expensas *necessarias* et *utiles*, non vero *voluptuarias*.

Possessor bonae fidei tenetur restituere fructus *naturales*, et *mixtos*, si sint *pendentes*: si vero *percepti sint et a solo separati*, illos restituere debet, quando adhuc exstant; restituere non debet, quando consumpti jam sunt.

Ab eo momento, quo possessor rei alienae scientiam habet, eum, tamquam malae fidei possessorem, fructus nullo modo, etiam revocabiliter, suos facere, sed obligari ad illos restituendos certum est.

Fructus omnes e contestatione litis percepti, et percipiendi indiscriminatim a quovis possessore restituendi sunt.

Possessor, cujus malae fidei supervenit bona, si haec superveniat in una, eademque physice persona, tenebitur restituere fructus durante mala fide perceptos, et fructus perceptos deinde bona fide: si vero superveniat in persona tantum eadem, fictione juris, sicut et haeres cum defuncto, sentit utilitatem bona fide superveniente, neque fructus rei ab antecessore mala fide possessae lucrari potest.

Successor singularis spoliatoris bonae fidei, aut alius hujusmodi bonae fidei possessor deducere potest absque controversia expensas *necessarias*: potest etiam deducere *utiles*, si hae a re sine ejus detrimento, ac dispendio domini sint separabiles; et *voluptuarias*, si absque ipsius rei detrimento tolli possunt.

Spolium in causa matrimoniali contingit non tantum per alium tertium, qui vi auferet conjugem a conjuge, sed etiam fieri potest ab ipsis conjugibus inter se, et hoc tripliciter. 1. Quando conjux propria authoritate recedit a conjuge: 2. quando uxor propria authoritate discessit a marito, sed facti poenitens ad illum redire vult: 3. quando uxor expulsa quidem est a marito, sed ab hoc postea revocatur; revocata autem redire non vult.

Conjux expulsus, si ab expellente revocatus nolit ad hunc redire, aut fugiens temere, si facti poenitens redeat, et non recipiatur ab altero conjuge, restituendus est.

Quando conjux conjugem, vir mulierem, quae ab ipso propria authoritate discessit, tamquam spoliatus restitui petit, si *sola intercesserint sponsalia*, mulier non debet viro restitui, tametsi domum istius jam sit introducta; si *matrimonium ratum fuerit*, mulier viro restituenda est quoad cohabitationem, et alia obsequia conjugalia, non autem quoad thorum: si vero matrimonium fuerit *consumatum*, plena restitutio conjugis se sepa-

rantis fieri debet etiam quoad thorum, nisi justam causam, quod a viro recesserit, proponere possit etc.

Quando conjux restitui petit conjugem, quae se propria authoritate separavit, et separationis suae causam praetendit impedimentum dirimens, multum interest an spoliatus agat judicio *petitorio* an *possessorio*. Primo casu, de impedimento prius est cognoscendum, antequam restitutio fiat: secundo, videndum est an matrimonium sit *ratum*, an vero *consummatum*. Si ratum, distinguendum impedimentum in *notorium*, et *occultum*, et hoc in *dubium*, et *certum etc.* - Si consummatum, pariter videndum si impedimentum sit *notorium*, vel *occultum*, si ob hoc secundum *paratae sint probationes*, *vel non etc.*; et hisce inspectis, restitutio nunc facienda, nunc est deneganda.

Quando mulier, quae propria authoritate a viro recessit, ipsi petenti restitutionem objicit commissum ab eo adulterium, si hoc *notorium* sit, restituenda non est, nisi idem crimen uxor commisisset; si vero *non notorium*, statim plene est restituenda, etiam quoad thorum.

Uxor, quae a marito propria authoritate divertit, et eidem ipsam repetenti objicit votum perpetuae continentiae mutuo consensu editum, et sic factam renuntiationem juris exigendi debitum conjugale, nequit restitui ad commune thorum, potest autem et debet restitui ad cohabitationem et obsequia conjugalia

In causis beneficialibus non restituendus est spoliatus: 1. Si huic objectus sit defectus notorius proprietatis: Si adversus eumdem sit magna praesumptio, quod sine titulo, aut cum titulo vitioso ecclesiasticum beneficium obtinuerit.

Restitui debet spoliatus ante exhibitionem tituli; si adversus illum non sit praesumptio vitiosi ingressus in beneficium, nisi hoc sit papae reservatum:

Spoliatus, qui renuntiavit beneficio, quo spoliatus est, *si ante spoliationem* libere renuntiaverit, non est restituendus; *si vero post spoliationem* renuntiationem emiserit, restitui prius debet, et deinde testes super hac voluntaria renuntiatione examinari.

Plures dantur casus, quibus renuntiatio post spoliationem facta impedit restitutionem.

In aliis causis spiritualibus, videlicet jure decimandi eligendi etc., si jus commune resistat spoliato, et assistat spoliatori, spoliatus restituendus non est, nisi prius ostenderit titulum, vel saltem praesumptionem tituli.

Potest aliquando violentus, aut injustus invasor, vel detentor a domino, vel possessore legitimo propria authoritate licite expelli,

dummodo id fiat : 1. *in continenti*, et ita ut 2. *modus justae defensionis non excedatur*. Hoc casu, interdictum possessorium nullum competit spoliati.

Reus *civiliter* conventus potest opponere exceptionem spoliationis, si haec facta sit *ab ipso actore*; si vero a *tertio distincto*, non obstante exceptione facta a reo, judex procedere in causa principali, et definire eamdem debet.

Reus *criminaliter* conventus nequit opponere exceptionem spoliationis, si crimen, de quo accusatur, sit *notorium*; si vero *non sit notorium*, opponere hanc exceptionem potest, a quocumque spoliatio facta sit.

Contra agentem in causa ecclesiastica non potest opponi exceptio spoliationis rei privatae; et e contra agenti in causa rei privatae opponi nequit exceptio spoliationis rei ecclesiasticae.

Spoliato agenti interdicto *unde vi* nequit opponi, per se loquendo, exceptio criminis, sed hac non obstante restitui debebit spoliatus, et prius cognoscendum de spolio, quam de crimine - Interdum talis exceptio tenet, si fiat : 1. de crimine, quod actorem reddat inhabilem ad agendum : 2. si objiciatur spoliato tale crimen, quod eum reddat incapacem possessionis : 3. si spoliato objiciatur crimen, quod etsi non inhabilem omnino reddat ad possidendum privat tamen proprietate, et titulo.

Restitutio non impeditur *reconventione* super alicujus rei proprietate, *exceptione* compensationis objectae a spoliatore, et *appellatione*.

Dolus potest sumi in bonam et malam partem.

Dolus bonus dicitur solertia, qua quis machinatur aliquid adversus hostes, et latrones praesertim publicos, ut fraudes, vel injurias eorum excludat.

Dolus malus est omnis *calliditas fallacia* vel *machinatio ad circumveniendum fallendum*, vel *decipiendum alterum adhibita*.

Dolus est duplex *verus*, et *praesumptus*. *Verus* est, quem jus ipsum statuit : praesumptus, quem judex desumit ex conjecturis et indiciis.

Dolus iterum partitur in *praecedentem*, et *incidentem*. Ille praecedit contractum, et *ei causam dat*; hic *in contractu dicitur incidere*.

Dolus, qui *dat causam contractui* aliquando versatur circa substantiam rei, aliquando solum circa qualitatem, et accidentia ejus extrinseca.

Dolus contingere potest tam circa contractus *bonae fidei*, quam *stricti juris*. In illis judex ad rigorem conventionis adstrictus non

est, sed ex aequo et bono pro una parte contra alteram alteri praestari oporteat, aestimandi decernendique facultatem habet. In his non ita liberam aestimandi facultatem habet, sed pronuntiare debet secundum rigorem, et verba conventionis.

Error vel dolus vitiat actum aut contractum, quando versatur circa substantiam rei.

Nullo dolo circa contractus circumstantiam, et qualitatem accidentalem commisso, etiamsi hic antecedens est et causam det contractui, irritatur contractus de jure naturali.

Jure etiam positivo non sunt irriti contractus matrimonii carnalis, et spiritualis initi per professionem religiosam, etsi dolo, vel errore, circa aliquid accidentale commisso, sint celebrati, et

Eadem jure positivo non sunt irriti ceteri contractus, saltem qui stricti juris sunt, quantumvis ejusmodi dolus, vel error praecesserit, et causam eisdem dederit.

Nullo jure irritus est contractus etiam bonae fidei dolo obtentum, si is circa substantiam actus non versetur, et ab alio, quam contrahente, commissus est, quamvis ille contractui causam dederit.

Quando contractus sunt bonae fidei, et dolus a contrahentium altero commissus est, deditque causam contractui, substantiam tamen illius non afficit, in theoria admodum probabile, et in praxi verius est, eos contractus, et actus, si insolubiles non sint, rescissioni quidem obnoxios, at ipso jure non omnino, saltem ex parte decipientis, irritos esse.

Datur remedium dolum passo in contractu a se inito; et quidem si dolus versetur circa substantiam actus, opus est *sola declaratione nullitatis*. Quando vero juxta circumstantiam, si dolus fiat *per tertium aliquem*, contractus absolute est validus, sive gratuitus ille sit, sive onerosus; si fiat *per unum ex contrahentibus*, decepto de jure praetorio datur *exceptio*, vel *actio de dolo*, quae est *praetoria* et *personalis, mere rei persecutoria*, *arbitraria*, et *subsidiaria*.

Actio de dolo datur dolum passo, et ejus haeredibus adversus decipientem, seu dolosum, nisi specialiter excipiatur.

Haec actio non datur nisi causa cognita.

Olim *actio de dolo* utili tantum anno dabatur: hodie autem datur per continuum biennium contra dolosum; contra heredem vero ipsius 30 annis de eo, quod ad ipsum pervenit.

Exceptio doli competit laeso per dolum, hujusque haeredibus, et successoribus, imo etiam fidejussoribus in omnibus iis causis, in quibus dolus committi potest.

Exceptio doli datur 1. *in contractibus*, et *promissionibus*: 2. *in testamentis*: 3. *in legibus*:

Eadem exceptio doli mali datur adversus omnes, qui contra aequitatem naturalem, aliquid exigunt, nisi aut officium, aut conjunctio eos immunes a doli suspicione faciat.

Haec exceptio est perpetua.

Dolus necessario probandus est, quia regulariter non praesumitur.

Probatio doli, cum hic difficillime probetur, desumenda erit etiam ex conjecturis, ac praesumptionibus, si haec sint graves, et dolum plene ac concludenter probantes.

Dolus argui potest ex pluribus conjecturis. 1. *Ex qualitate personarum.*: 2. *Ex qualitate facti*: 3. *ex modo, tempore et circumstantiis, quibus fit actus*: 4. *ex aliis actibus adjunctis*: 5. *ex nimia et insolita diligentia, vel cautela*: 6. *ex laesione enormi*: 7. *ex verosimiti.*

Excluditur dolus 1. *ex qualitate personarum*: 2. *ex defectu causae*: 3. *ex juris promissione*: 4. *ex actu palam gesto*: 5. *ex ignorantia*: 6. *ex actu in personam benevolam gesto*: 7. *ex obedientia superioris*: 8. *ex officii necessitate*: 9. *si his qui conqueritur de dolo, sciens et volens illud permiserit etc.*

Contumacia a *contemnendo* dicta, quod judicem videatur contemnere, qui vocatus non obtemperat.

Definitur *inobedientia a legitime vocato erga judicem in iis, quae ad judicem pertinent, commissa.*

Dividitur in *veram* et *fictam*. *Vera* est, cum quis peremptorie, ac personaliter, aut ad domum etc. citatus est, et tamen non comparet, nec impedimentum excusat - *Ficta*, seu *praesumpta* est, cum quis, nec personaliter, nec in faciem citatus, sed per edictum affixum ad ejus domum, non comparet, nec sufficientem procuratorem mittit in termino constituto.

Alii dividunt contumaciam in quatuor membra, in *notoriam*, *veram*, *praesumptam*, et *interpretativam*, seu *fictam*. *Notoria* habetur, quando quis in faciem citatus respondet impudenter, *non venio*. *Vera*, quando quis legitime citatus etc., non venit. *Praesumpta*, quando non constat citatio legitima, sed praesumitur. *Ficta*, quando quis dolo impedit ne citatio fieri possit.

Contumacia committitur: 1. quando reus tribus edictis, aut una vice tribus peremptorie citatus, et nulla justa impeditus non comparet: 2. quando reus malitiose absentat, aut procurat per se, vel per alium ne citatio ad ipsum pervenire possit: 3. quando comparuit quidem, sed postea sine licentia judicis recedit, non

confecto negotio, nec revertitur: 4. quando actor veniens ad judicium actionem, seu libellum non edit, aut edita actione, et lite contestata, eamdem non prosequitur: 5. quando reus non respondet libello actoris, aut male, vel obscure respondet: 6. quando litigantes non parent mandato judicis: 7. et parere recusant executioni sententiae.

Ut quis constituatur contumax, et obnoxius poenis contumaciae, regulariter saltem requiritur trina citatio vel formaliter, vel acquivalenter, seu peremptoria.

Causae excusantes a contumacia sunt, 1. adversa valetudo: 2. majoris causae occupatio: 3. absentia reipublicae causa: 4. aetas pupillaris etc.: 5. citatio ad tribunal superius: 6. puerperium, vel graviditas mulieris: 7. tempestas etc. 8. prohibitio proprii magistratus: 9. rusticitas: 10. incompetentia etc. 11. tempus feriatum: 12. locus non tutus 13. bellorum motus, etc. etc.

Judex de jure nunquam contra contumacem ex officio potest procedere ad aliquem actum, nisi ad instantiam, et petitionem partis adversae.

Si actor post oblatum libellum non compareat, citetur a judice personaliter per litteras, vel per nuntium, si reperiri possit, aut sciatur, ubi existat.

Si actor non compareat in primo et secundo termino, reo comparenti condemnatur in expensas. Et si in tertio termino sese constiterit, non est audiendus, nisi prius caveat quod in termino statuto parebit.

Si actor neque in termino peremptorio, neque post illum compareat, et nesciatur ubi sit, tunc procurator ejus citari debet; et si neque hic in judicium veniat, adhuc tribus vicibus per 30. dierum intervalla citandus est.

Si etiam tunc venire contempserit actor, de jure civili indulgetur annus, ut causam prosequatur. Quo elapso, et persistente actore in contumacia, judex ad petitionem rei praesentis, etsi lis contestata nondum sit, procedere ad recipiendos testes, et audiendas allegationes etc. et etiam ad sententiam definitivam poterit.

Si reus personaliter, aut per edictum citatus ad terminum peremptorium non compareat, multum interest, spectato praecipue jure canonico, an contumacia praecedat contestationem, litis, an sequatur. *Si praecedat*, regulariter actor immitti ad petitionem suam debet in possessione bonorum rei custodiae causa, ad sententiam definitivam autem judex eo casu procedere nequit. *Si sequatur*, sententia definitiva ferri debet, *quando*

liquet de causa, et *regulariter* immittitur actor in possessionem veram, *quando de causa non liquet.*

Reus contumax puniri variis modis, scilicet *poena arbitraria*, *immissione actoris in bona sua*, *carceratione*, *excommunicatione etc. etc.*

Plura advertenda sunt circa has poenas: 1. Non debet judex procedere contra contumacem, nisi ad instantiam partis in judicio comparentis: 2. antequam mulcta, excommunicatio, vel alia poena feratur in contumacem, citari debet ad excusandum se: 3. paena contumaciae ad haeredem, vel successorem non transit etc.

Reus qui *ficte* solum et *praesumptive* est contumax, si contra eum sententia feratur in contumaciam, intra decendium a die notae sententiae latae appellare potest. Reus autem *vere* contumax nequit appellare, quamvis de stylo Rotae ad appellandum admittitur.

Adversus praelatum criminosum in contumaciam procedi potest: 1. *per modum accusationis*: 2. *extraordinarie per viam inquisitionis*: 3. *per viam denuntiationis*:

Actor mittiur in possessionem bonorum rei ex primo, et ex secundo decreto.

Primum decretum sententia interlocutoria judicis, qua ob contumaciam rei actor in bona illius custodiae causa mittitur, ut illa pignoris vice teneat, donec reus veniat responsurus.

Contumax in comparendo *recte* punitur, et ad litem contestandam compellitur per immissionem actoris in possessionem bonorum ejusdem ex decreto.

Missie in bona rei fit a judice habente mixtum imperium.

Haec missio in possessionem decerni potest in reum contumacem absentem, dummodo ejus consanguineus, vel amicus non veniat eum defeusurus, vel ipse non absit ex justa causa.

Immissio actoris in possessionem bonorum rei contumacis aliter fieri debet *in actione reali*, aliter *in personali*. Si reus *actione reali* conventus per contumaciam absit, actor pravia summaria cognitione, et juramento calumnie, mittitur in possessionem rei petitae etc. At si *actione personali* conveniatur reus, et contumax sit, potest judex adversus illum, vel actorem mittere in possessionem bonorum rei *pro modo debiti*, vel infligere ei censuram ecclesiasticam.

Missio, quae fit in actione personali differt ab ea, quae decernitur in actione reali 1. quod in illa observandus sit certus ordo, non in ista: 2. quod in prima immissio semper fiat pro modo debiti, quod praetendit actor; in secunda in ipsam rem peti-

tam: 3. quod, cum intentatur actio personalis, vel missio in possessionem bonorum rei, vel censura ecclesiastica disjunctive ferri possit: cum vero intentatur actio realis, primo decerni debeat missio in possessionem rei petitae etc.

Missioni in res et bona rei contumaciter a judicio absentis locus est in omnibus actionibus realibus et personalibus, nisi eam actionis, vel rei, super qua reus in judicio conventus est, natura excludat.

In aliquibus causis talis missio fieri nequit. 1. In *causis criminalibus*: 2. *in causis etiam civilibus*, quoties actor nihil petit, sed ab aliquo tantum vult se excusare, vel liberare: 3. *in causa matrimoniali: in causis beneficialibus*, saltem casu, quo instituitur petitorium super proprietate beneficii etc. contra possessorem ejusdem.

Ut actor mitti in possessionem possit requiritur 1. ut reus sit absens ex contumacia: 2. ut actor rei contumaciam incuset etc. 3. ut reus citetur ad actum immissionis: 4. ut post citationem reus nec ipse, nec alius loco ipsius compareat in judicio: 5. ut actor prius juramentum de calumnia praestet: 6. ut judex ante missionem, praemittat *sufficientem causae cognitionem*.

Nec in actione personali, nec in reali actor immissus in possessionem ex primo decreto, regulariter fieri potest verus possessor, sed tantum ut custos habetur.

Actor in possessionem missus ex primo decreto, intra annum consequatur veram possessionem. 1. Si *ob nimiam contumaciam rei*, judex immissionem in rem petitam decernens, exprimat in poenam nimiae contumaciae actorem in veram possessionem mitti, ut etiam fructus percipere valeat: 2. quando lite jam contestata, processum fuit in causa, et actor intentionem suam probavit semiplene tantum: 3. si statuto caveatur, ut missus ex primo decreto percipiat fructus.

Effectus primi decreti, si actio sit personalis, varii sunt. 1. Per illud missus habet et custodiam, et defensionem rerum, in quarum possessionem mittitur: 2. si turbetur in possessione, in quam missus est, intentare potest interdictum *ne vis fiat*: 3. si debitor latitet, nec satisfaciat, potest creditor sine libello petere a judice facultatem bona vendendi: 4. curare debet ut fructus colligantur et custodiantur; vel si tempore perirent, potest eosdem vendere, et pretium, quasi esset depositum suum, servare: 5. si debitor fundum, in cujus possessionem actor immissus est, negligat colere, ipse actor colere eumdem potest, aut eum locare alteri: 6. si quos fructus ex re, in cujus

possessionem missus est, ipse consumpsit, computare in sortem debet: missus primo potior est aliis postea venientibus, qui nullam habent hypothecam, nec sunt ejusdem tituli, si enim essent ejusdem tituli, omnes concurrerent eodem jure.

In actione reali missio ex primo decreto duos praecipue effectus producit, quorum *unus* est, quod pendente lite tribuat custodiam rei petitae, donec de dominio cognoscatur; *alter* quod ita missus acquirat actionem ex delicto, ne vis fiat ei.

Missio in possessionem per primum decretum fieri potest, quando, lite non contestata, ad sententiam definitivam potest perveniri.

Secundum decretum est secunda interlocutio judicis, qua judex missum in possessionem ex primo decreto verum possessorem constituit.

Effectus secundi decreti sunt, ut 1. missus in possessionem veram possessionem acquirat, et commoda possessionis: 2. ut possit praescribere: 3. ut fiat dominus aequivalenter, et virtualiter in ordine ad fructus, et commoda dominii.

Ut haec missio in possessionem legitime decerni possit, requiritur: 1. sufficiens potestas in judice: 2. debet praecedere nova accusatio contumaciae, et petitio missionis per secundum decretum: 3. necessaria est nova citatio, et nova contumacia rei citationi huic non parentis: 4. praemittenda est summaria causae cognitio.

Modus servandus in missione facienda per secundum decretum huic est - elapso anno post primum decretum, actor accedit judicem, et allegata contumacia adversarii, petit sibi bona detenta adjudicari in solutum, quo facto judex adversarium iterum citat etc.

In actionibus personalibus requiritur secundum decretum, ut mittatur actor in possessionem veram rei, non in realibus, nam in hisce, lapso tempore unius anni ab ea die, qua actor per primum decretum missus est in possessionem rei custodiae causa, si perseveret contumax non comparere, ex vi primi decreti mittitur in possessionem veram.

Annus expectandus est, regulariter inter unum et alterum decretum.

Annus pro secundo decreto definitus computatur a die primi decreti, si inter diem primi decreti, et secutae missionis intermediet tempus aliquod ex culpa rei; secus a tempore quo actor missus est in possessionem rei petitae.

Excusatur reus, si intra annum non comparuit, nec cautionem praestitit: 1. quando prohibitus fuit interveniente legitimo impedimento: 2. quando per ipsum non stetit, ut cautionem

praestaret: 3. quando ipse appellat contra processum judicis, et appellatio est rationabilis.

Si actor ex primo et secundo decreto in rei petitae, vel aliorum adversarii bonorum possessionem missus, ob hujus potentiam vel dolum, ea realiter nequeat apprehendere, detinere et possidere, ille fictione utriusque juris perinde habetur, ac si rem, vel bona in quae missus est realiter detineret etc.

Quando conventus actione personali super aliqua re dicat, se dominum illius non esse, quod eam non suo, sed alieno nomine possideat, tunc, *si ipse sit praecise detentor rei*, nominare dominum aut verum ejus possessorem debet, et statuetur ei terminus, intra quem faciet dominum comparere: *si vero ipse jus in illa re aliquod habeat*, et conveniatur *super ipsa re*, iterum nominabit dominum; et si conveniatur *super jure*, domino non nominato, suo nomine respondere tenebitur etc.

Litis pendentia inducitur ab eo tempore, quo libellus, clare in eo expressa actoris intentione, oblatus est judici competenti, et ab isto ejus insinuatio reo facta per citationem etc. Hoc procedit in actionibus realibus, nam in personalibus dubium moveri potest an requiratur contestatio litis ad effectum rei litigiosae.

Ut litis pendentiam inducere possit citatio requiritur: 1. ut haec fuerit valida, et 2. ad citatum pervenerit: 3. ut ex tenore citationis plene cognoscere citatus potuerit, qua de re futura sit controversia,

Litis pendentia, si citatio habeat omnia requisita, facit ut ab eo tempore, quo ipsa pendere incoepit; circa rem, de qua agitur, vel ejus possessionem, aut etiam circa jus quod eo tempore viguit, nihil sit innovandum sub poena revocationis etc.

Lite pendente; res aut actio litigiosa non potest alienari, vel in alium transferri; et si alienetur, retrotrahatur, aut si retrotrahi nequeat, alia ejusdem valoris in illius locum subrogetur, quae proinde, cum subrogatum assumat naturam, et conditionem rei, cui subrogatur, etiam ipsa alienari nequeat, donec lis sit decisa.

Res litigiosa, seu *vitio litigii affecta* tum dicitur, quando super ejus dominio, vel quasi, utili vel directo lis inter petitorem et possessorem versatur.

Ex pluribus causis res litigiosa alienari, et in alios transferri, potest: 1. ex causa dotis vel donationis propter nuptias: 2. ex causa transactionis, aut divisionis rerum haereditariarum: 3. per ultimam voluntatem seu viam institutionis, aut etiam lega-

Digitized by Google

ti : 4. Ex consensu collitigantis ; vel gratia principis , vel permissione judicis 5. ex alienatione facta ab aliquo tertio , cui ea cum collitigante est judicata : 6. si ab ipso collitigante alienetur , et obligetur in eum casum , quo litigiosa esse desinit : 7. si , pendente lite , adversarium injuste et calumniose agere , ipsi autem alienanti jus competere evidenter constet : 8. si alienatio fiat pro salutione funeris , pro solutione debiti , pro cibariis familiae etc.

Quoad paenam alienantium rem litigiosam , si is , qui hanc emptione , vel alio modo comparavit , *sciverit* rem esse litigiosam ; contractus vel alienatio non tenet , lis tamen procedet , et emptor perdet pretium , venditor vero de suo dabit tantumdem , et utraque quantitas applicabitur fisco : si vero *ignoraverit* , pretium a venditore recuperabit , atque insuper tertiam partem aestimationis rei ab eodem recipiet ob dolum et sui deceptionem; duae autem partes reliquae cedent fisco.

Possessio , lite pendente , immutari non debet , sed potest possessor , etiam dum lis pendens est , uti possessione sua , ut prius etc.

Quando agitur de divortio ob adulterium , vel impedimentum dirimens , pendente lite , non debet conjugem a conjuge altero separari *authoritate judicis* , vel privari commodo possessionis juris conjugalis , sive carnali commercio , donec de crimine adulterii , vel impedimento legitime probatum sit , et lis decidatur. Hoc procedit quoad judicem , non vero etiam quoad partes , seu ipsos conjuges.

Casu , quo duo in discordia electi ad idem beneficium , vel praelaturam , super electione inter se litigant , et pendente lite unus moritur , vel renuntiat electioni , lite super jus superstitis nondum decisa , procedi nequit ad aliam electionem.

Lite pendente , in praejudicium alterius collitigantis nequit impetrari rescriptum , vel privilegium , ita ut si princeps illud motu proprio dedisset, invalidum aestimatur, quia praesumitur ipse in praejudicium alterius nolle privilegium concedere.

Litis pendentia cessat : 1. *per sententiam definitivam : 2. per cessionem , vel renuntiationem expressam ipsius actionis , vel causae : 3. per cessionem , vel renuntiationem etiam tacitam , et implicitam : 4. per mortem utriusque litigantis : 5. per lapsum temporis :* 6. per desertionem *: 7. per negligentiam litigantium :* 8. *voluntate* , sive *authoritate papae :* 9. denique *iis modis , quibus lis aut omnino finitur , aut notorie nulla est.*

Sequestratio sive *sequestrum* est rei controversiae, vel fructuum ejus,

Digitized by Google

consensu partium, vel authoritate judicis apud tertium facta depositio.

Differt a *deposito* etc.

Duplex est *voluntaria* et *necessaria*. Voluntaria, quae etiam conventionalis dicitur, est quae fit consensu utriusque partis litigantis. Necessaria, seu *involuntaria* et *judicialis* est, quae fit authoritate, sive mandato judicis, invita vel utraque, vel saltem alterutra parte litigante.

Sequestratio *voluntaria* generaliter permissa est, *necessaria* vero ordinarie et generaliter est prohibita.

Sequester est tertia quaedem persona, apud quam plures, nempe actor et reus, eamdem rem de qua controversia est, sive mutuo consensu, sive praecepto judicis custodiendam, et lite finita victori restituendam deponunt.

Potest esse sequester quicumque fidelem rei sequestratae custodiam, et diligentem curam habiturus existimatur.

Nemo cogi potest esse sequester.

Qui sequestrum recepit, illud postea recusare nequit propria authoritate, sed tantum authoritate judicis, et ex causa justa.

Sequestrari possunt res quae sub controversiam et custodiam cadunt, mobiles et immobiles, corporales et incorporales, spirituales et profanae. Hoc extenditur 1. ad personam liberam, 2. causas beneficiales.

Plura requiruntur, ut sequestratio beneficii fieri possit. 1. *Necesse est ut contra possessorem beneficii sit lata, et promulgata sententia definitiva pro petitore*: 2. *ut lata sit super ipso beneficio, et apud sedem apostolicam*: 3. *Ut lata sit in curia romana*: 4. *ut is cui per sequestrationem adimitur beneficium controversum, per triennium pacifice illud noudum possederit. ut sequestratio eo casu fiat per ordinarium loci, et non per judicem litis*: 6. *ut constitutus sequester sit persona idonea.*

Plures sunt casus, quibus fieri sequestratio potest. 1. Si actor fructus rei, in cujus possessionem ex primo decreto missus est, pro arbitrio suo distrahat et dissipet: 2. si timor sit, ne res interea dilapidetur, aut pereat, lite pendente: 3. si reus, postquam condemnatus est per sententiam definitivam ad cedendam actori petitam rei possessionem, appellaverit a sententia contra se lata, et interim pendente appellatione fructus dissipet: 4. si periculum sit, ne dum utraque pars contendit se possidere, ad arma veniatur, et vi possessionem occupare velit: 5. si periculum sit in mora: 6. si aliquis sit obligatus ad aliquid non praestet: 7. si jura partium sint obscura, incerta, et inaequalia: 8.

Digitized by Google

si reus contumax, et missioni ex primo decreto in possessionem bonorum illius locus non est propter periculum peccati, scandali, intrusionis etc.: 9. si maritus vergat ad inopiam vel periculum sit ne dotem dilapidet: 10. si praesumptio sit contra possessorem, quod litiget causa differentis judicii, ut interim capiat fructus.

Circa sequestrationem *voluntariam* nil aliud requiritur, quia legitime facta sit, quam ut partes mutuo consensu rem controversam apud tertium deponant, ea lege, ut interim illam custodiat, ac finita lite victori reddat.

Circa sequestrationem *necessariam* plura requiruntur. 1. opus est ut ad eam videndam citetur is, in cujus praejudicium illa tendit: 2. ut is qui sequestrationem fieri postulat, faciat judici fidem de credito, seu jure suo: 3. ut petens sequestrationem notum faciat judici, et ostendat periculum aliquod subesse ne res consumatur etc. 4. ut judex citatis et auditis partibus, cognitionem causae adhibeat, et accurate dispiciat, an jus actoris saltem summarie sit probatum: 5. ut pars, quae sequestrationem petit, juramentum calumniae deponat etc.

Tres sunt effectus sequestrationis. 1. Nonnunquam possessio rei sequestratae transfertur in sequestrum: 2. inducit obligationem, aliam in sequestro, et aliam in victore: 3. ex sequestro oritur actio depositi sequestraria, directa et contraria.

Sequester castri, quod jus patronatus, vel praelaturae, aut dignitatis, quae jus eligendi, vel conferendi beneficium ecclesiasticum sibi annexum habet, potest, lite et sequestratione pendente, eligere vel praesentare clericos ad beneficium vacans.

Tollitur sequestrum 1. lite finita; 2. si is, cujus res in sequestrum data est, sufficientem cautionem de rebus servandis praestiterit: 3. si sequester velit deponere officium: 4. conditione existente sub qua sequestratio fuit concessa: 5. morte sequestris: 6. si loco missionis in possessionem sequestratio decreta sit in contumaciam, et hinc contumax cautionem offerat de sistendo in judicio, et expensas praestet etc.

Si sequestratio pecuniae, fructuum, vel alterius rei a judice fuerit juste et rite facta, pars autem sequestrationem patiens aliunde non habeat, unde se sustentare, et litis expensas possit solvere, ei lite pendente sumptus ad litem, et necessaria alimenta ex re litigiosa sequestrata suppeditari debent.

Sequestrationi affinis est *arrestatio*, quae est personae vel alicujus rei detentio securitatis gratia facta ad hoc ne, rebus nedum cum creditore compositis, moveatur loco.

Digitized by Google

Arrestatio fieri potest *authoritate privata* et *publica*. *Authoritate privata*, quando fit ex conventione partium, vel ex propria solum creditoris voluntate; authoritate publica quando fit per loci magistratum ad instantiam partis, vel ex officio.

Relaxatur arrestatio 1. si arrestatus satisfaciat creditori: 2. si cedat bonis suis 3. si cautionem idoneam praestet de stando juri in loco arresti, et judicato solvendo: 4. si arrestatio absque requisitis substantialibus, et sufficiente causa decreta fuerit a judice: 5. si causa, ob quam creditor fecit arrestari debitorem, est vera ex parte, sed non ex toto.

Confessio est *ejus quod ab adversario intenditur, in jure vel extra illud facta asseveratio.*

Dividitur in *discretam* et *indiscretam*, in *simplicem* et *qualificatam*, in *expressam* ac *tacitam*, in *judicialem* et *extrajudicialem*.

Discreta fit cum expressione causae, ex qua orta est obligatio.

Indiscreta quae generice tantum, absque mentione causae fit.

Simplex quando quis adversarii intentionem confitetur sine adjecta qualitate restringente.

Qualificata quando adjicitur aliqua conditio et qualitas.

Expressa et vera, quae fit verbis, scriptura vel aliis hujusmodi signis.

Tacita sive quasi confessio, quae ex aliquo facto elicitur, vel a lege intervenisse fingitur.

Judicialis denique quae fit in jure.

Extrajudicialis quae extra judicium emittitur.

Ut intelligatur an reus in judicio interrogatus de crimine respondere teneatur; distinguendum est an constet, 1. quod judex non interroget legitime, vel 2. constat quod interroget legitime; vel 3. dubium est an interroget legitime, nec ne. In *primo* et *tertio* casu respondetur *non teneri*; in *secundo* dubitatur, sed melior est sententia *affirmantium.*

Judex *regulariter* et *ordinarie* non potest interrogare reum de sociis criminis.

Enumerantur casus in quibus potest interrogare, ut in criminibus quae cedunt in perturbationem et labefactationem reipubblicae, in criminibus occultis; in iis quae sine socio committi non possunt etc.

Judex debet non *in specie* sed in *genere* reum interrogare, ne videatur *suggerere*. Debet experiri sontem in tortura; debet eum juramento adstringere.

Requiritur etiam ut denuntians non habuerit inimicitias contra denuntiatum; ut perseveret in suis denuntiationibus; ut denuntiatio rei suffulta sit aliis conjecturis.

Ut confessio judicialis *universim* locum habeat, et praejudicet con-

fitenti plura requiruntur, quae in duobus versiculis compleeti possunt.

Major, sponte, sciens, contra se, est jus ubi, et hostis.
Certum; lisque, favor, jus, nec natura repugnet.

Hoc est, requiritur ut Confitens sit aetate *major*; ut emittat confessionem *libere* atque *sponte*; ut *sciens* hoc est ex *certa scientia* loquatur; ut confiteatur *contra seipsum;* ut fiat *ubi jus est*, scilicet coram judice competente; ut fiat praesente adversario, qui reis hostis habetur; Confessio itidem debet esse *certa* ac *determinata* nec illi obstet *lis hoc est locus liti statutus; nec favor,* hoc est ne reus in sui ipsius favorem denunciet; denique ne *jus*, aut *rerum natura* confessioni repugnet; ut si ex. gr. aliquis diceret se occidisse hominem qui adhuc vivit.

Dubium est an confessio judicialis requirat *sententiam definitivam judicis:* Verior tamen habetur sententia eorum qui distinguunt *causas civiles* a *criminalibus*; In criminalibus ajunt *requir-* contra confessum sententiam definitivam, in civilibus *non requiri*; maxime si confessio locum habeat ante *litis contestationem.*

Effectus confessionis *judicialis* varii sunt.

1.° Habetur ploenissima probatio, ita ut superet omnes alias probationes factas per testes et instrumenta in favorem confitentis contrarium.

2.° Inducit notorium, atque ita appellationi viam praecludit.

3.° Tollit praesumptionem juris et de jure, quia propria confessio fortissimam pro se praesumptionem veritatis habet.

4.° Locum invenit etiam post conclusionem in causa.

5.° Sanat omnes defectus processus.

6.° Facit ut res judicata retractetur.

7.° Aequiparatur rei judicatae.

Quaeritur qui sint effectus confessionis *extrajudicialis*?

Distinguendum inter confessionem quae fit in causis *civilibus*, et eam, quae fit in causis *criminalibus.*

Si causa sit civilis distinguendum iterum an ejusmodi confessio tendat ad *liberandum debitorem*, an vero tendat ad *obligandum confitentem.*

Si primum e. g. quando dico: *Confiteor te mihi non teneri*, confessio talis operatur plene effectum liberationis, modo sit ab adversario acceptata.

Si secundum e. g. quando dico: *Confiteor me tibi teneri*, interdum plene, interdum semiplene, interdum nihil omnino probat: *Plene probat,* si sit discreta hoc est adjecta causa spe-

cialiter expressa, ut *confiteor me debere centum Titio ex causa accepti mutui*, *Excipe*, nisi ex circumstantiis appareat contrarium.

Semiplene probat, si discreta quidem sit, sed fiat absente adversario, vel si praesente quidem adversario fiat, sed discreta non sit et causam non exprimat.

Nihil omnino probat si sit indiscreta, et fiat absente adversario.

Si causa sit criminalis distinguendum est an confessio sit contra ipsum confitentem, an vero contra alium tertium.

Si contra ipsum confitentem facta sit, aliquando facit indicium sufficiens ad torturam.

Si vero facta sit contra Tertium solum inducit praesumptionem aliquam.

Scientia, quae ex sacramento confessionis quomodocumque obtinetur, non est applicabilis ad ullum humanum usum. Immo nec scheda quidem, qua peccata confitentis forte inveniantur, in judicium produci nullo modo potest.

Confessio *qualificata* debet acceptari a judice, qualis a reo emittitur; nisi praesumptio juris obstet; hoc est dubitare faciat reum circumstantias facti attenuantes sua mente confinxisse; ut si quis scilicet dicat se hominem occidisse, sed ad *defensionem propriam*. Haec *qualitas* non creditur nisi probetur.

Confessio emissa in *ultimo vitae articulo*, dummodo in tertii praejudicium non redundet, semper facit probationem.

Ex denunciatione *sociorum criminis* a reo facta judex poterit ex officio inquirere in ipsos socios, si denunciatio sit adminiculata aliquo indicio verisimili.

Confessio *procuratoris* tunc solum nocet domino antecessoris praelati successori, cum fuerit a legitima auctoritate interrogatus.

Cum *positionibus* adversarii quis respondere recuset, tunc solum pro *confesso* habetur, si causa *civilis* sit; non vero si *criminalis*.

Qui crimen in judicio *incidenter* est confessus non potest, juxta canones, coerceri poena ordinaria.

Probatio est rei dubiae, seu controversae per legitima argumenta facta ostensio. » Debet autem esse

1.° Perspicua et certa.

2.° Fieri debet secundum formam libelli.

3.° Non debet fieri in transcursu, sed citata ad ejus receptionem adversa parte.

4.° Institui debet post litem contestatam.

5.° Fieri debet intra terminum a judice assignatum.
6.° Post pubblicata testimonia non est admittenda alia probatio super iisdem articulis.
7.° In probando servandus est ordo.
8.° Denique acta judicii, et sententia lata debet excipi in scripto a notario.

Probatio vel est *artificialis*, quae arte et industria probantis efficitur per argumenta et ex ipsis rei visceribus.

Inartificialis est, quae non visceribus rei, sed ex locis extrinsecis assumitur, ut a testibus, juramento etc.

Judicialis, quae in judicio post contestationem litis, et *Extrajudicialis*, quae extra litem fit.

Dividitur etiam communis probatio in *plenam* et *semiplenam*.

Plena illa dicitur quae plenam fidem facit judici de re in judicium deducta, et ita eumdem in causa instruit ut nullo alio ulterius requisito, sententiam ferre possit. Ut ex, gr. *duo testes*, *instrumentum publicum*, *praesumptio juris*, *et de jure*, etc.

Semiplena probatio est, quae non sufficit ad ferendam sententiam; ut ex. gr. *depositio unius testis*, scriptura privata etc.

Inspectio ocularis est probatio latius accepta, qua judici de re dubia, vel facto controverso fides conciliatur per ipsam rei intuitionem.

Generaliter is *probare* debet, qui affirmat in judicio rem dubiam, nec habet pro se praesumptionem juris.

Si causa ad alium judicem devolvatur, debent ad hunc secundum judicem remitti acta processus, et judicii prioris.

Confines, seu *limites* dioecesium, parochiarum, et aliorum locorum probari possunt
1.° per libros et scripturas antiquas
2.° per monumenta vetera
3.° per testes
4.° per famam publicam.
5.° Denique per praesumptiones, conjecturas et indicia.

Filiatio pluribus modis probari potest:
1.° Et primo quidem, si quis natus sit ab uxore in domo mariti cum ea cohabitantis et potentis generare; tunc semper praesumitur ipsius filius esse; ita ut non admittatur ulla in contrarium probatio.
2.° Siquis ab aliquo *filius*, appellatus, ut filius habitus, educatus et tractatus sit.
3.° Ex communi fama, et opinione, praesertim domesticorum, consanguineorum, ac vicinorum.

4.° Ex civitatis vel oppidi actis. Si mulier juramento asseverat se virginem esse, vir autem juramento affirmat eam se cognovisse; decidendum pro uxore est.

Testes sunt personae, quae de re, aut de facto aliquo dubio et controverso legitime evocatae testimonium dicunt.

Requisita testium duobus hisce sequentibus versibus continentur.

Conditio, sexus, aetas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requires.

Et particulariter loquendo ab attestatione removentur.

1.° Servi
2.° Infames
3.° Criminosi
4.° Cui grave crimen objicitur
5.° Perjuri
6.° Excomunicati
7.° Personae valde pauperes

Et hi absolute removentur; nonnulli vero relative; ex. gr.

1.° Parentes pro liberis, liberi pro parentibus
2.° *Fratres*, et *consanguinei*, imo etiam *affines* cum mutuo deponunt.
3.° Conjuges pro se invicem
4.° Domestici in causis dominorum.
5.° Subditi et vassalli in causa principis.
6.° Inimicus adversus suum inimicum.
7.° *Judaei*, pagani, haeretici contra christianos et hortodoxos.
8.° Laicus contra clericum in causa criminali criminaliter intentata.
9.° Minor 20 annis in causa criminali.
10.° Clerici et religiosi de causa sanguinis.
11.° Foemina in foro ecclesiastico testis esse non potest in causa criminali criminaliter intentata.
12.° In causis universitatis ii, qui sunt de corpore universitatis.
13.° Nemo in causa propria.
14.° Haeres in illo testamento, in quo ipse constituitur haeres.
15.° Judex in causa quam judicat, vel judicavit.
16.° Actor in causa, quam ipsemet agit.
17.° Procurator, vel advocatus in causa quam procurat.
18.° Mediator in negotio, in quo fuit mediator.
19.° Fidejussor, in qua fidejussit contra creditorem debitoris pro quo fidejussit.
20.° *Venditor* pro emptore, *donator* pro donatario; *cedens* pro cessionario, quia tenentur de evictione.

21.° Socius sive omnium bonorum, sive partis tantum pro socio; quia ad sui utilitatem deponeret.

22.° Denique omnes illi, qui ex testimonio ferendo commodum, aut si non testificentur, damnum laturi sint, nisi illud sit modicum, quo in casu pejeraturi ob illud non praesumuntur.

Ordinarie sufficiunt duo testes omni exceptione majores ad probationem conficiendam.

Aliquoties tamen duo testes non sufficiunt; et ex. gr. in testamentis, in causa matrimonii propter impotentiam dissolvendi etc.

Aliquoties singularis etiam testis admittitur; ut in causis, quae in nullius praejudicium, sed in alicujus, vel aliquorum favorem cedunt, ut cum quaeritur, an ecclesia aliqua sit consecrata, an moribundus petierit confessarium etc.

Testis qui non citatus a judice in judicium venit ad testimonium perhibendum ordinarie non attenditur.

Non est procedendum ad receptionem testium, nisi lite contestata; et citationes praecesserint.

Productio testium debet fieri sumptibus producentis.

Variis solemnitatibus judex ad juramentum testium procedit.

Juramentum, partium consensu, remitti posse communiter Doctores affirmant.

Testes examinandi sunt non solum super negotio, seu causa principali, sed etiam de ratione, seu causa scientiae; adeoque simplici dicto testis non statur, nisi etiam reddat rationem sui dicti.

Examinandi etiam sunt de fama et relatione aliorum, ipsorumque testium credulitate, vel certitudine num credant, vel certi sint rem gestam esse.

Judex committere potest alteri examen testium in causis civilibus, non autem ordinarie in causis criminalibus.

Quinque requiruntur in depositione testium.

1.° Ut viva voce ad interrogantis quaesitum deponant.

2.° Ut depositio sit conformis articulo.

3.° Ut sit clara, et perspicua, non incerta et ambigua.

4.° Ut testis deponens det causam sufficientem sui dicti.

5.° Denique requiritur, ut depositio sit constans, et non vacillans, nec varia et sibi contraria.

Testis censetur sufficientem dicti sui causam reddidisse, si asserat se visu, auditu, vel alio sensu percepisse de quo interrogatur.

Cum testes allati ab actore, et ii adducti a reo sibi ipsis contrarii sunt, ceteris paribus, fides potius habenda est deponentibus pro reo; quia istius causa est favorabilior.

Digitized by Google

Praescribuntur variae formulae publicationis attestationum ; ut ex. gr. 1. Citari partes ad videndum testimonia publicari ; 2. post has citationes dandae sunt copiae earundem attestationum partibus etc.

Attestationes in uno judicio receptae, ordinarie non faciunt fidem in alio judicio.

Post publicatas attestationes an liceat producere testes vel eosdem, vel novos super articulis iisdem vel novis, quanquam DD. dissentiant, tamen dicendum est regulariter alios vel eosdem testes super iisdem vel directe contrariis articulis produci non posse.

Post publicationem attestationum contra *personas* testium exceptiones opponi non possunt.

Triplicis generis fieri possunt exceptiones contra testes; vel contra eorum *personas*, vel contra illorum *examen*, vel contra ipsorum *dicta*.

De primo capite dictum est supra.

De altero capite; hoc est contra examen testium pluribus modis potest excipi.

1.° Quod a judice incompetenti sint examinati e. gr. clericus a judice soeculari sive permissu superioris.

2.° Quod testes producti et recepti sint ante contestationem litis; intellige si sine justa causa hoc factum sit.

3.° Quod recepti sint adversa parte non citata.

4.° Quod non juraverint de dicenda veritate.

5.° Quod admissi sint ad testificandum post trinam productionem sine solemnitate legali.

6.° Quod recepti post elapsas dilationes ad probandum concessas.

7.° Post renunciationem probationum factam a partibus.

8.° Post conclusionem in causa.

9.° Quod non secreto, sed omnes simul testimonium dixerint.

Contra dicta testium varia rursum opponi possunt.

1.° Quod testis deponens non reddiderit rationem sui dicti idoneam.

2.° Quod vacillet et variet.

3.° Quod dubitative, vel obscure et confuse testimonium dixerit.

4.° Quod dicta illius, vel illorum inter se sint contraria, vel diversa.

5.° Quod deponant sub eadem forma verborum; quia praemeditatum sermonem afferre videntur.

6.° Quod depositio illorum sit negativa, non coarctata ad locum

Digitized by Google

et tempus, licet facile sit coarctabilis; nam testis ita deponens suspectus est de falsitate.

7.° Quod deponat et dicat inverisimilia etc.

Nemo potest reprobare testes a se productos; et hoc procedit, sive sit in eodem, sive in diverso judicio.

Testes possunt compelli a judice ad ferendum testimonium, si vocati et rogati ferre testimonium renuant, nec causam, quae ipsos excuset, afferant.

Coguntur autem vel jure civili *multa pecuniaria*, *captis pignoribus* ad exemplum tutorum et curatorum satis dare nolentium; aliquando etiam per *confiscationem* bonorum, et *bannum*.

Jure canonico, ante coactionem, testis renuens admonendus est etiam graviter; tum demum compellitur per *censuras ecclesiasticas*.

Non omnes qui compelli possunt ad testimonium ferendum, possunt cogi ut testimonium ferant coram judice in loco judicii; quales sunt.

1.° privilegiati ob senium
2.° paupertate depressi
3.° longe distantes
4.° milites.
5.° personae egregiae
6.° Quod et de doctoribus sentiendum.

Clerici et religiosi, etiamsi a judice ecclesiastico compelli possunt, nequeunt tamen adstringi a *judice laico*.

Instrumentum publicum communiter definitur esse illud, *quod publica auctoritate factum, atque firmatum est.*

Ex persona notarii, ut instrumentum ab eo confectum pro legitimo haberi debeat, requiritur,

1.° Ut creatus sit ab aliquo habente potestatem.
2.° Ut sit juris peritus, etsi non sit necessarium ut sit doctor.
3.° Ut nullo laboret impedimento quod ipsum prohibeat ab executione officii sui: tale impedimentum foret, si esset excommunicatus vitandus.
4.° Ut sit rogatus a partibus ad conficiendum instrumentum.

Notarius vero conficere instrumenta potest in omni qualicunque negotio, quod ab homine, vel inter homines gestum est, quod licitum est, atque a voluntate humana dependens.

Instrumentum notarii in uno loco confectum, ubi publicum et authenticum est, pro tali habendum etiam alibi, quemadmodum contractus in uno loco secundum leges, et consuetudines particulares illius loci celebratus, ubique legitimus reputatur,

Digitized by Google

Notarius vero prohibetur conficere instrumentum extra territorium constituentis.

Etiamsi notarius fecerit instrumentum falsum, tamen instrumenta post illud rite confecta, nihil impedit quia valida sint.

Requisita formae instrumentorum varia sunt.

1.° Instrumentum debet nitide conscribi, et absque ulla contractione, abbreviationibus, et ut ajunt zifferis.

2.° Adjungitur locus celebrati negotii; isque non generalis tantum, sed specialis quoque, nempe in qua civitate vel pago etc.

3.° Factum, seu negotium, sincere, fideliter et integre describi in instrumento debet.

4.° Notarius debet etiam suum nomen subscribere, atque sigillum apponere.

Instrumentum publicum si confectum sit a notario in forma debita, etiam absque alio adminiculo facit plenam fidem de eo quod dispositive continet, non solum pro proferente, sed etiam contra, et hoc tandiu donec probetur contrarium.

Protocollum, ex quo solemne instrumentum extractum est, habet eamdem vim, quam ipsum originale, seu solemne instrumentum.

Exempla, seu copiae, publicorum instrumentorum quando authoritate publici notarii firmentur, plenam fidem merentur.

Instrumentum, seu scriptura *privata* authentica describi potest, quod sit *scriptura privata quidem, testium tamen subscriptione aut sigillo, eoque recognito et approbato, aut alio legitimo modo munita.*

Plures illorum sunt species.

1.° Acta judicialia.

2.° Scripturae privati manu confectae, sed trium et aliquando duorum testium adhuc viventium, et suam manum recognoscentium subscriptione corroboratae.

3.° Matriculae et libri censualis, in quibus descripta est aestimatio bonorum etc.

4.° Libri parochiales.

5.° Collegiorum, et opificum.

Acta judicialia; si debito modo confecta sint, plenam fidem faciunt, quod etiam de aliis scripturae speciebus dicendum est, dummodo nullo vitio laborent.

Scripturarum privatarum quae authenticitatem non habent, plures sunt species.

1.° *Apocha*, quae est cautio scripta solutionis factae, et ejus probandae causa data debitori a creditore, vocari etiam solet, *securitas*, et *quietantia.*

Digitized by Google

2.° *Antapocha* est cautio scripta, quae a debitore solvente censum, pensionem, vel redditus annuos datur creditori, ut hic inde probari possit talem pecuniam sibi pro censu, pensione annua solutum fuisse.

3.° *Syngrapba* est schedula scripta vel subscripta manu propria contrahentium in ipsius contractus, seu conventionis fidem.

4.° *Chirographum* est scriptura privata alicujus manu subscripta tradita alicui ad alicujus rei gestae fidem, solcique dari pro quocunque negotio ad probationem debiti.

Instrumenta privata ab ipso scribente producta, nisi testium subscriptione, sigillo, vel alio adminiculo munitae sint, *pro scribente* ordinarie nihil probant.

Contra scribentem, si debiti causam expressam habet, et a scribente sit recognita, regulariter loquendo vim plenam probandi habet.

Pro alio tertio aut *contra* alium tertium scriptura privata publico sigillo, aut alio adminiculo destituta *regulariter* vim probandi non habet, nisi ab illo tertio sit mandata aut subscripta.

Libri autem mercatorum, libri censuales dominorum, et regestra seu inventaria privata possunt, imo in foro habent vim probationis.

Probat idem liber rationum a sociis, vel uno sociorum a ceteris ad hoc approbato scriptus.

Literae cambii, si materia hoc patiatur, et loquantur dispositive, non tantum probationem quam obligationem inducunt.

Instrumenta produci debent post litem contestatam, atque ad conclusionem in causa.

Aliquoties pars parti edere debet instrumentum, quod si non integrum ostendi juvat tradendum est judici, ut coram a in parte adversa legatur.

Actor qui fundat intentionem suam super instrumento, quod quidem dicit se amisisse, adducit tamen testes qui attestantur super instrumenti tenore, audiendus est, si testes non tantum deponant super instrumenti tenore, sed etiam de ipso facto.

Amissio instrumenti, generatim non praejudicat creditori, quin adhuc petere debitum, illudque aliis legitimis modis probare possit.

Si periculum sit ne instrumentum corrumpatur, aut vetustate corruat, potest illud innovari.

Stricta interpretatio adhibenda est in instrumentis, nam stricti sunt juris.

Instrumenta pluribus modis impugnari possunt.

1.° Ratione *causae efficientis*, quod factum sit ab eo, qui non fuit notarius, vel etiam esse non potuit.

2.° Ratione *causae materialis*, quod factum sit super negotio, de quo non potuit confici instrumentum, etc. quia res illicita est.

3.° Ratione *causae formalis*, quod non habeat illas solemnitates, quas supra enumeravimus.

4.° Ratione *productionis*, et *publicationis*, quod non sit debite productum et publicatum.

Porro falsitas probari potest.

1.° Ex *contrarietate*, si vel idem instrumentum repugnantia complectatur.

2.° Ex *sigillo* quod sit adulterinum vel furtivum.

3.° Ex *depositione testium* deponentium contra instrumentum productum.

4.° Ex aliis *conjecturis*, ex charta videlicet, papyro, atramento, et characteribus etc.

Rasura, litura, aut cancellatio suspectum de falsitate instrumentum facit si in parte substantiali id factum sit.

Si instrumentum in parte aliqua falsitatem continere probetur, totum corruit, si falsitas reperitur in articulo connexo cum aliis, eoque tali ut attingat substantialia instrumenti.

Simulatum instrumentum dicitur, quando aliud inter partes agitur, aliud scribitur. Differt a falso, quia falsum committitur de voluntate unius contrahentis, simulatum vero utriusque consensu.

Praesumptio definitur - conjectura, seu judicium ex aliquo signo, vel indicio verisimili orta, et probationis loco allegata, aut a judice assumpta ad adstruendam rei dubiae fidem.

Indicium est - notabile signum alicujus delicti, vel alterius rei, de qua dubitetur cognoscendam inserviens - differt itaque praesumptio ab indicio, quod indicium sit ipsum signum unum, vel plura, ex quibus tanquam ex causa, oritur praesumptio.

Fictio juris = indubitatae falsitatis assumptio in casu possibili, et ex justa causa ad inducendum aliquem effectum juris, aequitati naturali non repugnantem. Differt autem a praesumptione pluribus rationibus.

1.° Fictio fingit vera esse, quae vera non sunt, ideoque nunquam convenit cum veritate; praesumptio autem versatur circam rem dubiam, quae scilicet esse, vel non esse potest, et saepe convenit cum veritate.

2.° Fictioni non obest veritas contraria cognita; praesumptio vero tollitur, si de contraria veritate constet.

3.° Fictio juris nunquam infirmari potest per probationem con-

trarii, cum ultro concedatur contrarium esse verum; at vero praesumptio (si non sit juris et de jure) per contrariam probationem infirmari potest etc.

Praesumptio hominis est = conjectura nullo jure expressa aut firmata, sed quam concipit homo, ex facti qualitate, et circumstantiis aliquid conjicendo, et assumendo pro vera, donec aliud demonstretur ac doceatur.

Praesumptio juris est quae legibus est expressa id est quando suppositis certis circumstantiis, lex vel canon aliquid conjicit.

Praesumptio juris et de jure, cum lex vel canon ita aliquid praesumit ut super tali prasumptione jus firmum statuat, eamque praesumptionem ita pro vero haberi velit, ut regulariter probationem in contrarium non admittat.

Effectus praesumptionis *juris tantum* diversus est ab effectu, quem producit praesumptio juris et de jure. Etenim praesumptio *juris tantum* eum, pro quo stat, liberat probandi necessitate, eamque transfert in adversarium, qui nisi contrarium probet, intentio alterius, habetur pro veritate, tamen minus efficax est quam probatio *juris et de jure*, quae non admittit probationem in contrarium.

Nonnullae regulae praesumptionis adnotari possunt; scilicet

Praesumptiones violentae non oriuntur nisi ex violentis, et vehementibus conjecturis; et universim, quando actus non potest directe probari per visum vel alium sensum immediatum et proprium, tunc sufficit si testes deponant super actibus.

Praesumptiones non violentae ducuntur ex communiter contingentibus; ut ex gr. quia delicta communiter junguntur dolo, in dubio semper praesumitur dolus.

Quaelibet res praesumitur adhuc talis esse, nisi probetur mutatio, ut ex gr. quisquis homo praesumitur liber, nisi probetur servus, cum a natura quilibet liber sit.

Item qualitas, quae naturaliter inest homini; semper adesse praesumitur.

Item facta, de quibus dubium est, quo animo facta sint, in meliorem partem interpretari debemus.

Item quilibet praesumitur bonus, nisi probetur malus.

Concurrentibus pluribus praesumptionibus, quae inter se pugnant, fortiores praevalent debilioribus.

Jusjurandum definitur invocatio divini nominis in testimonium vel ad fidem faciendam dicto.

Rite praestari debet juramentum, scilicet *in veritate*, *in judicio, et in justitia*. Ad *primum* satisfacit qui deum assumit in testem veri; ad *secundum* qui non temere et inconsiderate jurat; ad *tertium*,

Digitized by Google

quando juramentum est promissorium, si eo promittitur quod justum et honestum sit.

Juramentum permissum est omnibus usu rationis praeditis. Excipiuntur tamen.

1.° Impuberes
2.° Perjuri
3.° Non jejuni
4.° Clerici, qui ex levi causa prohibeutur.

Duplex est jusjurandum *Assertorium*, quo asseritur veritas rei praesentis vel praeteritae; *promissorium* quo promittitur aliquod in futurum.

Dividitur etiam jusjurandum in voluntarium, judiciale, et necessarium.

Juramentum *voluntarium* est illud quod ex conventione pars parti extra judicium defert sub ea conditione, quod velit ab ulteriori processu abstinere, et juramento stare, si pars cui delatum est, illud praestiterit.

Deferri autem juramentum voluntarium potest *ab eo* qui potest pacisci, et libere de re controversa disponere.

Deferri autem potest *illi* qui ex conventione aut exceptionem sibi vel aliis actionem aut exceptionem quaerere potest, sine ullo discrimine aut sexus, aut aetatis, aut conditionis.

In omni vero controversia juramentum voluntarium deferri potest, excepta causa matrimonii, quod contractum sit, ac dissolvi curetur.

Ut *legitime* praestetur juramentum voluntarium necesse est 1. ut praestetur alio deferente; 2. ut praestetur extra judicium; 3. et praestetur eo modo, sub quo delatum est.

Revocari autem potest juramentum voluntarium usque dum is, cui delatum est, illud praestiterit.

Duplex est effectus juramenti voluutarii, alius proximus, alius remotus.

Proximus est decisio rei vel causae inter partes controversae.

Remotus est actio in factum et exceptio juratoria.

Juramentum voluntarium, etium detecto perjurio non potest retractari et rescindi, ut verior sententia DD. fert.

Juramentum *judiciale* est quod approbante judice, pars parti in judicio defert ea lege, ut si jurare ausit, absque ulteriori processu victoriam obtineat.

Actor, si nihil omnino probaverit, nec praesumptionem aliquam per se habeat, non potest reo juramentum judiciale deferre cum effectu, ut hic teneatur praestare, vel referre aut solvere.

In omnibus generaliter causis juramentum judiciale deferri potest, excipe tamen.

1.° In facto alieno.

2.° In actione famosa, seu infami.

Ut legitime deferatur juramentum judiciale requiritur.

1.° Ut deferens habeat potestatem illud deferendi.

2.° Ut deferatur coram competente judice.

3.° Ut Judex authoritate sua delatum approbet.

Effectus juramenti judicialis alius est, quando delatum, alius quando praestitum.

Delati effectus est, quod debeat praestari vel referri secundum dicta:

Praestiti effectus plures sunt.

1.° Ex juramento isto datur actio et exceptio.

2.° Ejus praestatio cedit pro probatione.

3.° Tandem sequitur sententia condemnatoria, vel absolutoria judicis etc.

Juramentum judiciale semel delatum et acceptatum a deferente revocari non potest.

Juramentum *necessarium* est quod judex, causa cognita, ob inopiam probationis plenae uni ex litigantibus defert.

Deferri potest necessarium juramentum a judice ordinario tam quam delegato.

Cui deferri debeat hoc jusjurandum judicis arbitrio relinquendum est, qui modo actori, modo reo, prout rerum adjuncta expostulant, defert.

In quavis causa, generaliter loquendo, a judice deferri potest jusjurandum necessarium; excipiuntur tamen.

1.° Causae criminales criminaliter intentatae.

2.° Causae omnes famosae·

3.° Causae civiles etiam non famosae, sed valde arduae, et magnae quae causis crimalibus aequiparantur.

4.° Causae matrimoniales

Excipiuntur denique omnes illae causae, in quibus lex, vel statutum requirit legitimas, indubitatas et plenas probationes.

Ut juramentum hoc legitime deferatur requiritur.

1..° Ut a judice deferatur praevia cognitione causae.

2.° Altera parte praesenti, aut saltem citata.

3.° Ut deferatur illi, qui veram scientiam rei habet.

4.° Ut is, cui defertur, sit persona honesta, et bonae vitae.

5.° Ut sit semiplene probatum.

6.° Ut deferatur ante conclusionem in causa.

Effectus juramenti necessarii duplex est, prout duplex juramentum

prout duplex juramentum est, *purgatorium* scilicet et *suppletorium*.

Purgatorii effectus est purgatio suspicionis-

Suppletorii, quod purgationem imperfectam integret.

Juramentum *in litem* dicitur illud, quo lis, seu res, de qua in judicio agitur, aestimatur.

Triplex dividitur, videlicet in juramentum verae aestimationis, juramentum affectionis, et juramentum super interesse singulari, seu extra rem.

Juramentum *vere aestimationis*, seu veritatis, ut alii vocant, est quod defertur ad coguoscendam quantitatem, seu verum valorem rei per alterius vim aut dolum amissae.

Juramentum affectionis illud dicitur, quod defertur super aestimatione rei valde clarae ob dolum amissae, vel destructae, non secundum valorem communem et textationem, sed secundum privatam affectionem, et utilitatem consideratae.

Juramentum super interesse singulari; vel extra rem praestatur v. gr. super damno, quod propter pecuniam e. gr. alibi depositam, debito tempore non restitutam, deponens est passus, quia propterea vinum frumentum etc. postea majori pretio debuit emere.

Juramentum *veritatis*; et illud super *interesse singulari* deferri potest non solum a judice, sed etiam a reo, praesente tamen judice; Juramentum affectionis autem a solo judice.

Deferri potest *actori*, qui dominus est litis, et litem suo nomine contestatus est. Extenditur etiam ad agentem actione publiciana.

Juramentum veritatis deferri potest in omnibus omnino actionibus. Minus vero ampla est potestas in deferendo juramento affectionis; excipiuntur enim, exempli causa, omnes actiones stricti juris.

Effectus juramenti in litem duplex est.

Juramenti veritatis effectus est, ut hoc praestito reus condemnandus sit ad solvendum pretium.

Juramenti affectionis effectus est, ut eo praestito dominium rei hoc modo aestimatae transferatur in reum, et quidem statim, si res est propria actoris, et a reo possessa; si reus eam non possederit, tunc in illum transfertur dominium, quando ex voluntate actoris, possessionem rei fuerit nactus.

Finis juramenti in litem, quod vocatur *affectionis*, est ut puniatur dolus, et contumacia rei rem non restituentis, vel non exhibentis.

Digitized by Google

Juramenti *veritatis* finis est, ut hac ratione possit constare de vero valore rei; hinc si aliunde de vero valore rei appareat, juramento huic non est locus.

Obligatio juramenti promissorii sub diversis respectibus accipi potest, et hinc proditae sunt regulae.

1.° Omne juramentum observandum est, quod non vergit in dispendium salutis aeternae, et in alterius praejudicium non redundat.

2.° Non est obligatorium juramentum, quod contra bonos mores est praestitum.

3.° Juramentum non est vinculum iniquitatis.

Hujusmodi juramentum praestari potest per procuratorem, modo procurator speciali mandatum ad istud habeat.

Juramentum habere vim confirmandi contractus jure positivo nullos vel invalidos tenendum est, etiamsi nonnulli DD. dissentiant.

De relaxando juramento promissorio, distinctio adhibenda est: *Si factum sit Deo,* ille relaxare potest, qui potest dispensare in votis: *Si homini* praestitum est, et nulla turpitudo ex parte recipientis contigerit, nemo relaxare illud potest, invito eo, cui praestitum est, praeter summum pontificem.

Causa relaxandi juramenti, si homini factum sit, nulla requiritur, si ab hoc cui factum est, relaxetur, vel condonetur: Sed ut ab alio solvatur, et relaxetur certum est requiri causam, quae multiplex est; et quidem

1.° Si turpitudo detur in juramento ratione materiae, vel rei promissae.

2.° Si dolo, aut metu extortum sit.

3.° Si gravis, aut majus bonum faciendum occurrat.

4.° Si temere et inconsiderate juratum sit.

5.° Si dubitetur, an jusjurandum locum habeat nec ne.

6.° Ut aliorum offensio tollatur.

7.° Ut peccati periculum et occasio praecidatur.

Exceptio definiri potest quod sit - actionis exclusio, qua reus actionem contra se intentatam, vel retardat, vel prorsus elidit.

Exceptio dividitur in *proprie dictam*; in *nominatam*, et *innominatam*; in *civilem* et *praetoriam*; in *realem* et *personalem*; in *dilatoriam*, et *peremptoriam*.

Exceptio, si introducta sit ad justam et necessariam defensionem, a jure *naturali* descendere dicendum est: At si defensioni non deservit, vel ad eam non sit necessaria; a jure positivo dependet.

Digitized by Google

Replicatio nihil aliud est, quam exceptionis elisio, qua actor reum adversus se excipientem repellit.

Exceptio opponi potest actori et ejus haeredibus; et opponere eam possunt omnes, qui agendi potestatem habent, nam cui damus actionem, eidem multo magis exceptionem concedimus.

Exceptiones dilatoriae *regulariter* opponendae sunt ante contestationem litis; nonnullis casibus exceptis.

Vice versa exceptiones peremptoriae opponendae sunt post litis contestationem; pariter nonnullis exceptis casibus.

Hodie quavis forma et ordine proponi possunt exceptiones; et possunt etiam plures simul opponi.

Exceptiones reo competentes tunc solum prosunt, haeredibus et fidejussoribus, cum *reales* sint, scilicet rei judicata, factae solutionis etc.

Exceptiones in prima instantia omissae non possunt objici in secunda, ut DD. communiter contendunt.

Ut opponi possit exceptio rei judicatae, tria debent concurrere.
1.° Ut eadem res petatur.
2.° Ut eadem petendi causa, seu eadem quaestio subsit.
3. Ut eadem conditio personarum concurrat.

Testis, si exceptio criminis contra illum probata sit, tunc solum puniri de illo crimine in judicio potest; si crimen illud tangit negotium principale.

Praescriptio est - adjectio, sive adquisitio dominii, vel quasi, aut alieni juris sive realis, sive personalis peremptio per continuationem possessionis tempore et modo a legibus, vel SS. canonibus definito.

Praescriptio alia est *ordinaria*, sive longi temporis, alia *extraordinabia*, sive longissimi temporis, alia denique *immemorialis*.

Praescriptio introducta est primum jure civili, dein approbata est jure canonico. *Causae* vero illam introducendi plures fuerunt.
1.° Ne passim longo tempore dominia rerum confusa et incerta essent.
2.° Ut lites facilius terminarentur.
3. Ne possessores continuo timore rem amittendi tenerentur etc.

Lex praescriptionis etiam prodest in foro conscientiae, quia respublica ob dominium altum, quod ipsi in bona subditorum omnium confessione competit, potest, quando id bonum commune exigit, dominium auferre pristinis dominis, etc. Illud transferre in alios.

In genere praescribere possunt illi omnes, qui possunt rem alienam proprio nomine possidere, et dominium acquirere.

Contra omnes illas personas praescribi nequit, quae non possunt stare in judicio, vel agere, vel jura sua tueri, vel administrare bona sua.

Praescriptioni renuntiari posse, quamquam nonnulli negant, tamen verior sententia docet.

Requisita praescriptionis in his duobus versibus continentur.

Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus.

Possideas juste, completo tempore legis.

Nonnullae res praescribi non possunt, scilicet

1.° Res sacrae
2.° Res religiosae
3.° Res sanctae
4.° Res publicis usibus deputatae
5.° Liber homo
6.° Haereditas, vel alia res communis
7.° Res merae facultatis
8.° Beneficia ecclesiastica etc.

Nonnullae res praescribi prohibentur tempore ordinario uti

1.° Res ecclesiarum
2.° Bona principis
3.° Feuda
4.° Res furtivae
5.° Res minorum
6.° Res alienari prohibitae

Possessio, quae ad praescriptionem requiritur debet esse *civilis*, hoc est detentio rei cum opinione dominii: deinde debet esse *continua*.

Nonnulla jura et obligationes ex defectu legitimae possessionis praescribi non possunt, uti

1.° Matrimonium carnale
2.° Matrimonium spirituale, sive professio religiosa
3.° Exercitium ordinis sacri
4.° Jus decimandi, et alia spiritualia
5.° Exemptio ab obedientia etc.

Bona fides nihil aliud est quam judicium, quo quis prudenter statuit, rem quam possidet, suam esse, vel saltem non alienam esse. Haec bona fides necessario requiritur ad praescribendum.

Bona fides authoris prodest successori tam singulari, quam universali; ita ut nisi mala fides supervenerit, in re aliqua succedens bonae fidei possessori possit etiam computari tempus antecessoris sui.

Mala fides authoris non nocet successori singulari, quo minus pos-

Digitized by Google

sit rem praescribere, incohando a propria possessione bonae fidei.

Probabilius successor universalis et immediatus, quamvis sit bonae fidei, rem tamen ab authore mala fide possessam, sibique haereditate relictam, non potest de jure communi praescribere praescriptione ordinaria.

Mala fides authoris non obest haeredi mediato, seu haeredi immediato, modo tum hic, tum ille bonam fidem habuerint, nam hic praescribere rem sic a se possessam potest, saltem numerando tempus a sua possessione.

Ordinarie probari non debet bona fides possessionis a praescribente, sed a jure praesumitur.

Tituli nomine, in praescriptionis loco, venit *causa habilis* ad *transferendum dominium*; uti sunt donatio, emptio, permutatio etc.

Quadrupliciter dividitur titulus, scilicet alius est

Verus, cui non subest ullus error, ut si res donata sit ab eo, qui dominus illius fuit.

Coloratus, qui apparet esse verus, sed tamen ob vitium occultum verus non est, ut si quis rem dono aut emptione accipit a non domino, quum tamen invincibiliter credebat esse dominum.

Putativus quando probabiliter creditur intervenisse titulus, qui tamen a parte rei non intervenit, ut cum haeres alicui tradit rem aliquam tanquam ei legatam ex testamento, quae tamen revera legata non est.

Praesumptus denique, quando ob temporis diuturnitatem jus praesumit intervenisse titulum, cum forte non intervenerit. Hinc

Titulus *verus* non est necessarius ad praescriptionem; quia hic sine praescriptione sufficit ad transferendum dominium.

Titulus *coloratus* ad praescribendum sufficit, non tamen requiritur necessario.

Titulus *putativus* ad praescribendum sufficit, si rationabiliter existimatus sit.

Titulus *praesumptus* non sufficit in praescriptione ordinaria longi temporis; sed in praescriptione longissimi temporis, et multo magis in immemoriali.

Res *mobiles* privatorum, quantumvis pretiosae, praescribuntur triennio.

Res privatorum *immobiles*, si illi privilegiati non sint, praescribi possunt inter praesentes annis *decem*, inter absentes vero annis *viginti*.

Res ecclesiae romanae, saltem immobiles, et adhaerentia istis jura non praescribuntur, nisi lapso tempore 100. annorum.

Ecclesiae aliae romana inferiores, et non specialiter privilegiatae res suas immobiles non ammittunt, nisi praescriptione quadragenaria.

Jus servitutis mere personalis nullo tempore usucapi potest, ita ut liber homo fiat servus.

Servitus *realis*, sive continua sit, sive discontinua, sive negativa, sive affirmativa, 10 annis inter praesentes, 20 inter absentes praescribitur.

Eodem tempore praescribuntur actiones *reales*. Actiones vero *personales* regulariter 20 annorum tempus requiruntur. Quod tempus etiam observari in praescriptione censuum, et obligationum annuarum.

Tunc dicitur *dormire* praescriptio, quoties legitime inchoata ob impedimentum superveniens suspenditur, ita tamen, ut remoto impedimento, denuo procedat, deducto solum tempore intermedio inutili.

Interrumpi dicitur praescriptio, cum inchoata ita cessat, ut si cessante impedimento iterum reviviscat, non continuetur cum tempore priore, sed de novo debeat inchoari.

Conclusio in causa est ultimus actus praecedens sententiam: definiri potest; quod sit probationum, et disputationum ulteriorum renuntiatio.

Modus concludendi in causa sequens est: Finitis allegationibus, et responsionibus, judex quaerit ex partibus, an aliquid id ulterius habeant, quod ad causam et hujus decisionem putent facturam.

Finis conclusionis in causa est ut veniatur ad finem processus judiciarii, et tollantur moratoriae ambages, quibus alias lites redderentur immortales.

Sententia est *pronuntiatio judicis super re a litigantibus proposita.*

Duplex est: *definitiva*, quae negotio, seu causae principaliter in judicium deductae finem imponit vel absolvendo vel condemnando: *Interlocutoria*, quae inter principium et finem causae, non super quaestione principali, sed tantum super aliquo incidenti profertur.

Quando in una eademque sententia duo vel plures judices diversa pronuntiant, videndum num diversa pronuntient in numero pari, vel dispari. Si hoc posterius, plurium sententia praevalet; si prius distinguendum utrum sint judices delegati, vel ordinarii. Si *delegati* sunt, neutrius partis sententia valet, sed utraque quasi in pendenti est, donec alterutra a judice dele-

gante confirmetur. Si vero sint *ordinarii* sententia illa praeponderat quae est pro reo.

Sententia debet esse.

1.° Certa

2.° Pura et absoluta, et non sub conditione

3.° Conformis libello

4.° Conformis juri

Judex contra jus strictum ex aequitate, vel alia causa pronuntiare non potest.

Contra privilegium sententia lata, nisi tempestive appelletur, valet, et transit in rem judicatam.

Nomen *rei judicatae* communiter accipitur pro ipsa sententia, non tamen statim ac pronuntiata est, sed tum primum, cum illa nec de facto per appellationem suspensa est, nec per eamdem utpote decendio elapso, amplius suspendi potest; quod significant communiter DD. quando dicunt sententiam transiisse in rem judicatam.

Quoties sententia aliquo vitio laborare constet, tunc in rem judicatam transire nequit.

Res judicata *tunc* solum in foro conscientiae vim habet; cum quis bona fide litem contestatus, et persecutus sententiam pro se tulit: et haec est probabilior sententia.

Triplex est effectus rei judicatae; scilicet ex *parte judicis*, ex parte *litigantis*, ex parte *causae*.

Quoad *primum*, facit ut judex officio suo censeatur functus.

Quoad *secundum*; inter partes jus facit, et ad parendum obligat nisi ab ea intra decem dies fuerit appellatum.

Quoad *tertium*, per sententiam definitivam finitur lis, seu controversia.

Executio describi potest, quod sit actus judicialis, quo vere et naturaliter victori praestatur quod per senteotiam obtentum est.

Executio fieri debet in eum, qui per sententiam victus est, si non alieno, sed proprio nomine litigavit.

Is, cui commissa est executio, non potest admittere exceptiones oppositas, nisi executor *mixtus* sit, videlicet cui cognitio de facienda executione commissa est.

Is, contra quem in aliqua causa tres sententiae conformes sunt latae, admitti non potest ad agendum de nullitate ipsarum, antequam sententiae hujusmodi fuerint executioni mandatae.

Si judex ecclesiasticus, ordinarius, vel delegatus contra propriam conscientiam et justitiam, in gravamen alterius partis, favore, vel per sordes aliquid egerit, ad aestimationem litis parti, quam

Digitized by Google

laeserit, condemnatur (in quo convenit cum jure civili) et insuper per annum ab officii executione suspenditur: Si vero durante hac suspensione se divinis officiis ingesserit, irregularitatem contrahit, a qua non nisi per summum pontificem liberari potest.

Temerarius litigator triplici poena coercetur; juramento calumniae, multa pecuniaria, et infamia; et insuper in expensas necessarias condemnatur.

Advocatus in propria causa per se litigans, et victor, petere a victo potest expensas, quas facturus erat, si alterius advocati opera fuisset usus.

Appellatio prout hic pertinet *est ab inferiore ad superiorem judicem facta provocatio ratione gravaminis illati vel inferendi.*

Duplex est appellatio: *Judicialis*, quae interponitur ab actibus judicialibus, sive de iis, quae in judicium veniunt. *Extrajudicialis* fit ab actibus vel decretis extrajudicialibus, quibus aliquis gravatur.

Discrimen inter appellationem judicialem, et extrajudicialem triplex assignatur.

1.° Appellatio judicialis est proprie appellatio, extrajudicialis improprie; hinc in materia poenali et odiosa, nomine appellationis non comprehenditur.

2.° Judicialis supponit judicium, et fit a solo judice, ejusque gravamine non inferendo sed illato: Extrajudicialis autem non supponit judicium coeptum, neque exigit necessario, ut fiat a judice, sed potest fieri etiam a parte, si ab hac gravamen inferatur vel timeatur.

Regulariter *appellare* permissum est omnibus, qui gravamen aliquod extra judicium patiuntur, aut se passuros timent.

Nec prohibentur illi, qui professi sunt cum juramento ante sententiam se non provocaturum a judice.

In causa pluribus communi, si unus tantum provocavit a sententia lata contra omnes, et in judicio appellationis vixit, ejus victoriae emolumentum etiam pertinet ad reliquos, qui non appellarunt.

In omnibus causis appellari potest, et ab omni sententia valida, imo a quocumque alio gravamine illato vel inferendo, etsi extrajudiciale hoc solum sit.

Et hoc generaliter loquendo, nam nonnullae causae excipiuntur.

1.° Non admittitur appellatio a sententia, qua crimen confessus, et convictus condemnatur ad poenam lege definitam.

2.° In causis aut delictis notoriis

Digitized by Google

3.° In causa executionis
4.° In causa correctionis
5.° In causa censurarum, excommunicationis, suspensionis et interdicti
6.° In causa electionis etc.

Regulariter appellari potest ab omni judice, qui sententiam tulit, nec tantum a delegato, sed etiam ab ordinario. Sunt tamen judices, a quibus vel simpliciter, vel in certis causis non permittitur appellatio: Talis est

1.° Papa, imperator, vel alius princeps, aut magistratus in temporalibus superiorem non recognoscens.
2.° Appellari non potest in republica ecclesiastica a sententia concilii generalis legitime congregati etc.

In libello appellatorio exprimi debet, quis appellet, contra quem, et a qua sententia.

Appellatio fieri potest non tantum per verba expressa, veluti *appello provoco*, sed etiam per aequipollentia, ut si quis gravatus a judice inferiore, e. gr. episcopo, diceret « committo vel subjicio me judicio papae, vel alterius superioris ».

In eadem causa a sententia definitiva bis appellari potest, quod si autem illa bis fuit confirmata, tertio non admittitur appellatio.

Qui habet exceptionem legitimam adversus judicis, vel executoris mixti mandatum, non potest ab eo appellare, nisi proposita prius exceptione.

Fatalium nomine hic veniunt tempora, quibus exactis appellatio vel non conceditur, vel concessa et interposita, aut jam introducta extinguitur, et quasi emoritur.

Olim appellandum fuit in causa propria intra biduum, in causa aliena intra triduum, sed hodie statutum est decendium.

Apostoli hoc loco dicuntur literae dimissoriae, quas judex, a quo appellatum est, ad instantiam appellantis trasmittit ad judicem, ad quem appellatum est, in testimonium et fidem appellationis inperpositae.

Olim petendis et recipiendis apostolis praescripti erant quinque dies; sed hodie ad triginta perducti sunt.

Judex vocatus *a quo*, hoc est, a quo appellatur, regulariter tenetur deferre cuilibet appellationi.

Judicis vero *ad quem* officium est omnia cognoscere, an justa fuerit causa appellandi; de quo priusquam cognoscat per se, vel per alium non suspectum, non debet, nec potest causam appellationis examinandam remittere ad judicem, a quo est appellatum, nisi pars, quae appellavit, consentiat.

Digitized by Google

Appellans utique potest poenitere et appellationi renuntiare, et sic facere ut ea transeat in rem judicatam.

Duplex effectus est appellationis a sententia definitiva legitime interpositae: alter devolutivus, suspensivus alter.

Devolutivi effectus vi id operatur appellatio, quod causa, super qua appellatum est, ejusque cognitio cum omnibus accessoriis ab inferiore judice devolvatur ad superiorem, ad quem est provocatum, et huic tribuat jus ac potestatem de causa cognoscendi.

Suspensivi vis est in eo, quod per eam suspendatur jurisdictio judicis *a quo*, ita ut sententiam a se latam, pendente appellatione, executioni mandare non possit, sed in eo statu omnia relinquere debeat, in quo statu fuerunt tempore appellationis interpositae.

Addi his potest effectus tertius, *remedium attentatorum*, quo revocari debent non tantum ea, quae pendente appellatione innovata sunt, sed etiam illa, quae attentata sunt ante interpositionem appellationis post sententiam latam intra tempus decendii.

Plurima sunt privilegia remedio attentatorum competentia; estque remedium hoc longe promptius spoliato, seu turbato in sua possessione, quam interdictum unde vi.

Recusatio est *judicis vel jurisdictionis* ipsius, proposita causa suspicionis, declinatio, eo quod judex ex causa verisimili suspectus sit.

Recusatio judicis proponi debet intra dies 20 post libellum oblatum ante litis contestationem.

Duo communiter requiruntur ad recusationem.

1.° Debet proponi in scriptis, sive oblato judici libello recusatorio.

2.° In libello recusatorio allegari debet justa causa suspicionis et recusationis: et quidem specifice expressa de jure canonico.

Definiri non potest quæ sit justa causa recusandi judicem, sed arbitris plerumque ad id electis examinandum relinquitur.

Relatio est judicis inferioris, in causa de jure dubitantis ad principem missa consulatio, ut sciat, quid in judicando sequatur.

Ut debito modo relatio causæ ad principem fieri debeat, plura requiruntur,

1.° Ut plenam vel totius causae, si de tota causa sit dubium, vel articuli, de quo dubium est, instructionem, propositis omnibus facti circumstantiis, et allegationibus utriusque partis contineat.

2.° Si dubitetur de tota causa, simul mitti ad principem debent

Digitized by Google

acta ; si de articulo tantum, solum ille de quo dubitatur, excerpendus, ad principem mittendus est, non vero totus processus, ne illius inspectione nimium fatigetur etc.

Peregrinans in genere dicitur quicumque per aliena loca peragrans proficiscitur ; hic specialiter capitur pro eo qui ad sedem apostolicam se confert.

Peregrinatio ad sedem apostolicam tum vim et effectum appellationis habet, quando sit intra 10 dies a sententia lata, vel gravamine illato, modo judici, vel parti intimetur.

Confirmatio est *juris prius habiti, seu quaesiti per legitimum superiorem facta corroboratio.*

Duplex est confirmatio : una dicitur confirmatio simplex, seu in forma communi et ordinaria : altera in forma speciali, seu ex certa scientia.

Priore modo fit confirmatio., quando princeps, vel alius superior potestatem confirmandi habens, nulla, vel non exacta causae cognitione praemissa actum ab inferiore gestum confirmat in eo statu, in quo antea fuit.

Posteriore modo autem quando actum ab inferiore gestum confirmat, pensatis et examinatis totius negotii circumstantiis, adeoque cum perfecta ejus notitia.

In dubio an confirmatio sit vera aut falsa, aut legitima., non potest judex inferior de ea cognoscere. Si dubitatur utrum facta sit in forma speciali aut in forma comuni ; tunc potest judex inferior definire.

Vitae morumque honestas clericis, praesertim sacerdotibus curam animarum habentibus, necessaria duplex est, *interna* et *externa.*

Vitae clericalis honestas *interna* exposcit rectitudinem intentionis, animae et conscientiae puritatem, ac reliquas virtutes tum theologicas, tum naturales.

Rectitudo intentionis in eo consistit, ut clericus ad ordines et beneficia ecclesiastica se promoveri curet non tam consequendi alicujus emolumenti temporalis, sed obeundi officii sui spiritualis, gloriae divinae promovendi gratia.

Promovendus ad beneficium parochiale debet habere *intentionem* seriam, et certam suscipiendi presbyteratum, et permanendi in statu clericali : et haec intentio non debet necessario esse absoluta, sed sufficit etiam conditionata.

Non est opus ut suscipiens beneficium parochiale habeat animum illud perpetuo retinenendi, sed satis est si habeat animum su-

Digitized by Google

scipiendi requisitum ordinem, et beneficio inserviendi, etsi intendat illud permutare, vel resignare.

Qui parochiale beneficium acceptat sine intentione recipiendi sacerdotium intra annum, probabilius restituere debet fructus ex illo provenientes et perceptos ante sententiam; quod in receptione dignitatum, ut auctor tenet, non observatur; itemque non observatur in receptione beneficii simplicis, quod annexum habet ordinem sacrum.

Peccat tamen qui recipit beneficium simplex animo non adscendendi ad ordines, et quidem *mortaliter*, si beneficium hujusmodi annexum habet ordinem sacrum, secus *venialiter*, ut Sanch. et alii putant; quod postremum de tonsura dicendum est.

Probitas ministri in administratione sacramentorum requiritur sine dubio ut *licite* ea distribuantur, non autem ut *valide*.

Clericus peccati mortalis sibi conscius sacramento *eucharistiae* suscipiendo praemittere tenetur confessio sacramentalis. In reliquis sacramentis sufficiet contritio.

Morum ac vitae integritas in clerico requisita exigit

1.° Ut sit extra omnem suspicionem incontinentiae

2.° Ut fugiat crapulam et ebrietatem

3.° Ut sit alienus ab omni avaritia.

Judex ordinarius nunquam potest acceptare munera etiamsi ei liberaliter et sponte offeratur. Judici delegato aliquoties permittitur.

Altera litigantium pars non peccat, si aliquid offerat judici differenti causae cognitionem vel sententiam ut se redimat ab indebita vexatione. Sed graviter peccat judex, qui aliquid sub hoc titulo acceptat.

Clerici habitum et tonsuram clericalem debent gerere; non comam nec barbam nutrire, nec arma militaria gerere.

Vestis clericorum debet esse *talaris*, non virgata, vel splendido colore tincta, sed fusco vel nigro.

Clerici prima tonsura aut minoribus tantum initiati habitum clericalem deferre tenentur si beneficium aliquod habeant.

Clericus in minoribus constitutus habitum cum tonsura clericali semel dimissum reassumens recuperat privilegium fori.

Clericus arma gestans, quae lege vel statuto prohibita sunt, a ministris Curiae saecularis spoliari non potest, nisi deprehendatur in flagranti crimine; aut istius machinatione.

In ordine ad divina officia, obligatio clericorum est ut illa sedulo, atque ea gravitate obeant, quae illorum dignitatem, et Numinis majestatem decet.

Clericis generaliter prohibita sunt illa officia, munera et commercia,

Digitized by Google

quae statui clericali adversantur, vel ecclesiasticis fuctionibus impedimento sunt.

Vetatur clericis lusus alearum, et taxillorum etc.

Qui clericum se asserit id probare debet; et modi probationis plures sunt, ex. gratia 1.° per litteras formatas, 2.° per librum ordinatorum; 3.° per attestationem notarii etc.

Clericatus discussio competit judici saeculari.

Non licet clerico cohabitare cum mulieribus, praeterquam cum iis, de quibus suspicio incontinentiae nulla esse potest, etiamsi affines sint; nisi in primo vel secundo gradu.

Consanguineas in primo et secundo gradu habere potest etiam episcopus; si suspicio incontinentiae absit.

Clerici concubinarii in ss. ordinibus constituti compelli non possunt ad dimittendas concubinas, vel alias personas suspectas, mediante juramento de iis non amplius recipiendis.

Judex competens foeminarum, si delinquant cum clerico, est ecclesiasticus ob sacrilegium, quod ipsae cum clerico peccando committunt.

Poenae, quibus hodie coercentur clerici concubinarii sunt sequentes:

1.° Si post specialem admonitionem non abstinuerint, ipso facto privantur tertia parte fructuum, obventionum et proventum beneficiorum suorum quorumcumque, et pensionum, quae fabricae ecclesiae, et alteri pio loco pro arbitrio episcopi applicentur

2.° Deinde, si non resipuerint, a beneficiorum suorum administratione, quamdiu ordinario videbitur, suspendi debent

3.° Postea beneficiis *perpetuo* privantur.

Crimen concubinatus debet esse aut publicum notorietate facti, aut sufficienter probatum per testes.

Clericus concubinarius probabilius non incurrit poenam privationis statutam a concilio, antequam per sententiam declaretur reus

Clericus in minoribus constitutus matrimonium potest contrahere, sed eo contracto ad beneficia ecclesiastica obtinenda fit incapax.

Beneficia ante obtenta clericus, si matrimonium contrahat, amittit ipso jure. Et hoc intelligi debet de quibusvis juribus ad beneficia; item de pensionibus assignatis titulo clericali.

In sponsalibus de praesenti, et in matrimonio rato solummodo hoc locum non habet. Quod pariter dicendum est, si matrimonium ex aliquo defectu nullum sit; scilicet privatio ista non inducitur.

Cum clerico conjugato ad beneficia obtinenda, vel retinenda dispensare solus pontifex potest.

Digitized by Google

Clericus in majoribus constitutus non valide contrahit matrimonium; quod verum est etiam in graeca ecclesia.

Post contractum matrimonium in latina ecclesia ad ordines non admittuntur; nisi consentiat uxor, et votum continentiae edat.

In graeca ecclesia usus matrimonii licitus est clericis, non autem in latina.

Nec *divino*, nec *naturali* jure injunctus est clericis latinae ecclesiae coelibatus; sed solum *humano*.

Nunc votum continentiae sacris ordinibus adnexum est

Clerici qui in subdiaconatu et aliis superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur, ad dimittendas illas, et poenitentiam de scelere commisso agendam per suspensionis sententiam compellendi sunt. Deinde fiunt irregulares, ut nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad altiores ascendere possint. Insuper redduntur suspecti de haeresi. Denique beneficiis privantur.

Clericus in majoribus constitutus, si matrimonium de facto contrahat, privationem beneficiorum quae habuit, non incurrit ipso jure, sed iis solum privandus est per sententiam.

Clerici in majoribus constituti matrimonium de facto contrahendo adhuc gaudent privilegiis clericalibus.

Constituti in minoribus tunc tantum his privilegiis gaudent, cum conditiones a Tridentino concilio praescriptae serventur; scilicet

1.° Ut contraxerint cum una, eaque virgine

2.° Ut habitum et tonsuram deferant.

3.° Ut alicui ecclesiae ex episcopi deputatione serviant.

Conditionibus hisce positis clerici gaudent privilegio fori solum in criminalibus; apprehendere tamen illos judex saecularis in causa civili nequit.

Privilegium canonis et fori non amittunt clerici exercendo negotiationem alias prohibitam, et amissam recuperant iterum vivendo clericaliter, etiam matrimonio nondum soluto.

Delictum a clerico commissum ante depositionem habitus clericalis pertinet ad forum ecclesiasticum.

Residentia clericalis est *mansio seu commoratio assidua in ecclesia, seu loco beneficii, causa servitii ecclesiastici personaliter praestandi.*

Haec residentia obligat ad exercendos actus annexos beneficio; hinc ex. gr. ut parochus satisfaciat obligationi suae non sufficit si actus ministerii sui exerceat per capellanos, vel vicarios suos; sed necessarium omnino est, ut ad minimum aliquoties, et ma-

xime, si parochiani postulaverint, per seipsum curam animarum peragat, et sacramenta administret.

Residentia duplex est, *vera* et *ficta*. Vera est quando beneficiarius vere et realiter praesens est in loco beneficii, et per seipsum seu personaliter exerceat officium, seu ministerium spirituale, propter quod beneficium datur. Ficta dicitur quando absens a loco beneficii fictione juris habetur pro praesente saltem in ordine ad lucrandos fructus.

Jure communi spectato ad eam obligantur omnes obtinentes beneficium aliquod.

Locus residentiae est locus, quo beneficium situm est; hinc episcopus residere tenetur in sua ecclesia cathedrali, seu in civitate, in qua ecclesiam suam cathedralem habet: parochus tenetur habitare in aedibus parochialibus.

Tempus residentiae varium est; Episcopi enim etiam sine gravi causa abesse possunt per duos vel per tres menses in singulis annis a dioecesi. Parochi item per duos menses permittuntur abesse. Canonici per menses tres etc.

Episcopus qui canonicatum habeat extra dioecesim locatum, ut ejus fructus percipiat, residere aliquo tempore eo in loco debet; ut majori ex parte DD. contendunt.

Beneficiarii simplices ad residentiam obligantur jure tantum ecclesiastico; Curati et Episcopi divino. Illis dispensatione obligatio residendi tolli potest; his vero non potest.

In beneficiis simplicibus per consuetudinem dispensari potest a residentia.

De Episcopis non residentibus decrevit synodus tridentina ut pro rata temporis fructus non faciant suos; et si privatione fructuum non moveantur, metropolitanus, vel antiquior suffraganeus denuntiare tenetur romano Pontifici.

Parochi non residentes ultra duos menses, pariter pro rata temporis fructibus priventur; et si non resipiscant, sacra synodus arbitrio ordinariorum relinquit, ut contra eos per censuras ecclesiasticas, fructuum subtractionem, sequestrationem, vel privationem beneficii procedere velint.

Abbates et praepositi soeculares aliis poenis juxta ordinis regulam puniuntur.

Canonici privantur primo dimidia parte fructuum, deinde etiam beneficio.

Is vero qui confert beneficium curatum vel dignitatem ei, qui non potest personaliter in eo residere privandus est pro illa vice potestate conferendi beneficium, vel dignitatem illam.

Digitized by Google

Beneficiarius a loco beneficii sui absens ut veniat ad residendum citari potest duplici modo ; vel enim notum est ubi degat, et tunc citandus est per nuntium personaliter, aut per litteras ad ipsum missas ; Si vero latitet, vel ita longe distet, ut commode personaliter citari non possit, citandus est per tria edicta publica affixa in valvis ecclesiis, dato post cujuslibet edicti publicationem termino competente ad comparendum.

Causae, quae a residentia excusare possunt beneficiarium sunt sequentes.

1.° Christiana charitas; ex. gr. si episcopus, vel curatus a dioecesi vel parochia sua discedat ad provinciam aliquam, vel dioecesim ab heresi converteudam, vel a periculo istius liberandam.

2.° Urgens necessitas; ex. gr. hostilis incursio, capitales inimicitiae, quas parochus vel beneficiatus habet cum domino, vel praefecto loci ; insidiae a domino loci, vel plebe infesta ; aut aliis sceleratis structae, ita ut tuto episcopus in civitate residere nequeat.

3.° Obedientia debita, quando beneficiarius occupatus in servitio papae, vel episcopi sui.

Episcopus in servitio suo occupare solet canonicos ecclesiae cathedralis juxta praescriptum tridentini concilii,

Legatus vero papae probabilius assumere nequit in servitium suum canonicos cathedralium vel collegiatarum ecclesiarum cum eo privilegio, ut etiam absentes pro praesentibus habeantur quoad fructus percipiendos.

Clerici, qui inserviunt principibus soecularibus non excusantur a residentia ; sed tamen si absint ratione *utilitatis* ecclesiae vel reipublicae excusantur ; ut si ex. gr. absit ad defendenda jura sui canonicatus, vel ecclesiae, vel litem super iis prosequendam.

Ut clericus studiorum causa a sua ecclesia abesse possit, et fructus percipere, necesse est

1.° Ut operae theologiae vel juri canonico praestet, 2.° ut studeat in aliqua universitate, vel publica schola, 3.° denique necesse est ut in his studiis se exerceat.

Residentia 40. annorum in aliqua ecclesia vel beneficio non debet haberi tanquam juxta causa excusationis residentiae.

Beneficiati religionem ingressi tempore novitiatus finguntur residentes, et annuos fructus lucrantur.

Is, qui juravit, quod continuo in ecclesia sua residere velit, si postea ex aliqua de causis relatis se absentet, non incurrit perjurium, quia juramentum praestitum circa materiem juris

communis intelligi debet secundum limites materiae subjectae, ita ut ad plus non obliget, quam jus requirat.

Distributiones quotidianae sunt portiones ecclesiasticorum redituum quotidie distribui solitae iis tantum clericis, qui statutis horis intersunt divinis officiis.

Distributiones quotidianae differunt a fructibus proprie dictis, quod hi sunt proventus annui, qui in fixo consistunt, et canonicis propter annuam residentiam dantur absque respectu ad singulas in choro praesentias; contra distrubutiones non consistunt in fixo, sed cum ratione praesentiae in divinis dantur.

Canonici et alii praebendarii ut recipere distributiones quotidianas possint, sufficit si juxta consuetudinem privatim vel domi horas recitent, psallentibus autem assistant in choro.

Distributiones absentium, spectato jure communi, lucrantur etiam illi, qui ex justa causa infirmitatis, corporalis necessitatis, vel evidentis ecclesiae utilitatis absentes sunt.

Tunc censetur adesse rationabilis, et justa necessitas, ut qui illam patitur excusetur ab assistentia chori, et nihilominus distributiones lucrari possit, cum aut assolutam impotentiam interveniendi habet, aut talem, ut eidem ex assistentia chori grave damnum vitae, honoris, aut fortunae immineat.

Utilitas autem ecclesiae, ut absenti jus tribuatur percipiendi distributiones, debet esse utilitas evidens; nam dubia utilitas cessante consuetudine, non concedit jus lucrandi distributiones, cum aequum non sit, ut ecclesia distributiones concedat ob absentiam forte sibi damnosam.

Praeter has causas, qui divinis officiis non intersunt recipere distributiones possunt ex *privilegio* concesso per summum pontificem.

Tale privilegium habet 1. poenitentiarius ecclesiae cathedralis, qui aliis in choro psallentibus, in ecclesia excipit confessiones poenitentium ex decreto Tridentini. 2. Canonicus assistens episcopo in ecclesia cathedrali, aut aliis civitatis locis pontificalia exercenti etc.

Similiter per consuetudinem distributiones conceduntur canonicis, qui ex legitima, seu a jure approbata causa, et ad breve tempus a choro absunt; quia haec consuetudo honestari potest ex eadem causa, qua honestatur concessio fructuum.

Canonici qui sunt in servitio papae, vel episcopi, aut alia ex causa legitime impediti sunt, jure communi non recipiunt distributiones quotidianas, sed solum fructus majores. Hoc autem ita intelligendum est, nisi tantum speciale aut consuetudo localis aliud observet.

Digitized by Google

Qui in eadem ecclesia ex privilegio vel consuetudine obtinet duo beneficia duplices distributiones potest recipere; quamquam nonnulli dissentiant.

Absens a choro distributiones lucratur, si alii canonici, quibus distributiones absentium competunt, illas eidem donent vel remittant. Hoc autem de illis distributionibus dicendum est, quae praesentibus jam obvenerunt, non autem de illis, quae primum obventurae sint; quod a Tridentino prohibitum fuit.

Praebenda a praebeo dicitur, quia praebet ministris et officialibus ecclesiae alimoniam suam.

Sic generice accepta duplex est *temporalis et spiritualis*. Illa est, quae sive laico ex reditibus ecclesiasticis datur pro labore, seu officio temporali, v. gr. cantori, aedituo, advocato, magistro etc.

Ista vero, sive *spiritualis* definiri potest, quod sit *jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis ecclesiasticis, propter aliquod servitium spirituale, authoritate ecclesiae constitutum.*

Ex variis dignosci potest utrum aliquid sit beneficium ecclesiasticum.

1.° Ex persona providentis, seu conferentis, puta si consueverit conferri authoritate episcopi, vel alterius praelati ecclesiastici.

2.° Ex persona ejus cui confertur, veluti quia confertur soli clerico.

3.° Ex oneri spirituali ipsi annexo; quia, ut dixi, beneficium datur propter officium, et ministerium spirituale.

4.° Ex modo providendi, ut quia in titulum datur; item pure, et sine pacto, modo, vel conditione, quae ex natura beneficii non insit, nec pro comodo, seu pretio temporali.

5.° Ex stabilitate juris ad redituum perceptionem.

Ex quibus omnibus facile solvuntur dubia, quae sequuntur, scilicet *Commenda* tunc solum beneficium haberi debet cum est *perpetua* nou autem cum *temporalis* est. Item Capellania (quae est onus annuatim vel hebdomadatim unam vel plures missas celebrandi in certa ecclesia vel altari,) tunc solum beneficium dici debet, cum, interveniente authoritate episcopi, constituta fuerit.

Pariter lis componi potest de *praestimoniis*, quae definiri possunt pensiones seu proventus annui de bonis ecclesiasticis detracti; qui ex primoeva, et antiqua sua institutione deputabantur in sustentationem juvenum, in studiis versantium, vel aliorum pro fide ac religione decertantium; et nunc ex plurium ecclesiarum consuetudine canonicis et aliis clericis praestari solent. Distinguendum igitur est utrum talia praestimonia laicis aeque ac clericis concedi possint sine spiritualis obsequii obligatione;

Digitized by Google

vel contra spirituale obsequium annexum habent, et in titulum perpetuum conceduntur. In hoc secundo casu dumtaxat praestimonium vocari potest beneficium.

Item *hospitalia* quae ecclesiae aut alteri beneficio accessoria unita sunt beneficiorum numero comprehendi possunt.

Beneficium dividitur in *soeculare* et *regulare*.

Soeculare est quod clericis soecularibus hoc est nullam alicujus ordinis religiosi regulam professis conferri debet ac solet.

Regulare, quod conferendum tantum est religiosis, et per hos administrandum, ut sunt abbatia, prioratus, canonicatus regularis, et aliquando parochia.

In dubio censendum est beneficium esse potius sœculare quam regulare, et hinc qui asserit beneficium aliquod regulare esse, in dubio probare illud debet.

Ut via praescriptionis beneficium soeculare transeat in regulare, et vicissim, 1. requiritur possessio pacifica quadragenaria, 2. ut possidentes tale beneficium in eo sint instituti; nam sine institutione beneficium obtineri non potest, 3. requiritur bona fides et titulus, 4. et secundum aliquos requiritur ut beneficium conferatur animo et intentione velut imprimendi alium statum beneficiario, dicendo *confero tibi beneficium soeculare*.

Ordinarie beneficiis soecularibus praefici non possunt clerici regulares, et vicissim regularibus soeculares; sed ex rationabili aliqua causa potest hoc fieri; ex. gr. si urgeat necessitas, ut si ecclesia sive coventus regularis ita deficiat, ut consideratis circumstantiis loci, temporis, et personarum per regulares reformari et regi non possit.

Hodierno jure spectato, seclusis specialibus privilegiis nemo regularis absque dispensatione pontificia ad beneficium parochiale soeculare assumi potest.

Dividitur iterum beneficium in *simplex* et *duplex*.

Simplex est, quod nullam jurisdictionem, curam animarum, vel administrationem, aut specialem praeminentiam sibi aunexam habet, sed ad solam assistentiam in choro, vel altaris servitium obligat. Tales sunt, 1. canonicatus tum soeculares tum regulares, 2. beneficia eorum, qui in ecclesiis cathedralibus praeter canonicos portiones integras, vel dimidias habent etc.

Duplex beneficium dicitur, quod specialem aliquam qualitatem, scilicet praeminentiam, administrationem, jurisdictionem, vel curam animarum adjunctam habent.

Dividitur tertio beneficium in *manuale*, et *non manuale*.

Manuale est, quod confertur quidem in titulum, sed revocabiliter,

ita ut ad conferentis libitum auferri, vel a patrono revocari possit. Non manuale, seu ut alii vocant *simpliciter titulare*, quod confertur in titulum perpetuum, ita ut semel legitime collatum beneficiato, nisi ex justa, et jure expressa causa auferri nequeat.

Dividitur etiam in *collativum* seu liberum, *electivum* et *patronatum*, seu mixtum.

Collativum dicitur, quod a praelato ecclesiastico, vel alio collatore libere; hoc est, nulla praecedente electione, nominatione, praesentatione, cum et quibus libuerit, modo idonei sint, confertur.

Electivum, quod per suffragia capitularium, accedente postea praelati, seu superioris ecclesiastici confirmatione, vel admissione obtinetur.

Patronatum denique, seu mixtum illud beneficium dicitur, quod per praeviam patronorum praesentationem, et subsequentem episcopi, vel alterius praelati ecclesiastici institutionem obtinetur.

Collatio definiri potest quod sit adsignatio, seu concessio beneficii vacantis facta ab habente potestatem.

Duplex est; *voluntaria*, seu libera, et *necessaria* seu obligatoria. *Prior* ita dicitur quod licet conferre beneficium sit praecisum et necessarium, voluntarium tamen et liberum sit collatori illud conferre huic vel alteri. *Posterior* autem necessariae nomen accepit, quia collator eam facere tenetur, non tantum simpliciter, sed etiam certae personae, quae ipsi per praesentationem, vel nominationem alterius, aut aliorum proposita est, modo idonea sit: quae proprie *institutio* dicitur.

Potestas conferendi beneficia competit primum Summo Pontifici respectu omnium ecclesiarum et beneficiorum orbis.

Proximum a Pontifice locum in beneficiis conferendis tenent episcopi in suis dioecesibus.

Cum episcopis de jure communi concurrit Legatus a latere; deinde potestas haec competit praelatis pleno jure exemptis; nec non S. R. E. Cardinalibus ex privilegio, quod a Summo Pontifice amplissimum acceperunt in conferendis omnibus beneficiis quae vel jure tituli, vel commendationis habent.

Aliquando collatio beneficiorum ad canonicos spectat; quod tribus modis fieri potest. 1. Conjunctive, seu *capitulariter* ita ut collatio beneficii spectet ad totum capitulum, et illi sit conferendum, in quem major pars consentit: *per turnum*, ita ut singuli canonici, unus post alterum, ordine antiquitatis servato,

Digitized by Google

beneficia conferant, nomine et authoritate capituli, cujus vicem reprehesentant. 3. *Titulo singulari*, si jus conferendi beneficium sit annexum certo officio, praebendae, vel dignitati; quo casu beneficium ita vacans proprio et singulari nomine confert is, qui officium tale habet.

Conferre beneficia potest capitulum, sede episcopali vacante; cujus tamen potestas varie limitatur.

Pontifex beneficia confert tribus modis: 1. jure *praeventionis*, dando alicui gratiam expectativam, aut mandatum de providendo, seu mandando alicui conferri beneficium, quod proxime est vacaturum: hujus enim collatione passa praevenit alios jus conferendi habentes. 2. Jure *concursus*; nam papa sicut in jurisdictione, ita etiam in conferendis beneficiis quibuscumque cum episcopis, et aliis collaboratoribus inferioribus concurrit, ita ut si beneficium vacet in quacumque dioecesi, non tantum episcopus, alius ne collator ordinarius illud conferre possit, sed etiam Summus Pontifex; et sic inter hunc et illos praeventioni locus sit; quique prior contulerit, ejus collatio praeferatur. 3. Jure *devolutionis*, postquam jus conferendi beneficium propter culpam aut negligentiam inferioris collaboratoris, quod is illud vel non intra legitimum tempus contulerit, vel indigno contulerit, ab hoc ad sedem apostolica translatum est.

De jure communi, et praescindendo a contraria consuetudine collatio canonicatuum, et praebendarum ecclesiae cathedralis pertinet ad episcopum et capitulum simul, ita ut episcopus aequalem vocem cum capitulo habeat.

Beneficia vacantia in propria dioecesi conferri possunt ab episcopo existente etiam extra dioecesim.

Cum unum et idem beneficium collatum est duobus, uni a papa alter ab episcopo; si nec sciatur cui prius collatum illud sit; et neuter illorum in possessione beneficii reperiatur; praeferendus est ille cui collatio a papa facta est.

Laicis numquam potest competere potestas beneficia conferendi.

Ut alicui beneficium ecclesiasticum conferri possit 1. requiritur ut promovendus ad beneficium sit natus ex legitimo matrimonio; 2. requiritur aetas conveniens; 3. clericatus, hoc est prima tonsura. 4. competens litterarum scientia, quae diversa esse debet pro beneficiorum diversitate: 5. decens vitae honestas, et morum probitas.

Is, cui collatum est aliquod beneficium, si illud acceptavit, acquirit jus in re; si non acceptavit jus ad rem nanciscitur.

Episcopus, vel collator beneficii praefigere collatario terminum potest, intra quem collationem acceptet. Non autem necessaria est ad obtinendum beneficium praesentia personae illius cui confertur.

Nemo succedere potest ad beneficium jure consaguinitatis.

Ut collatio beneficiorum recte fiat plura requiruntur scilicet debent conferri *gratis*, *libere*, *palam*, in *scriptura*, in *perpetuum*, non *conditionale*, non alternative, seu *disjunctive* ec.

Beneficiorum ultima divisio est ut alia sint *compatibilia*, alia *incompatibilia*. Compatibilia dicuntur illa, quae vel nullam, vel non incompossibilem residentiam exigent, ideoque simul obtineri, et retineri possunt, uti sunt duo canonicatus, si tales sint, ut ex statuto, aut recepta consuetudine sufficiat in uno residere tres dumtaxat, vel sex menses in altero totidem. *Incompatibilia* appellantur, quae vel jure naturali, vel jure communi ecclesiastico, vel ex consuetudine etc. continuam residentiam personalem exigunt.

Duo beneficia simplicia soecularia simul retineri non possunt, modo singula ad sustentationem congruam non sufficiant; quod a Tridentino apertissime sancitum est. Sed in aliquibus locis consuetudo aliud observat.

Ab eodem Tridentino cautum est, ut is qui duo beneficia incompatibilia, ex; gr. dignitates consequantur, ipso jure non tantum secundo, sed etiam primo excidunt. Discrimen tamen est faciendum inter vocationem primi et secundi beneficii, nam quamvis utrumquo ipso jure vacet, tamen secundum ante sententiam declaratoriam dimittere non est necesse; sed quamvis ejus titulus sit amissus, possessio tamen retineri potest, donec quis, cognita causa, per sententiam privatus beneficio illo declaretur.

Causae justae dispensandi in pluralitate beneficiorum tres enumerantur. 1. Est ecclesiae *necessitas*, ob quam quandoque uni plura beneficia supra necessariam vitae substentationem conferri possunt, si desint idonei ministri; v. gr. in locis, in quivus haeretici se beneficiis intrudere conantur.

2.° Ecclesiae *utilitas*, si quis solus putetur magis profuturus ecclesiae etiam absens, sua authoritate, potentia, prudentia, doctrina, quam alius praesens, vel alii plures.

3.° *Praeroqativa meritorum*. Circa dispensationem in pluralitate beneficiorum notandum est, quod petens illam in supplicatione debet facere mentionem de beneficio prius obtento, etsi modicum illud sit; alias dispensatio non proderit, sed erit ipso

juro nulla. Et cum hujusmodi dispensationes in odiosis versentur, rescripta illarum sunt strictae interpretationis.

Beneficiorum unio est duorum, vel plurium beneficiorum, aut ecclesiarum ab episcopo, vel alio legitimo superiore ecclesiastico facta annexio.

Unio ecclesiarum et beneficiorum sic definita duplex dividitur. Una *perpetua* cum duae ecclesiae, vel beneficia authoritate praelati ecclesiastici in perpetuum connectuntur; altera temporalis quae fit ad tempus; v. gr. ad vitam ejus, in cujus favorem fit, et eo mortuo expirat.

Potest haec ecclesiarum et beneficiorum unio fieri tribus modis. Et 1. quidem si ex duobus beneficiis fiat unum, ex duabus parochiis una parochia etc. ita ut ambo in unum veluti corpus tertium et distinctum coalescant; qui uniendi modus non est in frequenti usu.

Secundus modus est, quando una ecclesia, vel beneficium subjicitur alteri tamquam superiori, eidemque unitur velut accessorium principali. Hic uniendi modus usitatissimus et frequentissimus est.

Tertius unionis modus habetur, si duo beneficia, videlicet duae ecclesiae cathedrales, vel parochiales aeque principaliter uniantur, ita ut ambae propriam naturam, qualitates et privilegia sua retineant, et neutra ecclesia alteri subjiciatur, vel adhaereat, sed utraque proprios reditus babeat, et titulum suum retineat, sub eodem tamen episcopo, vel rectore, qui ecclesiae utrique praeficitur.

Uniones de jure communi sunt odiosae, et restringendae, quia per illas diminuitur cultus divinus, et quia unio duorum beneficiorum et ecclesiarum est contra jus commune, cum quaelibet ecclesia debeat suum habere rectorem.

In beneficiorum unione consideranda est tum qualitas ejus quod unitur, tum illius, cui fit unio. Hinc 1. beneficium regulariter non debet uniri, nisi alteri beneficio: 2. facilius uniuntur beneficia simplicia, quam parochialia: 3. quamvis ob paupertatem, et in aliis casibus a jure permissis quandoque uniri parochialis ecclesia cum alia parochiali possit; ex his tamen facilius uniuntur, quae viciniores sibi sunt: 4. non possunt episcopi unire beneficia liberae collationis patronatis, ut his accedant et subjiciantur: 3. non debet episcopus beneficium unire mensae suae, aut capituli, etiam de consensu capituli, quia sic episcopus et capitulum authoritatem praestaret in facto proprio.

Potestatem uniendi beneficia habet in primis et in universa ecclesia

summus Pontifex, Episcopus jure communi, potestatem habet uniendi ecclesias in sua dioecesi, citra praejudicium tamen, et non exemptas a sua jurisdictione.

Sede episcopali vacante, capitulum cathedrale unire potest beneficia, quae alioquin episcopus poterat, dummodo per illam unionem jure episcopali nihil derogetur.

Vicarius generalis episcopi non potest unire beneficia, nisi id specialiter ab episcopo ipsi commissum sit. Praelatus vero episcopo inferior potest beneficia unire, si habeat jurisdictionem quasi episcopalem in ecclesias sibi subjectas.

Ad unionem beneficiorum legitime instituendam requiritur: 1. justa causa: 2. praecedere debet aliqua causae cognitio: 3. vocandi sunt ii, quorum interest: 4. exprimi debet annuus valor secundum communem aestimationem beneficii uniendi, et ejus cui annectitur.

In beneficio non plenissime unito poni potest ab episcopo etiam vicarius perpetuus, immo ordinarie debet, nisi ipsis ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur.

Unio facta probari debet ab eo, *qui factam asserit* tum quia unire quid, facti est et odiosum; tum quia per eam minuitur numerus ministrorum, tum quia denique est quaedam alienationis species.

Regulae generalis loco est, illum dissolvere unionem posse, qui potuit illam facere.

Dismembratio beneficii tunc fieri dicitur, quando manente unitate, pars bonorum, vel fructuum ab eo aufertur, et alteri beneficio vel ecclesiae, quae tenues reditus habet, ad hujus fabricam vel ministrorum sustentationem applicatur.

Praeter justam causam, ut rite faciat dismembrationem Episcopus adhibere debet solemnitates fere easdem, quae alias requiruntur ad rerum ecclesiasticarum alienationem.

Divisio seu sectio beneficii tunc fieri dicitur quando ex uno beneficio fiunt duo vel plura, ex una parochia duae parochiae etc.

Porro causa justa, et legitima divisionis est unica, nimirum, quod seclusa illa, obligationibus beneficio incumbentibus satisfieri non possit.

Praeter justam causam duae requiruntur conditiones. Una est, ut quaelibet portio, quae per divisionem beneficiariis assignata est, iisdem ad congruam sustentationem sufficiat; alias tenetur episcopus redintegrare praebendam divisam. Secunda est, ut episcopus, vel alius habens potestatem dividendi, intendat eligere sive promovere duos ad duo beneficia de novo erecta.

Digitized by Google

Reservatio beneficiorum proprie dicta est *alicujus beneficii ecclesiastici vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta vocatio*; ac proinde ea beneficia *reservata* dicentur, quorum collationem superior, praecipue summus pontifex, ita sibi vindicat, ut inferioris collatoris manus liget, quo minus ab ipso ea valide conferri possint.

Reservatio differt ab affectione pluribus rationibus; nam reservatio 1. fit per pactum verbis expressum, quo papa declarat se beneficium suae dispositioni reservare: affectio vero fit ipso facto, ex quo tacita reservatio oritur, ut cum papa apponit manum beneficio ad effectum id conferendi, 2. beneficium reservatum nunquam amplius conferre inferior collator potest; affectum vero, licet pro illa vice ab alio, quam papa conferri nequeat, postquam tamen provisio papae effectum est consequuta, si rursus vacaverit, conferri iterum a collatore ordinario potest.

Pluribus modis beneficium affectum fieri potest. 1. Si papa alicui det beneficium in commendam: 2. Si mandet alicui provideri de beneficio proxime vacaturo: 3. si quis resignet beneficium, aut etiam jus ad rem in manus papae; 4. si papa electoribus praecipiat, ne ad electionem procedant; 5. si in provisione apponat decretum, ut in manibus suis resignetur; 6. si ipse beneficium aliquod alicui conferat.

Duae constituuntur species reservationis; *generalis* scilicet et *specialis*. Generalis vocatur, per quam non reservantur certa beneficia, nec pro certis personis, sed beneficia in communi, veluti omnia beneficia, quae sunt unius rationis, et generis; ex. gr. omnes ecclesiae parochiales, cathedrales etc. specialis dicitur, qua reservantur certa beneficia, vel ratione certae qualitatis, vel ratione personae.

Verosimilius unica est reservatio corpore juris clausa, nempe relate ad ea beneficia quae vacant apud sedem apostolicam, vel in curia romana.

Per constitutiones extravagantes reversatae sunt patriarchales, archiepiscopales, et episcopales ecclesiae; item monasteria, prioratus, dignitates, officia, et beneficia quaecumque, etiam consueta conferri per electionem, aut quamvis alium modum, si apud sedem apostolicam vacaverint.

Ex persona possessoris reservantur dignitates, et beneficia ecclesiastica vacantia per obitum alicujus S. R. E. cardinalis.

Ex qualitatis, vel beneficii specialis reservantur ecclesiae archiepiscopales, et praefecturae monasteriorum exemptorum, et immediate subjectorum summo pontifici.

Digitized by Google

Annatae sunt pensiones, sive certae quantitates pecuniae, quae de episcopatuum, aliarumque dignitatum, et beneficiorum ecclesiasticorum vacantium fructibus primi anni, et ratione eorum camerae apostolicae solvuntur.

Gratia *alternativae* in beneficiis intelligitur facultas, quae conceditur episcopis, archiepiscopis etc. per sex menses conferendi alternative beneficia, ita ut primus semper mensis a januario inchoando sit papalis alter ordinarii.

Haec autem alternativa cessat 1. per translationem episcopi ad alium episcopatum; 2. per mortem Papae; quae hujus morte cessant regulae cancellariae.' 3. per mortem episcopi alternativam acceptantis: 4. Si episcopus se intromiserit in provisionem beneficiorum, quae per hanc regulam, vel alias sedi apostolicae reservata vel affecta sunt.

Beneficia, quae excepta sunt, ita ut in iis alternativa non habeat locum, sed quovis mense ab ordinario loci, vel aliis collatoribus conferri possunt, sunt sequentia. 1. Beneficia manualia, et vicariae temporales: 2. Beneficia ecclesiae non numeratae, seu certum numerum canonicorum non habentis, si talia sint, quae non debeant suppleri necessario. 3. Beneficia incorporata mensae episcopali, capitulari, abbatiali, vel alteri cuipiam dignitati aut beneficio: 4. Coadjutoriae; 5. Commendae. 6. Pensiones; altaria, oratoria et cappellaniae, si absque superioris ecclesiastici authoritate fundatae sint: 7. Beneficia patronata laicalia.

Alternativae item subjecta non sunt beneficia vacantia per resignationem expressam factam in favorem alterius.

Dignitates proximae pontificali in collegiatis ecclesiis non subjiciuntur alternativae, cum eae semper sint, et maneant reservatae sedi apostolicae, etiamsi vacent in mensibus ordinariorum.

Vicariae beneficiorum parochialium item non subjiciuntur alternativae, tam si temporales sint, quam perpetuae. Idem dicendum est de beneficiis monocularibus, quae scilicet ad provisionem collatoris spectant.

Beneficia vero patrimonialia, quae ex fundatione, privilegio vel consuetudine certo personarum generi, puta doctoribus, magistris etc. conferri debent verior sententia est sub alternativa contineri.

Cum non constet utrum ante vel post noctis medium decesserit beneficiatus, v. gr. domi reperiatur mortuus in lecto, occisus in via etc., videtur eo casu amplectenda pars favens sedi pontificiae.

Ordinarius per trimestre expectare debet provisionem apostolicam

beneficii vacantis mense papali; postea libera illi conceditur potestas conferendi.

Sicut cum beneficium vacat mense papali, si papa illud intra trimestre non contulerit, conferri illud potest ab ordinario; ita vacans mense ordinarii, si ab hoc illo mense non conferatur, fiat deinde collationis papalis.

Trimestre sedi apostolicae reservatum pro beneficiis suo mense vacantibus currit etiam sede illa vacante.

Si collatio beneficii mense papali vacantis intra trimestre facta est a papa, sed invalide ob impedimentum occultum; v. gr. inhabilitatem personae provisae, vitium ob-vel subreptionis, lapso trimestri cessat reservatio, et collatio ejus fieri potest ab ordinario.

Preces primae seu primariae sunt nominationes personae alicujus idoneae ad beneficia ecclesiastica vacantia, vel vacatura, ex speciali privilegio, imperatori, ac regi Romanorum recens electo ab apostolica sede indulto.

Hoc jus primariorum precum imperatori competit, communi catholicorum sententia, ex indulto, gratia, et concessione apostolica.

Usus harum precum est antiquissimus, efficacia vero tanta est, ut manus ordinario collatori ligent, ne alii quam per preces ab imperatore nominato beneficium conferre possit.

In specie per indultum primarum precum derogatur. 1. Concordatis Germaniae; 2. statutis et consuetudinibus ecclesiarum particularibus; 3. regulis cancellariae.

Indultum hoc, quamquam dispositionibus favorabilibus accensendum videatur, tamen melius inter odiosas numerari debet, ac propterea sicut alia privilegia, quae a jure communi exhorbitant; strictam interpretationem recipient.

Hujusmodi preces se extendunt per imperium romanum, prout nunc est, non autem prout fuit, cum plures provincias et regna contineret.

Primis precibus locus est etiam quando beneficium tantum situm est in Germania, collator vero, aut collatrix non est Germaniae incola.

Institutio *specifice* sumpta, nempe solam beneficii collationem significans, et *necessaria* qua scilicet conceditur beneficium ad patroni praesentationem, de qua hoc loco sermo suscipitur, definiri solet, quod sit *concessio ecclesiae, vel beneficii vacantis, aut authoritate legitima episcopi, vel alterius ordinarii facta ad praesentationem, vel nominationem patroni.*

Dicitur autem *necessaria*, quia debetur praesentato. Ut tamen de-

beatur ab habente potestatem institutio, quatuor ista liquere debent. 1. Quod beneficium, ad quod praesentatus est, vacet. 2. Quod illud sit patronatum, et qui praesentavit, saltem sit in possessione juris patronatus. 3. Quod praesentatus sit habilis. 4. Quod praesentatio facta sit in tempore. His concurrentibus, ordinarius tenetur instituere praesentatum, quod si facere neget, aut plus aequo differat, licitum erit appellare, vel poterit, ut plurimum, provisio impetrari a papa.

Si plures ad idem beneficium sint praesentati, tunc praeferendus qui praesentatus est a majori patronorum parte, si dignus reperiatur, ita ut praesentatus a minori parte, licet dignior, censeatur tamquam non praesentatus.

Quod si praesentati sint pares in voce lapso tempore patronis ad praesentationem concesso, episcopus praesentatorum merita respiciens digniorem instituere debet; institutio tamen digni prae digniore, quamvis injusta, erit valida.

Institutio facta neglecto praesentato, vel etiam absque consensu et praesentatione patroni videtur esse valida, sed rescissioni obnoxia. Unde integrum tali casu erit patrono, vel praesentationem a se factam urgere, vel alium praesentare, modo id fiat intra tempus a jure statutum: quo secundo casu si alium a patrono praesentatum episcopus instituerit, licet is minus dignus priore sit, modo absolute sit dignus praeferri priori debet, et in possessione relinqui, non obstante appellatione infra illud tempus a primo praesentato ad superiorem interposita; cui tamen episcopus, si malitiose eum recusavit instituere, in poenam de alio beneficio competenti providere tenebitur.

Valet quoque institutio facta ad praesentationem patroni tantum existimati qui revera talis non est, et ita, valent, ut etiam postea ab alio adversus patronum existimatum super jure patronatus lite mota et devicta debeat nihilominus sustineri.

Ad quod tamen duo sunt necessaria. *Unum est*, ut praesentans fuerit in possessione bonae fidei; *alterum est*, ut constet ecclesiam esse patronatam, et lis solum sit ad quem jus praesentandi pertineat; secus praesentatio admitti non debet, et institutio invalida erit.

Institutio necessaria est praesentato, vel nominato ad beneficium ut is occupare illud vel administrare possit, non ita tamen est necessaria ut si praesentatus beneficium sine institutione canonica acceptet, per hoc jus praesentatione sibi quaesitum amittat.

Jus instituendi clericos in beneficiis ecclesiasticis, post papam jure

communi competit episcopo, in cujus dioecesi aliqua ecclesia, vel beneficium situm est; neque est necesse ut episcopus institutor sit consecratus. Quod jus non transit ad capitulum sede episcopali vacante. Competit vero utique vicario generali episcopi, vel capituli sede vacante, si eidem potestas haec instituendi fuerit ab episcopo commissa, quin tamen ad hoc opus sit speciali episcopi mandato.

Jus hoc instituendi praelatis episcopo inferioribus non competit jure ordinario nisi in ecclesia plenissimo jure sibi subjecta; competere autem potest ex privilegio, consuetudine, vel potius praescriptione aut ex antiqua fundatione in ecclesiis episcopo subditis.

Abbatissae, et similes monalium praepositae ex privilegio apostolico et praelatorum ecclesiasticorum commissione praesentatos instituere valent: et hoc jus de facto alicubi habent in ecclesiis sibi pleno jure subjectis.

Pariter jure speciali per privilegium apostolicum idem jus instituendi clericos ad beneficia etiam laicis potest competere, quibus jure communi non potest, neque per consuetudinem aut praescriptionem immemorialem.

Qui jus habet instituendi, instituere se ipsum non potest, si a patrono praesentetur; atque hoc obtinet, tum si per seipsum tum si per alium a se delegatum id faciat, excepto casu quo praesentatus potestatem instituendi totam quam ipse habet, in alium transferre malit.

Institutio clerici in ecclesia quae in duarum diœcesium confinibus sita est pertinet ex duobus episcopis ad eum qui est in possessione juris instituendi cujus melior conditio est; si neuter in possessione sit, vel quaestio est super ecclesia partim in unius partim in alterius territorio sita, et tunc jus instituendi adstruitur episcopo, in cujus territorio est caput ecclesiae, pars vel porta principalis, vel, fundus ipse in quo constructa est ecclesia, est controversus, quo casu jus instituendi aut commune utrique episcopo, aut in patronorum arbitrio cui clericos in ea instituendos praesentare positum videtur.

De qualitate et numero instituendorum nonnulla dicenda. 1. Instituendi debent esse clerici, et quidam primam tonsuram habentes: laici, exceptis aliquando principibus in proebendis honorariis, nunquam caeterum institui possunt. 2. Non sunt in ecclesiis et beneficiis instituendi clerici unius originis, seu nationis tantum, sed *litterati, et alias idonei, undecumque originem duxerint;* exceptis beneficiis primitus fundatis pro persona

ex certa gente, familia, civitate oriundis. 3. Generaliter loquendo non est necessarium ut instituendus actu habeat illum ordinem quem requirit beneficium, sed sufficit si intra annum suscipiat.

Tot sunt in collegiis clericorum instituendi canonici et ecclesiae ministri, aut in monasteriis monachi, vel moniales, quot ex reditibus ecclesiae collegiatae vel monasterii commode et absque penuria ali possunt, nec plures sunt recipiendi.

Quod dicendum quoque est de ecclesiis numeratis, seu quae certum canonicorum vel regularium numerum habent. Nam in his quoque si augmentum notabile redituum adveniat et tale ut existimetur futurum stabile, numerus praebendarum et canonicorum augeri debet tametsi a papa sit definitus et confirmatus. Si autem reditus ecclesiae notabiliter et ratione stabili decrescant ut non sufficiant tanto numero canonicorum, vel monachorum alendo, numerus illorum imminui potest etiam in ecclesia in qua sit certus a papa confirmatus, vel juramento statutus. Estque hoc ita verum ut ultra facultates praelati et conventus vel capitula cogi non possunt ut aliquem recipiant.

Debent autem facultates, seu reditus ecclesiae, vel monasterii aestimari, habito respectu non tantum ad sustentandos clericos, vel religiosos, sed etiam ad alia ecclesiae onera et expensas in fabricam, et eleemosinas faciendas, ad hospitalitatem erga peregrinos exercendam, et ad solvendum jura episcopalia etc. quo faciendo computo consilium sit, ut de reditibus supersit potius, quam deficiat pro expensis faciendis, praevidenda ecclesiae vel monasterii possibili egestate.

Institutio clerici cuicumque competat, fieri nequit ante praesentationem illius sibi factam: Facta praesentatione, certum tempus jure constitutum non est, intra quod facienda sit institutio, sicut est praefixum collationi liberae, electioni et praesentationi. Quod si is, ad quem pertineat, institutionem praesentati nimium differat, praefigendum illi a superiore est tempus certum, v. g. duorum mensium, intra quod illam facere compellatur; ni faciat, ad superiores confugiendum, qui vel compellant institutorem, vel ipsi ejus suppleant defectum.

Praxis plurium Germaniae dioecesium, quarum ordinarii, ut incommoda quibus obnoxia est diuturna ecclesiarum vacatio, excludant, praesentatos, si idonei reperti sint non raro instituunt, non expectato lapso quatuor, aut sex mensium patronis ad praesentandum a jure concessorum, damnari non potest,

Digitized by Google

saltem casu quo de jure praesentantis liquet, et de variandi animo nihil constat:

Institutio fieri potest die quocumque etiam feriato, et extra dioecesim vel territorium instituentis; excepto tamen casu litis inter patronos, vel plures praesentatos ortae, vi cujus institutioni praevia causae cognitio ac sententia requireretur, nisi placeat cognitionem causae, et sententiam ab institutione dividere.

Casu, quo praesentatio et institutio simul eidem competit, videndum quo titulo praesentatio, et institutio ipsi competant: nam si ex diversis titulis competant, alio actu facienda est institutio, et alio huic praevia praesentatio: imo hanc per procuratorem fieri consultum est. Contra eodem actu expediri poterit praesentatio simul, et institutio, quando utraque eidem competit ratione ejusdem ecclesiae, vel dignitatis.

Ad modum institutionis tria pertinent. 1. Ut institutionem praecedat patroni praesentatio. 2. Ut interveniat authoritas ordinarii, sive ejus, qui jus instituendi habet.

3. Ut ante institutionem per edictum, ad ecclesiae valvas, aut alio consueto loco publice affixum citentur generaliter omnes, quorum interest, ut intra competentem et edicto expressum terminum peremptorium compareant, et quae faciendae institutioni opponenda censuerint, deducant.

Quae de edicto diximus *regulariter* in jure obtinent. Aliquando enim edictum hujusmodi non est necessarium. Nam 1. non est necessarium in beneficiorum collatione libera. 2. In institutionibus Apostolicis, dum nempe papa in suis casibus de beneficiis patronatis providet. 3. In dioecesibus, in quibus edicti usus vel nunquam est introductus, vel non usus, seu legittime praescripta contraria consuetudine abrogata.

Effectus hujus edicti est, quod si lapso istius termino, verus, ac legitimus patronus appareat, et jus suum velit deducere, pro ea vice non amplius audiatur, saltem si edictum non ignoravit, et legitimo impedimento cessante, non comparuit intra praefixum terminum.

Hunc tamen effectum ut edictum producat, requiritur 1. ut in eo datus sit terminus competens, habita scilicet ratione distantiae loci, in quo morantur, de quorum praejudicio agitur. 2. Ut constet legitime non solum de affixione illius, sed etiam de refixione; et sic, quod fuerit lectum, atque ibi relictum per congruum tempus; nec statur simplici assertioni notarii sine

testibus. 3. Ut res non amplius sit integra, sed institutio termino edicti elapso, facta.

Consuetudine receptum est, expeditque ad faciliorem probationem, ut institutio sicut et praesentatio fiat per scripturam, quae ad ejus substantiam et valorem actus necessaria minime est.

Institutio authorizabilis jure communi competit episcopis, et ab his facienda est, praemisso de idoneitate examine, tametsi institutio collativa tituli ad alium quemdam praelatum spectet. Estque istitutio haec ad sacramenta administranda clerico curato, in quo solo requiritur, necessaria.

Praeter episcopum competit 1. Capitulo, sede vacante. 2. Vicario generali episcopi, vel capituli sede vacante. 3. Praelatis, qui in certi territorii clerum, et populum jurisdictionem quasi episcopalem exercent. 4. Competere potest etiam aliis praelatis, licet jurisdictionem quasi episcopalem non habeant, si ad hoc muniti sint privilegio apostolico.

In decernendo an etiam consuetudine, vel potius praescriptione acquiri jus institutionis authorizabilis possit, jus antiquum a novo differt. Nam jure antiquo solum reprobatur praescriptio longi temporis, vel etiam longissimi, si titulo non sit suffulta; non vero si titulo suffulta sit, aut immemorialis sine titulo. Itaque dicendum, spectato jure veteri posse per consuetudinem, vel praescriptionem 40 annorum cum titulo, vel immemorialem sine titulo acquiri jus institutionis authorizabilis. Jure novo autem dicendum, jurisdictionem authorizabilem in beneficiis curatis, quamdiu illa a jurisdictione episcopi non eximuntur, contra hunc a praelatis inferioribus non amplius, ullo tempore praescribi posse.

Conditio adjecta in capellae vel beneficii curati fundatione, ut clerici pro cura animarum instituendi approbatio competat praelato cuidam inferiori, habetur pro non adjecta, et episcopus adhuc in eam se potest intromittere.

Regulariter institutioni necessario praemittendum est examen instituendi; excipiantur tamen tres casus. 1. si praesentatus, electus, seu nominatus quis sit ab aliqua universitate, seu collegio generalium studiorum. 2. Si episcopus patronus praesentat clericum suae dioecesis instituendum ab episcopo alterius dioecesis. 3. Si praesentatus absens notus est ordinario, quod praesumitur de dioecesano instituentis, maxime si ab isto suscepit ordines.

Investitura et missio in possessionem beneficiorum fieri potest, exclusis laicis quibuscumque sub poena excommunicationis, a solo

superiore ecclesiastico, et cui ille ipsam commiserit. Hinc licet proprie actualis missio in possessionem spectet ad archidiaconos, potest autem etiam fieri ab episcopo, et ita plerumque solet in ecclesiis parochialibus, et aliis inferioribus per vicarios, decanos rurales, et alios commissarios; in collegiatis ecclesiis collegas suos in possessionem passim mittunt, ac titulum admittunt a patronis forte datum collegia et capitula.

Ut legitime fieri possit missio in possessionem, si alius adhuc sit in possessione beneficii citari debet, etsi beneficium amiserit quoad titulum. Tribus casibus hac citatione non est opus. 1. Quando notorium est, quod possessori nullum competat jus retinendi beneficium. 2. Quando, antequam beneficium conferretur alteri, possessor citatus est, et contra eum praevia cognitione pronuntiatum. 3. Quando beneficium amissum est ipso jure propterea, quod ejus possessor offenderit aliquem S. R. E. cardinalem.

Quod si citatus possessor compareat, missioni in possessionem praemittenda est cognitio de collatione beneficii facta ei qui in possessionem est inducendus summaria tamen, sine strepitu, et figura judicii. Neque admittitur exceptio possessoris, nisi ea sit de crimine cum infamia, vel de defectu canonici tituli, aut alia similis vel manifesta, vel in continenti probanda.

Missio in possessionem diversimode fit pro locorum diversitate, et ipsorum etiam beneficiorum qualitate. Episcopi investiuntur, et in episcopatuum suorum possessionem mittuntur per installationem, ut vocant; Abbates, hisque similes praelati fere per inductionem in ecclesiam, et collationem in sede abbatiali; canonici per assignationem loci, ac sedis in choro, ac capitulo.

Magis diversa est consuetudo in investitura parochorum, et aliorum beneficiatorum; nam in quibusdam dioecesibus fit per inductionem in ecclesiam, osculum altaris, et similes actus in ecclesia exercitos; in aliis per contactum januae clausae ecclesiae, et reserationem illius. In pluribus locis investituram accipiunt parochi ritu solemni, quem vocant *in spiritualibus*, quo peracto *traditio* ita dicta *temporalium* sequitur. Hanc posteriorem in quibusdam locis patroni, advocati ecclesiarum et domini territoriorum privative quoad episcopum sibi arrogant, licet jure commune eis praesertim laicis non concessam.

Possessio beneficii apprehendi potest per procuratorem qui habeat ad id vel speciale mandatum vel saltem generale quoad negotia beneficialia.

Eadem investitura, qua dignitatum, et beneficiorum possessio acqui-

Digitized by Google

ritur, etiam acquiritur possessio rerum et jurium ad ea pertinentium, si quidem illa vacent, eaque non obtineat alius.

Missio in possessionem beneficii eosdem habet effectus quos aditio possessionis rerum aliarum et jurium. Ac quamvis de se titulum, et jus non tribuat, ex illa tamen titulus in subjecto capace praesumitur, quantoque ipsa est diuturnior, tanto fortior est justi tituli praesumptio censeturque ipsa orta ex justo titulo. Dat quoque praescribendi conditionem; ita, ut qui per tempus jure designatum beneficium bona fide, et cum titulo colorato sine simoniaco ingressu possedit, non tantum in foro externo tutus sit, sed vere etiam praescribat, et titulum acquirat, ita, ut tutus etiam sit in conscientia. Ut hujusmodi titulus inducatur non opus est decennio, vel vicennio, sicut ad praescribendas res immobiles, et jura alia, sed sufficit triennium annalis autem, etiam bonae fidei, et pacifica possessio non sufficit.

Si praelatus simpliciter solum, et sine signo investituram denotante beneficium contulit, aut praesentatum instituit, institutus beneficii possessionem, etiam vacuam, propria authoritate apprehendere non potest. Quod si illud factum sit a potestatem habente praelato tradendae possessionis cum titulo, factumque cum signo aliquo investituram denotante, cum traditione scilicet bireti, annuli etc. hujusmodi traditione intelligitur etiam data licentia propria authoritate apprehendendi possessionem vacantem beneficii.

Si quis possessionem beneficii, cujus titulum habet, propria authoritate, interveniente violentia adiit, in poenam temeritatis ipso jure et facto amittit titulum beneficii, et omne jus quod ante ipsi in eo competebat, si autem nulla interveniente violentia, poena arbitraria a judice est puniendus, ipsum tamen beneficium non amittit.

Ut ecclesiarum, dignitatum, et beneficiorum collatio, et in ea institutio valeant, necesse est, ut expectetur eorumdem vacatio.

Vacare tunc dicitur beneficium, quando proprietario, vel possessore caret. Potest autem haec beneficiorum, et ecclesiarum vacatio tribus modis contingere, videlicet vel de facto tantum, vel de jure tantum, vel de facto, et de jure simul.

De facto tantum vacat beneficium, quando sola ejus possessione amissa, titulus, et jus seu proprietas retinetur: item quando collatum illud alicui est quoad titulum, nondum tamen possessio ejusdem tradita; aut quando beneficiatus ista per vim exutus, et beneficio depulsus est, nec alius occupavit possessionem illius.

De jure tantum vacat beneficium tunc quando beneficiarius quidem amisit jus, et titulum beneficii, possessionem tamen retinet: et haec vacatio dupliciter induci potest, vel per sententiam judicis, qua clericus in poenam criminis a se commissi privatur jure, titulo beneficii: vel ex dispositione ipsius juris decernentis beneficium ipso facto vacare.

De jure et facto simul denique vacat beneficium, quando nec titulus, nec possessio ejusdem apud aliquem est: quo modo vacat, quando beneficiarius est mortuus, vel beneficium resignavit, aut illo actualiter privatus est, antequam id alteri conferatur.

Ad hoc ut beneficia vacent per mortem naturalem beneficiati plura requiruntur.

1.° Ut beneficium illud situm sit in ecclesia numerata, secus cum defuncto extinguitur.

2.° Ut beneficium tale non sit suppressum ab habente potestatem, vel unitum accessorie alteri beneficio. Idem dicendum, quando beneficium pertinet ad mensam praelati, vel capituli.

3.° Ut beneficiatus habuerit jus in re, seu quasi dominium in beneficio.

His autem concurrentibus, beneficium per beneficiarii mortem ita vacat, ut etiam si ille a morte miraculose resurgeret, nullum tamen amplius habiturus esset jus ad illud recuperandum.

Casus, quibus beneficium vacet ex dispositione juris, plures hujusmodi assignari solent, 1. si beneficiarius contraxit matrimonium valide, 2. si religionem ab ecclesia approbatam professus est, 3. si secutus est militiam saecularem, 4. si assecutus est beneficium incompatibile. 5. si beneficii sibi collati possessionem vi occupavit, 6. si obtinens parochialem ecclesiam non suscepit sacerdotium intra annum a die adeptae possessionis, vel quo stetit per ipsum, quominus adipisceretur. 7. si litigans de beneficio sequestrationem decretam impedit, aut fructus sequestratos quoquo modo occupare praesumit, 8. si commisit crimen, cui privatio beneficii ipso jure annexa est, qualia sunt haeresis, sodomia saepius exercita, assassinium, falsificatio litterarum apostolicarum etc. de quibus jura passim, atque DD. 9. si praelatus bona, seu res ecclesiae immobiles, aut mobiles pretiosas, non servatis solemnitatibus juris, vel summo pontifice inconsulto, alienavit, 10. si episcopus electus, justo impedimento cessante, intra tres menses post consensum electioni praestitum non petiit confirmationem. 11. si ante confirmationem, vel institutionem se ingessit administrationi, 12. si ele-

ctus ad episcopatum, et hujus pacificam possessionem assecutus, consecrationem ultra tempus jure definitum distulit.

Inter privationem beneficii ipso jure decretam, et eam quae per judicis sententiam inferenda est multiplex discrimen interest; nam

1.° Qui per sententiam solum privandus est beneficio, fructus ante illam perceptos suos facit nec restituere eos tenetur post sententiam; quos tamen restituere tenetur etiam perceptos ante sententiam declaratoriam criminis, qui ob crimen ipso jure beneficio privatur.

2.° Beneficio privandus per sententiam judicis permutare et resignare ante eam ita illud potest, ut permutatio, et resignatio rescindi nequeat. Ipso jure beneficio privatus vel permutare et resignare illud non potest, vel si potest permutatio et resignatio sic facta rescinditur.

3.° Beneficium ipso jure amissum, impetrari, et conferri alteri potest, criminoso non vocato; non ita auferri, alioque conferri potest beneficium, quo criminosus per sententiam judicis privandus est.

4.° Beneficium, quo quis ob crimen ipso jure privatus est, non vacat morte beneficiati sic privati, utpote quod jam prius vocavit; at beneficium, quo quis privandus est per sententiam, si beneficiarius ante hanc moriatur, non e causa delicti, sed mortis vacat.

5.° Ut privetur quis beneficio per sententiam judicis, non requiruntur crimina adeo gravia; non ita in jure.

Beneficium de facto tantum vacans alteri conferri non potest, sicuti e contra potest conferri quod de facto et jure simul est vacans.

Quando vacat de jure tantum, non autem de facto, eo quod alius sit in possessione, si colorata haec sit, ut beneficium vacans impetrari conferrique possit duo requiruntur. *Primum est* ut in rescripto impetrationis, et provisionis mentio fiat possessionis coloratae; alioquin impetratio et collatio subreptitia, nullaque erit. *Alterum est*, ut antequam conferatur beneficium tale, prius citetur ejus possessor, et praecedente summaria cognitione causae, cassetur possessionis color, sive ejus injustitia ostendatur. Neutrum ex praedictis requiritur, si possessio colorata non sit. In possessione colorata clericus tunc esse dicitur, quando beneficium accepit a legittimo collatore, et institutio seu collatio notorie non est irrita, licet jus, et titulus ejus non subsistat propter defectum occultum. Procedit hoc omne quod diximus de collatione tantum, non vero de missione in possessionem.

Ex dictis semper est necessarium vacans esse beneficium, nec de

facto tantum, ut alteri conferri a quocumque collatore qui papa inferior sit, possit.

Duplex autem a jure statuitur poena in eum qui in beneficio non vacante, aut solum vacante defacto et non de jure scienter se institui passus est. *Primo enim*, praeterquam quod a beneficio sic obtento repellendus est, etiam excommunicatur. *Secundo*, si beneficium illud postea vacet, obtinere id amplius non potest sine apostolica dispensatione.

Beneficium non vacans ne promitti quidem potest, in casum, quo illud per obitum renuntiationem etc. vacaverit. Neque ejusmodi promissio de praebenda, seu beneficio viventis tenet et convalescit, etiamsi scriptura sit firmata, et facta sit cum consensu ejus qui illud obtinet. Extenditur jus istud etiam ad patronos; nam neque isti promittere possunt, quod praesentare aliquem ad beneficium vacaturum velint; atque adeo extenditur, ut neque patroni potestatem alteri in specie dare ut praesentet ad certum beneficium, cum vacabit, neque delegare episcopus vel alius collator pontifice inferior potestatem conferendi beneficia proxime vacatura possit.

Quod si hujusmodi promissio de conferendo alicui beneficio fiat, adjecta clausula in genere, *cum potero*, *vel cum se facultas*, *aut occasio obtulerit*, jure antiquo valida erat: at jure novo prohibita et irritata est, ita, ut, etiamsi promissioni juramentum apponatur, viribus hoc et valore omnino destituatur.

Gratiae expectativae, et mandata de providendo ex Trid. nulli alteri competunt, nisi Summo Pontifici.

Tempus intra quod conferri debent beneficia vacantia varium est, siculi varia beneficia.

Si beneficium vacans sit *collativum*, seu liberae collationis conferri debet intra sex menses. Regula haec servari semper debet nisi provisio a papa sit expectanda, aut collator sit legatus a latere, et nuntius sedis apostolicae, aut beneficia conferenda ad ecclesiam non numeratam spectent.

Si beneficium, dignitas, vel praelatura vacans sit *electiva*, attendendum est, an sit praelatura regularis vel principalis in ecclesia cathedrali, an vero dignitas, officium, aut beneficium aliquod inferius. *Si hoc secundum*, electores etiam ipsi semestre habent intra quod electionem faciant. *Si primum*, hujus modi praelaturae ultra tres menses vacare non debent.

Si denique beneficium vacans sit *patronatum*, videndum est, an sit subjectum patronatui laico, an ecclesiastico; nam *si laico*, quatuor ipsi menses ad praesentandum conceduntur; sex vero

si ecclesiastico. Institutio autem praesentati, confirmatio electi, et collatio beneficii ex causa permutationis, resignati, certum a jure tempus nullum praefixum habet. Recurri autem potest ad Superiorem ut praefigatur, si is cui ea facere pertinet, diu differat.

Semestre ad conferendum beneficium a jure praefixum incipit currere collatori non a tempore, quo vacaverit beneficium, sed tempore, quo collator habuit notitiam vacationis. Hinc ignoranti, et impedito sive juris, sive facti impedimento semestre istud non currit.

Tempus hoc quod praefixum est collationi beneficiorum sub aliquo respectu est utile, sub alio continuum. *Utile* est, quia non currit impedito, et ignoranti. *Continuum autem*, quia currit etiam diebus feriatis.

Alleganti impedimentum, vel ignorantiam, ut post semestre conferre beneficium possit, iucumbit probatio, si sit collator ordinarius.

Paena non conferentium beneficia vacantia intra tempus a jure praescriptum est, quod potestas conferendi pro illa vice devolvatur gradatim ad superiorem, qui proinde non tantum conferre ejusmodi beneficium devolutum potest, sed etiam inducere in possessionem illius, vel saltem praecipere, ut provisus in eam inducatur. Neque semestre lapso, amplius licet purgare moram, etiamsi superior jure devolutum nondum contulerit.

Ad hoc ut jure devoluto beneficium vacans conferri possit requiritur. 1. ut beneficium illud sit vere vacans, non extinctum. 2. Ut sit superior, non qualiscumque, sed is ad quem spectat confirmandi electum, vel instituendi praesentatum. 3. Ut tempus collationi a jure praefixum finitum sit.

Quia in dies accidit cathedrales ecclesias suis pastoribus ex hac luce subtractis viduari, ne tempore vacaturae, dum nemo est, qui episcopale jus tueatur, detrimentum patiatur ecclesia vacans, traditur pro regula, *sede vacante non esse aliquid innovandum*, sed omnia in suo statu relinquenda usque ad confirmationem novi episcopi. Cum vero huic regulae e diametro adversari videatur altera aeque communis, quod videlicet sede vacante jurisdictio episcopi transeat in capitulum ecclesiae cathedralis; hinc disquirendum, ad quae tunc temporis potestas capituli episcopum suum repraesentantis extendatur, adeoque in primis quaenam causae, et negotia pertractari a capitulo, sede vacante, possint.

Propterea distinguendum est inter ea, quae episcopo competunt jure

ordinario, et tamquam episcopo, et inter illa, quae eidem competunt ex speciali privilegio, commissione, vel ut sedis apostolicae delegato. *Illa, quae primi sunt generis*, capitulo, sede vacante permissa censentur omnia, iis dumtaxat exceptis, quae eidem expresse prohibita inveniuntur.

Contra de iis quae secundi generis sunt, dicendum illa, sede vacante, ad capitulum non transire; sed locum habebit regula, quod sede vacante, nihil sit innovandum, nisi specialiter id sit permissum.

Potestas et jurisdictio praelati, quod ea quae pertinent ad disciplinan. regularem, sede vacante etiam transit ad conventus, et capitula regularia; quoad cetera vero distinguendum est inter ecclesias regulares (idem dic de collegiatis) pleno jure exemptas, et inter non exemptas. Nam *in ecclesiis pleno jure exemptis* capitulum sede vacante omnem jurisdictionem, et potestatem habet, quam ordinario jure habebat ipse praelatus. Secus, *si non sint exemptae*.

Jure antiquo capitulum ea quae ad jurisdictionem et administrationem episcopalem pertinent, sede vacante, per seipsum tractare poterat; at jure novo pro administratione temporalium oeconomum unum vel plures, pro spiritualium vero officialem, sive vicarium constituere, vel existentem confirmare debet qui nomine capituli administrationem istam in se suscipiant.

Circa constitutionem, officium, et potestatem sequentia sunt notanda.

1.° Vicarius pro spiritualibus a capitulo constitui, vel confirmari debet intra octo dies ex Trid.

2. Idem dicendum ex ordinaria praxi de deputando oeconomo, judicibus foraneis, ac pedaneis, aliisque officialibus, et administratoribus, quos regimen diœcesis exposcit.

3.° Infra octo illos dies, intra quos vicarius eligi a capitulo, vel confirmari debet, antequam iste eligatur, administratio jurisdictionis residet penes totum capitulum.

4.° Officium œconomi in eo situm est, ut res et jura ecclesiae servet illaesa, sive in eo statu, in quo fuerunt tempore inductae vacationis: item ut colligat et custodiat fructus, ac reditus ejus, qui decessit, in praelaturam successori, cui etiam, si id exigat administrationis suae rationem tenetur reddere, etsi illam jam reddidisset capitulo.

5.° Eadem obligatio reddendi rationes officii sui, si id successor petat, incumbit vicario generali capituli. et aliis judicibus ac officialibus, qui sede vacante constituti, vel confirmati sunt.

Digitized by Google

Potestas competens capitulo regulari vacante sede, debet et ipsa per alium exerceri. Sed quemnam illum? an per priorem, praepositum, vel decanum claustralem, an per aliquem de novo eligendum? Respondendum cum distinctione. Si superiores hujusmodi a solo praelato constituti sunt, quoniam, praescindendo a consuetudine, eorum officium et potestas praelati regularis morte extinguitur, hinc ut continuare officium suum possint, opus est, ut a conventu confirmentur, quod etiam plerumque fit. Si vero ii superiores etiam a capitulo regulari sunt constituti, officium illorum nec praelati morte exspirat, nec suspensione suspenditur.

Beneficia *liberae collationis* soli episcopo spectantis, conferre capitulum sede vacante nequit, sed eorum collatio est reservata Summo Pontifici.

Beneficia *liberae collationis* ad episcopum et capitulum simul pertinentis, potest capitulum, episcopo mortuo, vel a collatione beneficiorum suspenso, conferre; sicut vicissim conferre eadem episcopus potest si capitulum vel prior ejus pars excommuicata, suspensa vel aliter sit impedita.

In collationibus beneficiorum *necessariis* capitulum sede vacante, succedit episcopo, et proinde expectare non debet tempus sedis implendae. Et hinc capitulum sede vacante potest praesentatos sibi a patrono clericos instituere; electionem confirmare vel infirmare; potest conferre beneficia, quae vi institutionis, seu fundationis debentur alicui certae personae v. gr. clerico seniori ex familia fundatoris: quae propter negligentiam collatoris inferioris ad episcopum sunt devoluta: quae vacant ex necessaria permutatione; uno verbo alios hujusmodi jurisdictionis necessariae actus exercere.

Beneficium autem quod ad collationem episcopi quidem spectat, sed non omnino liberam, cum in erectione illius cautum sit, ut illud episcopus conferat cum consilio vel consensu capituli, sede vacante conferre nequit capitulum.

Resignationes vero beneficiorum quae ad collationem episcopi pertinent, possunt a capitulo utique, vacante sede, admitti.

Potest quoque capitulum sede vacante unire ecclesias et beneficia, modo unio non fiat in favorem capituli, eaque jus episcopi non diminuatur: ecclesias unitas nequit dissociare.

Ad capitulum, sede vacante, non transit facultas supprimendi canonicatum, vel praebendam, ut per hujus reditus augeantur proventus aliarum praebendarum, quae ad sustentationem beneficiati sufficientes reditus non subministrant.

Digitized by Google

Actus in specie qui vi jurisdictionis ad se translatae capitulo sede vacante competunt, hi passim recensentur.

Et 1.° Potest capitulum sede vacante condere statuta modo iis dignitati, vel mensae episcopali non praejudicetur: obligabuntque statuta haec dioecesim totam.

2.° Potest cognoscere de omnibus causis ad episcopale solum pertinentibus, etiam beneficialibus, decimalibus, matrimonialibus, et criminalibus.

3.° Potest in crimina eorumque authores procedere, commeritas poenas iisdem infligere, censuras ferre, et ab his intra episcopalis jurisdictionis ordinariae fines absolvere.

4.° Potest dispensare in irregularitatibus, ac suspensionibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario et aliis ad forum contentiosum deductis.

5.° Potest assistere contractui matrimonii, et licentiam assistendi dare aliis sacerdotibus, dispensare in ejus contrahendi denuntiationibus, in votis, et juramentis, non tamen in reservatis, et iis denique plerisque casibus quibus ob difficultatem recursus ad sedem apostolicam dispensatio episcopo est permissa.

6.° Potest dare licentiam novitiis disponendi de suis bonis, monialibus egrediendi ex suis monasteriis et aliis ea ingrediendi etc.

7.° Potest approbare, et exponere sacerdotes pro excipiendis poenitentium confessionibus etc.

8.° Tandem uno verbo ea omnia potest quae pertinent ad potestatem, et jurisdictionem episcopi, in quam omnem, iis solum exceptis quae specialiter prohibentur, vacante sede, succedit capitulum.

In iis actibus autem capitulum episcopo non succedit, quae ex speciali privilegio et jure episcopo competunt, nisi casu, quo id quod ita concessum episcopo reperitur, in ordinariam illius potestatem transit; nam in tali potestate capitulum succedit.

Capitulum sede vacante ad morum reformationem potest visitationem decernere, et ad hanc obeundam personam idoneam constituere.

Spectato autem jure, dicendum videtur, jus visitandi monasteria monialium exemptarum ad capitulum, sede vacante, non transire.

Merito quoque indulgentias concedendi facultas necnon potestas ex crimine haeresis in subditos exemptos procedendi, capitulo sede vacante denegatur.

Aliqui putant capitulo ecclesiae metropolitanae, sede vacante, transire solum jurisdictionem, quae competit archiepiscopo, ut epi-

scopo non vero ut archiepiscopo. Contrarium vero alii, et verius, ut videtur, defendunt juxta quos capitulum, sede archiepiscopali vacante, archiepiscopo suo succedit in omnibus, praeterquam in iis, quae jure speciali sunt prohibita, vel commissa personaliter archiepiscopo.

Capitulum, sede vacante, debet vocari ad synodum provincialem: potestque eo casu mittere vicarium generalem capitularem cum speciali mandato; et tunc habet votum decisivum, licet sede plena tantum habeat consultivum.

Capitulum, et ab hoc deputatus œconomus ex justa causa, sede vacante, potest alienare res bonaque Ecclesiae, quae servando servari nequeunt, sed tempore interitura sunt, neque opus est ut interveniat authoritas superioris. Bona vero, quae servando servari possunt, si ad Ecclesiam Cathedralem pertineant alienare regulariter non potest sine apostolicae sedis authoritate. Quod si spectent ad ecclesiam aliquam inferiorem v. g. regularem, vel collegiatam subjectam episcopo tunc capitulum seu conventus, sede inferiore, seu praelatura vacante, una cum episcopo, qui immediati praelati vicem subit, praevia causae cognitione alienationem facere potest, dummodo causa sit valde gravis, ob quam expectari non possit, dum novus praelatus constituatur.

Idem dicendum est de ecclesia exempta, et immediate subjecta romano pontifici.

Capitulum, sede vacante, judicium sive litem super ecclesiae cathedralis aut inferioris quidem sed exemptae bonis et juribus inchoare, nec a praelato defuncto antea inchoatam sive agendo sive respondendo prosequi potest.

Idem quoque obtinet si ecclesia inferior cathedrali et subjecta episcopo sit vel collegiata, vel conventualis: nisi aliud exigat necessitas aliqua, aut vacatio sit diu duratura.

Si vero ecclesia illa cathedrali inferior, et subjecta episcopo, nec collegiata neque sit conventualis, ejusdem jura et res, praesertim si diu vacet tueri episcopus potest: et quia potestas ista jure ordinario eidem competit, ab hoc transibit ad capitulum, sede vacante, quod proin etiam alienationes a tali ecclesia faciendas approbare poterit.

Quod diximus supra, de ecclesiae cathedralis vacantis juribus, et rebus judicium agitari non posse, non de omnibus omnino intelligendum. Nam super iis quae propria sunt capitulo, et divisa a praelaturae bonis, ita, ut capitulum quoad illa administrationem separatam habeat, capitulum convenire, et conve-

niri per procuratorem, vel syndicum, sede etiam vacante potest. Secus de cœteris.

Capitulum, sede vacante, bona ad mensam episcopalem pertinentia, ad suam sive capitularem mensam transferre sine apostolicae sedis authoritate nequit.

Capitulnm, sede vacante, non succedit in jurisdictione feudali, si hujusmodi feudum spectet ad solum episcopum. Si vero ad hunc et capitulum simul pertineat, de illo cognoscere potest et infeudare, si ex consuetudine feudum iterum conferri possit: quod multo magis verum est si feudum spectet ad solum capitulum.

Sicut capitulum, sede vacante, circa administrationem rerum ecclesiae multa non potest, ne praejudicet ecclesiae, vel praelato futuro, ita et praelato soli plura non licent, ne ipse praejudicet capitulo. Hinc ad pleraque alicujus momenti negotia, ut ea gerere praelatus possit, ss. Canones voluerunt capituli consilium, et aliquando etiam consensum accedere.

Actus qui a praelato exerceri debent cum consensu capituli plures a DD. passim enumerantur. Et talis est

1.° *Alienatio rerum ecclesiasticarum*, quae si fiat absque *collaudatione et subscriptione clericorum* irrita omnino est.

2.° *Praesentatio vel collatio beneficiorum ecclesiasticorum*, in qua consensus capituli tacitus sufficit si ea pertineat ad solum praelatum, ita tamen ut facienda sit cum consensu ejusdem capituli.

3.° *Unio ecclesiae vel beneficii vacantis*: imo hodie, si agatur de beneficiis curatis, consensus papae requiritur.

4.° *Constitutio pensionis, aut certae portionis fructuum in alia ecclesia.*

5.° Quando episcopus quinquagesimam partem redituum, aliorumque rerum ecclesiae suae impendere vult ad ecclesiam de novo construendam, aut constructam dotandam, convertendam in regularem etc.

6.° Quando contra aliquem, vel aliquos de capitulo est procedendum ad pœnam commissi delicti etc.

7.° Denique in omnibus negotiis in quibus ecclesiae, et successoribs notabile praejudicium generari potest: quaeque ad praelatum, et capitulum simul spectant.

Consilium autem capituli de jure necessarium est

1.° in condendis statutis.

2.° institutione, et destitutione clericorum.

3.° in corrigendis, et puniendis eorumdem defectibus.

Digitized by Google

4.° in rerum ecclesiasticarum administratione extra alienatione.
5.° uno verbo in ceteris omnibus alicujus momenti negotiis.

Casus, in quibus episcopus negotia tractare sine capituli consensu potest sunt hi

1.° Si hoc suadeat justa, et rationabilis causa
2.° Si belli vel contagionis metu capitulares omnes diffugerunt, et actus differri non posset.
3.° Si sint negotia exigua, et minoris momenti.
4.° In causis notoriis, et quando manifestum est, quid sit agendum.
5.° in iis, quae episcopus agit jure, et potestate ad se devoluta.

Consuetudine induci potest, ut episcopus, vel alius praelatus negotia ecclesiae tractet, et jurisdictionem exerceat, non requisito consilio, vel consensu capituli. Ad introducendam vero consuetudinem, actus frequentati sufficiunt in casibus quibus dubitatur, an in actu aliquo specifico consensus requiratur vel consilium: at in casibus, quibus id jure est decisum, non sufficiunt, sed concurrere debebunt illa quae de consuetudine contra legem introducenda requiruntur.

Episcopus, cum de novo monasterio erigendo agitur, sufficit, si adhibeat consilium, quin capituli consensu opus habeat.

Latum inter consilium dumtaxat capituli, et ejusdem consensum necessarium discrimen est;! nam qui facere aliquid debet cum alterius consensu, non tantum hunc requirere, sed etiam sequi debet. At vero, qui praecise aliquid agere debet cum consilio alterius debet quidem istud exquirere, et debito tempore expectare, regulariter tamen necessario illud sequi non tenetur.

Quando ex lege, vel mandato imponitur alicui obligatio ad agendum cum consilio alterius, actus factus non requisito consilio, semper nullus minime adjudicatur; nisi celebratus sit in quibusdam casibus specialibus, quos DD. passim adnumerant.

Capituli nomine intelligitur congregata universitas, sive collegium clericorum, qui sub uno praelato, ut membra sub uno capite, degunt; et cum eo unum corpus constituunt.

Capitulum dividitur in saeculare et regulare. *Saeculare* est, quod constituitur ex clericis saecularibus; *regulare*, quod ex regularibus. Prius subdividitur in cathedrale, et collegiale. *Cathedrale* est, quod in ecclesia cathedrali, *collegiale*, quod in collegiata, et cathedrali inferiore est constitutum. Si ecclesia cathedralis sit metropolis, capitulum illius *metropolitanum* dicitur.

Digitized by Google

Ad capitulum saeculare pertinent soli canonici, ad regulare soli professi adeoque 1. a capitulo regulari excluduntur *novitii*, a saeculari *clerici portionarii*, et ceteri beneficiati in eadem ecclesia. 2. *Dignitates*, quarum possessores non sunt simul canonici. 3. *Episcopus*, vel *praelatus*.

Jure antiquiori capitulum constituerunt, sive vocem activam, et suffragium habebant omnes canonici in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis, et omnes professi in monasteriis religiosorum. Hodierno tamen jure communi vox activa, sive jus ferendi suffragii in capitulo iis dumtaxat canonicis, et professis competit, qui in majoribus sunt constituti. Sufficit autem spectato jure communi, si talis canonicus, vel religiosus sit constitutus in ordine subdiaconatus; nisi privilegio, statuto speciali, aut consuetudine aliud obtentum sit.

Casu, quo in aliqua ecclesia statuto vel consuetudine receptum est, ut qui vocem in capitulo habent, sint aetatis 24 annorum, spectato jure communi, et seclusa speciali observantia talis statuti, admissionem ad illud non potest jure suo petere canonicus qui annum vigesimum quartum non implevit.

In convocatione capituli haec sunt notanda.

1.° Potestas hoc convocandi principaliter spectat ad praelatum ecclesiae, videlicet ad Episcopum, Abbatem etc. qui si rem majoris momenti capitularibus suis proponendam habeat, id non aliis committere, sed ipse tractatui personaliter interesse, vota singulorum exquirere, et secundum ea concludere debet. Quodsi vero sedes vacaverit, aut negotium fuerit tale, quod in commodum, et utilitatem praelati redundat, vel praecise concernit capitulum, jus convocandi illud non ad Vicarium seu officialem episcopi, sed ad unum ex capitulo, ad quem de jure vel consuetudine spectat, v. gr. praepositum, decanum, vel seniorem illa potestas convocandi capitulum pertinebit.

2.° Episcopus potest capitulum pro lubito convocare dummodo non proponat causam ad commodum suum, suorumque spectantem. Similiter capitulum ipsum se congregare valet quandocumque voluerit dummodo id fiat solitis et destinatis diebus neque eo tempore, quo divina officia celebrantur. Convenire autem debent in loco solito, nisi alium capitulares pro suo conventu elegerint, modo locus ille sit honestus, tutus, et non clandestinus, et mutatio non fiat in fraudem.

3.° Ordinarie requiritur et sufficit si ad actus capitulares, v. gr. ad tractatum de rei immobilis alienatione vocentur ii omnes qui in loco praesentes, aut non procul absentes sunt.

Digitized by Google

4.° Si, qui capitulo interesse possunt, vocati sint et non comparent, quia non volunt, ceteri in negotio possunt procedere. Si neglecti autem sint et non vocati, iterum videndum an unus, vel aliqui tantum contempti, seu non vocati sint, an vero plus quam tertia pars vocandorum. *Si primum*, id quod a reliquis in eorum absentia gestum est, jure quidem subsistit, neglecti tamen, vel neglectus in irritum illud revocare possunt. *Si secundum*, tractatus, et in eo decreta ipso jure sunt irrita, ob defectum potestatis ad aliquid decernendum sufficientis.

5.° Idem jus obtinet etiam in casu quo statutum extet, cum clausula quod negotia saltem graviora ecclesiae tractata omnibus capitularibus in loco praesentibus non vocatis, decretaque, sint habenda pro nullis: statuta enim et iisdem etiam juramenta addita interpretationem a jure communi recipiunt.

Ut canonicorum consensus sit legitimus, sufficit regulariter, si capitularium major, et sanior pars suffragiis suis id, quod ab iisdem in capitulo actum est, probet, dummodo duae partes eorum, qui adesse debent, possunt, et volunt, sive in loco praesentium, et vocandorum fuerint congregatae. Estque consensui majoris partis hoc casu ea vis, ut minorem obliget etiam invitam.

Seclusa speciali consuetudine, vel statuto, casu quo capitularium, seu suffragiorum numerus impar est, ad actum capitularem sufficit consensus partis dimidia tantum voce majoris.

Si capitularium vota sint paria, praelatus suo consensu majorem partem non potest efficere. Quae ut legitime fiat, connumerari etiam debent ii, qui contempti sunt, seu non vocati, cum vocari ad capitularem actum debuissent, et commode potuissent.

In actibus capitularibus ea majori et saniori parti vis inest ut ad se minorem trahat. Tunc autem minor contradicere decreto partis majoris potest, et se ad illius executionem opponere, cum irrationabiliter decretum est, idque eadem coram superiore capituli vel electis arbitris probet. Non tenetur tamen aperte atque expresse contradicere si ad actus alicujus valorem necessario requiritur consensus expressus, ut ad electionem, alienationem etc; tenetur tamen si sufficiat consensus tacitus.

Si decretum a majore parte vergat in detrimentum ecclesiae, vel singulorum, qui sunt de capitulo, contradicens etiam appellare ad superiorem potest, quin tamen id necesse sit quamvis plurimum commodi afferat. Quod si vergat in solum tertiae cujusdam personae damnum appellare nequit.

Si id, de quo a capitulo consultatur, est in bonis ipsius collegii

Digitized by Google

seu universitatis valet decretum partis majoris etiam contradicente minore. Si contra in bonis singulorum adhibenda est distinctio, et videndum an id, de quo consultatur, sit in bonis singulorum patrimonialibus, vel quasi, an vero intuitu ecclesiae quaesitum sit. *Si prius*, major pars collegii, vel communitatis non potest aliquid statuere in praejudicium partis minoris, hac contradicente. *Si posterius contingat*, et id, de quo consultatur, pertineat quidem ad singulos de capitulo sed intuitu ecclesiae ab ipsis acquiratur, quales sunt reditus ecclesiastici, applicanda *altera distinctio*, et considerandum in quem finem bona ejusmodi separare, et applicare decreto suo pars major velit; nam si applicanda sunt in bonum ecclesiae ipsius: hoc casu datis quibusdam adjunctis potest pars major contra minorem et in hujus praejudicium aliquid decernere. Quodsi vero a majore parte in praejudicium minoris aliquid decernatur pro opere quidem pio, sed extraneo, sive quod ad ecclesiam vel capitulum non multum spectet neque necessarium utileve sit, eo casu potest minor pars, vel etiam unicus, majoris partis decreto se opponere.

Pensio sic dicta *a pendendo*, *est jus percipiendi portionem aliquam, fructuum ex beneficio alieno, alicui justa de causa sive ad tempus, sive in perpetuum concessum.*

Alia est laica, seu temporalis, alia clericalis, seu ecclesiastica. *Laica* dicitur quae datur ob ministerium temporale, et laico etiam conferri potest. *Clericalis*, seu *ecclesiastica* dicitur, quae in pensionario, seu illo, cui conceditur, statutum clericalem exigit. Haec iterum duplex est; una *simpliciter spiritualis*: quia datur clerico ob ministerium spirituale. Altera *media*, *seu mixta* quae fundatur quidem in statu clericali, sed ob aliam causam qua spiritualis defertur.

Pensio sive laicalis, sive ecclesiastica, nec beneficium est, nec beneficii nomine comprehendi potest.

Pensiones imponere potest 1. pontifex, easque non solum temporales, sed etiam perpetuas 2. episcopus temporalem saltem, et quae ad vitam pensionarii duret. Perpetuam enim pensionem episcopus, et quicumque alius praelatus papa inferior imponere non posse certum est. Saltem vero vi consuetudinis episcopi imponere possunt pensiones se extendentes ad vitam pensionarii seu ejus, cui pensio solvitur, ita ut si beneficiarius, in cujus beneficio constituta est, moriatur ante pensionarium, onus solvendae pensionis ad successorem transeat. Controversa ceterum res est.

Digitized by Google

In constituendis pensionibus pontifex amplissima gaudet potestate qua imponere pensiones potest quascumque, non restringitur ad certam pensionis quantitatem, vel qualitatem beneficii, cui imponitur; imo ut valida sit constitutio pensionis ab eo facta, neque causa aliqua justa, neque beneficiarii et patroni consensu indiget.

Magis restricta est facultas imponendi pensiones in episcopo; nam 1. ut recte et valide imponetur, opus est justa causa quae exprimi, nisi aliunde adpareat, et probari debet.

2.° Pensiones debent esse moderatae, ut tantum remaneat beneficiato, quo commode se sustentare, pauperum necessitati succurrere, hospitalitatem erga peregrinos exercere; jura episcopalia solvere et alia onera ipsi incumbentia praestare possit. Alias pensio imposita ad debitam quantitatem reducenda est.

3.° Si in beneficio alterius constituatur pensio, necessarius de jure est consensus saltem tacitus beneficiati, sive clerici illud obtinentis. Casu, quo beneficium, rectorem non habet, ex communi sententia beneficio defensor constituendus.

4.° Si beneficium sit patronatum, episcopus in eo pensionem maxime transituram ad successorem constituere nequit sine consensu patroni.

5.° Denique ut pensionem episcopus rite imponat aliae quaedam circumstantiae observandae sunt. Nam 1. non potest episcopus pensionem imponere ex causa resignationis, quae fit in favorem. 2. non potest episcopus etiam cum capitulo sui consensu imponere beneficiis pensiones easque applicare mensae suae, aut capitulari. 3. non potest imponere pensionem perpetuam, ne cum facultate transferendi illam ad alterum.

Pensio constitui in omnibus beneficiis potest, tam curatis, quam non curatis, saltem a summo pontifice. Excipiuntur, quae non habent abundantes reditus.

Pensio non censetur imposita super reditibus incertis, sive distributionibus quotinianis, nisi id exprimatur.

Reservatio pensionis fieri potest tum ante collationem beneficii, tum postquam collatum est, frequentius tamen fieri solet in ipsa collatione.

Si imponatur, postquam collatum est beneficium, fieri id debet cum consensu ejus cui collatum est. Si imponatur in ipsa collatione, curandum, ut reservatio illius ab omni periculo, et suspicione simoniae quam remotissima sit.

Praeter consensum beneficiarii et patroni, ac alia *supra relata* ad formam imponendi pensionem in beneficio pertinet, ut in im-

Digitized by Google

petratione illius mentio fiat pensionis alterius jam ante constitutae in beneficio.

Pensio *temporalis* concedi etiam laico potest, et non raro non ab alio tamen quem summo pontifice conceditur ob merita, et servitia ecclesiae exhibita, vel exhibenda.

Ut pensionis *ecclesiasticae* aliquis capax sit, requiritur, 1. *ut sit clericus* saltem prima tonsura initiatus. 2. *ut non sit conjugatus*. 3. *non bigamus*, 4. *non excommunicatus vel suspensus*. 5. *non religiosus*, 6. *Ut habeat aetatem legittimam*. 7. *Ut non sit irregularis* saltem ex aliquorum opinione, cui opponi s. congregatio in cremonensi videtur. Pariter de quantitate aetatis controversia est apud dd. eorum probabilior est sententia, juxta quos capax pensionis est omnis ille, qui valide, et licite charactere clericali est insignitus, quamvis sit minor 14 annis, dummodo sit major septennio.

Obligatio *beneficiarii*, in cujus beneficio constituta est pensio ecclesiastica, ea est ut, si pensionarius justificaverit pensionem, tenetur beneficiarius eam solvere, et quidem sub gravi.

Pensionarii hodie triplex est obligatio. Nam 1. tenetur recitare officium parvum B. V. 2. Pensionarius obligatur ad deferendum habitum, et tonsuram clericalem: hodie tamen haec obligatio non inest, nisi ob pensiones quae simul sumptae excedunt summam 60 ducatorum auri de camera. 3. Pro rata fructuum, quos percipit ex beneficio alieno, per se et spectato jure communi, tenetur ad onera annexa beneficio, ex quo pensionem percipit; et collectas quae propter necessitatem, vel aliam publicam causam beneficio, ejusque fructibus imponuntur.

Successor in beneficio pensione onerato tenetur solvere etiam pensiones, quas beneficiarius cedens, aut mortuus praeteritis annis non solverat, si eae extent ad successorem, aut antecessor eas convertit in utilitatem, et commodum ecclesiae; contra ab haerede solvendae si apud eum extent, aut in ejus utilitatem insumptae sint. Quod si antecessor eas male consumpsit vel in suos privatos usus impendit, tutior sententia adparet prius haeredes conveniendos; his excussis, si opus sit, recurrendum esse ad pensionum successorem.

Pensio *temporalis* a beneficiario redimi, h. e. aliquid dando, absque simonia ut obligatio pensionis per hoc extinguatur, aut etiam pretio vendi potest.

Pensio spiritualis, seu *ecclesiastica* nec redimi, nec vendi aut pretio commutari citra simoniam potest.

In pensione mixta distinguendum est inter jus antiquum, et stylum

romanae curiae. *Priori spectato*, talis pensio sine simonia tam redimi, quam vendi potest. *At de stylo curiae romanae* hujusmodi pensiones absque pontificis facultate vendi non possunt. An sine apostolica authoritate redimi queant, dissidium est inter DD. Negativa sententia veritati adfinior censetur.

Ex usu, et stylo romanae curiae constat pensiones transferri posse. An translatio haec sit proprie dicta translatio, an vero extinctio antiquae pensionis, et constitutio novae dissideut inter se DD. Hoc posterius communius defendunt.

Debet autem haec translatio fieri coram canonico ecclesiae cathedralis, vel persona in dignitate constituta, exhibitis eidem litteris originalibus, vel aliis authenticis, quibus pensionario datur facultas transferendi pensionem.

Licentiam transferendi pensionem dare solus pontifex potest.

Fieri translatio ista potest etiam in articulo mortis, in qua proinde locum non habet *regula de viginti* seu de *infirmis*: modo pensionarius, de cujus pensione transferenda agitur, sit mentis compos, et in ipsa translatione observetur forma, et modus praescriptus in litteris, in quibus facultas transferendi conceditur.

Pensiones variis modis extingui possunt. Et 1. quidem *morte pensionarii*. Quando autem moritur beneficiarius, distinguendum est, an pensio sit imposita beneficiario, ita ut solum duret ad vitam illius, an potius beneficio: nam *primo casu* morte beneficiarii et ipsa cessat: *in secundo* utpote onus reale manet.

2.° Per *matrimonium* contractum a pensionario absque pont. dispensatione.

3.° Per *promotionem ad episcopatum* non quidem de jure communi sed ex stylo curiae.

4.° Per *professionem religiosam*.

5.° Si pensionarius *miles* factus sit, et monitus militiam non deserat.

6.° Si pensionarius in perpetuum pensionem remiserit.

7.° Si pensionarius de jure obtineat beneficium, in quo fuerat ei pensio reservata.

8.° Si pensionarius monitus, ut habitum, et tonsuram clericalem deferat, non obedierit.

9.° Per crimen haeresis; laesae majestatis, aut sedis apostolicae, item si quis percusserit cardinalem, aut episcopum, in cujus dioecesi pensionem habet.

Circa reservationem fructuum beneficialium duplex prae ceteris extat juris dispositio. *Una est*, qua prohibetur episcopo collationem beneficiorum differre, ut sic ipse interim beneficii vacan-

Digitized by Google

lis fructus percipiat. *Altera est* ne episcopus, et alii collatores beneficia conferendo, aut patroni ad ea clericos praesentando fructus ex his provenientes, aut aliquam illorum partem reservent, sibi, vel consanguineis, aut amicis suis applicandam.

Reditus beneficii vacantis, aut partem eorum potest episcopus iis omnibus reservare casibus, quibus necessitas ita suadet. Communiter DD. assignant causam duplicem. *Prima* est, ut solvat debita, contracta non suo privato, sed ecclesiae, seu episcopatus nomine. *Altera* est, si reparanda sit fabrica ecclesiae cathedralis.

Ut tamen rite fiat detractio, seu reservatio ista, tria haec requiruntur. 1. Ut beneficium, cui detractio fit, reditibus abundet. 2. Detractio haec fieri debet ante vel cum collatione beneficii. 3. Fieri debet sine aliquo pacto cum illo, cui beneficium conferendum est, ne collatio evadat simoniaca.

Spectato jure communi, episcopus ex justa causa vacantium beneficiorum fructus, aut istorum partem aliquam cum capituli consensu non potest conservare applicandam suae, vel capitulari mensae, licet plures contrarium affirment.

Episcopus numerum praebendarum diminuere aut beneficia ecclesiastica cum consensu capituli extinguere tunc potest, quando ita decreverunt, ut ob tenuitatem redituum sustentationem congruam beneficiato non praebeant; sicut e contrario augeri numerus beneficiorum, et praebendarum potest, si illae notabiliter augmentum capiant.

Ne beneficiorum fructus, et proventus diminuantur, prohibitum a SS. canonibus non sufficit, necesse etiam erat prohiberi alienationem rerum bonorumque, ex quibus illi, seu reditus annuatim proveniunt.

Rerum, si generatim nomen istud sumatur, varia est, divisio, et subdivisio: etenim.

1.° Aliae res dicuntur *corporales*, quae sensibus externis subjiciuntur. Aliae *incorporales*, quae licet facultatem subministrent aliquid agendi, et faciendi, quod est sensibile, in se tamen et formaliter acceptae sensus externos effugiunt.

2.° Res corporales subdividuntur in mobiles, et immobiles. *Mobiles* sunt quae vel seipsas movere possunt de loco in locum quales sunt res animatae; vel saltem ab aliis de loco in locum salvae et integrae moveri possunt, quales sunt res inanimatae. *Immobiles* quae salvae, integrae, et non corruptae, vel destructae nequeunt de loco in locum transferri.

3.° Res immobiles aliae sunt *immobiles naturaliter*, quibus na-

tura impedimento est, quominus cum integritate a loco moveri possint. Aliae vero *immobiles civiliter*, quae ex juris censura pro immobilibus reputentur.

4.° Ex immobilibus prioris generis aliqua majores momenti sunt, alia pro modicis, et exigui momenti rebus habentur.

5.° Denique inter res mobiles aliquae sunt, quae servando servari nequeunt ut vinum, oleum etc. aliae quae possunt. Ex his aliquae dicuntur *praetiosae* aliae *non praetiosae*.

Quid per *rei* nomen veniat vidimus: videamus quid nomine *ecclesiae* intelligatur cui eae pertinent.

Nomen *ecclesiae* in hac materia, utpote per quam favorabili, latissime accipiendum est, ut includat non tantum templa, cappellas et similia loco Deo et Sanctis dedicata; sed etiam quaecumque alia loca pia, et ad religionis, pietatis, aut misericordiae opera exercenda episcopali, aut alia hujusmodi authoritate deputata. Horum enim omnium res alienari sine requisita solemnitate nequeunt.

Nomen *alienationis* potest dupliciter accipi. *Primo* stricte pro eo tantum actu, quo dominium rei traditae directum in alterum transfertur, cujusmodi est venditio etc. *Secundo* latissime pro omni eo actu, quo dominium directum, vel etiam utile tantum retento directo, aut aliud jus in re transfertur. *Latissime* hoc loco sumitur.

Contractus et actus qui in specie nomine alienationis prohibentur clericis circa res ecclesiarum, sunt qui sequuntur.

1.° Prohibetur donatio, venditio, permutatio.

2.° Constitutio pignoris, seu hypothecae saltem specialis.

3.° Concessio in feudum, vel emphiteusim.

4.° Locatio ultra triennium.

5.° Cessio litis motae super ecclesiae re alienari prohibita.

6.° Transactio, qua res ecclesiae, vel possessio ejusdem transfertur in alium.

7.° Compromissum.

8.° Unio perpetua ecclesiae vel beneficii cum alia ecclesia, vel beneficio.

9.° Conditio. Quid hoc loco *conditionis* nomine intelligatur mire interpretes, at DD. variant. Ex pluribus explicationibus in medio afferri solitis, praehabenda videtur illa Cironii qua judicat conditionis vocem retinendam, aitque ea prohiberi omnem pactionem super rebus ecclesiae immobilibus praetiosis, qua citra translationem dominii directi, vel utilis eidem praejudicium afferri posset: qualis esset, si super ejusmodi rebus usus-

Digitized by Google

fructus, usus, vel alia servitus constitueretur: quia sic alienare praelatus videtur.

An alienationis prohibitae nomine etiam veniat repudiatio haereditatis, vel legati, quo res immobilis, vel mobilis praetiosa ecclesiae, aut monasterio, relicta est, triplex sententia est apud DD.

Prima tam de legato, quam de haereditate ecclesiae, aut monasterio delata negat, quod eidem praelatus, sine consensu capituli, et aliis juris solemnitatibus, valide renuntiare possit.

Secunda sententia contendit solemnitates, a jure pro alienationibus praescriptas, adhibendas saltem in renuntiatione legati delati ecclesiae.

Tertia sententia eaque meo judicio probabilior, et communior vult tam haereditatem, quam legatum ecclesiae delatum ab hujus praelato vel rectore repudiari posse.

Duo tamen in sententia hac nostra sunt observanda. 1. Quod solum intelligi debeat de repudiatione simplici non autem de cessione in favorem, et commodum alterius. 2. Quod etsi praelatus valide renuntiet haereditati, vel legato ecclesiae suae delato, quando tamen sine justa causa hoc facit, illicite agat, et peccet.

Speciali hypothecae subjici res ecclesiasticae non possunt, possunt tamen generali. Quare si justa causa hoc petat, praelatus etiam absque consensu superioris, vel alia solemnitate canonica, ad firmandum contractum legittime institutum, bona ecclesiae sub hypotheca generali obligare poterit.

Nomine alienationis hic prohibitae etiam comprehenditur translatio bonorum, vel redituum unius ecclesiae particularis ad aliam ecclesiam, adeoque ut licita et valida ea sit, opus est, ut solemnitates juris interveniant, potestque ab episcopo vel alio simili praelato fieri tribus his concurrentibus. 1. Justa causa. 2. Rectori, et ministris, item fabricae ecclesiae de cujus bonis translatio facienda est, prius facta conveniens provisio. 3. Consensus capituli.

Porro quod de translatione dictum est, etiam de permutatione intelligendum.

In re alienari prohibita, constitutio servitutis realis, vel personalis fieri nequit.

Papa res ecclesiarum sine solemnitate per canones requisita alienare potest.

Res ecclesiasticae quae ab episcopis, praelatis, et aliis ecclesiarum rectoribus libere alienari nequeunt diversi generis sunt. Et

1.° Quidem alienari prohibentur *res ecclesiarum immobiles*, ut sunt oppida, fundi, etc. quae corporalia vocantur. Constat hoc ex textibus utriusque juris

2.° *Res mobiles pretiosae*, quae servando servari possunt, ut sunt vasa aurea, aut argentea, etc. quae cum immobilibus pari passu ambulant.

3.° *Ususfructus longi temporis, census seu reditus, et pensiones annuae* ex re immobili provenientes.

4.° *Actiones rerum immobilium, et mobilium pretiosarum.*

5.° *Reliquiae sanctorum insignes.*

6.° *Bibliotheca saltem copiosa.*

7.° *Servi*, qui olim donabantur ecclesiae a fidelibus.

8.° *Mancipia rustica*, seu servi glebae, aut fundo excolendo adscripti.

9.° *Integri greges ovium, armenta boum* etc. non tamen seorsim.

10.° *Jumenta* ad fundum colendum deputata, nisi inidonea forent.

11.° *Arbores*, quae ita praedio necessariae, vel utiles sunt, ut, illis excisis, notabiliter deterius fieret.

12.° Generaliter aliae res, quae ecclesiae, monasterio etc. annuos fructus afferre, et servando servari, sive ultra triennium durare consueverunt, si etiam pretium aestimatione judicis sufficiens habeant, ut dici res pretiosae possint.

Non ita universalis est regula, quae rerum alienationem prohibet, ut non plures exceptiones sustineat; nam libere, et sine juris solemnitatibus alienari possunt.

1.° *Res mobiles ecclesiae non pretiosae, et quae servando servari nequeunt.*

2.° *Res ecclesiae inutiles, et multo magis damnosae.*

3.° *Res etiam immobiles*, quae donatae, vel legatae sunt ecclesiae, vel monasterio, cui non licet eadem retinere.

4.° *Bona ab antiquo in feudum, vel emphiteusim dari solita.*

5.° *Res et bona quaecumque* in casu maxime necessitatis, urgentis, et exigentis talem sollicitudinem, ut summi pontificis, vel alterius superioris consensus requiri, vel expectari sine gravi ecclesiae praejudicio vel damno nequeat.

Probabilius, licet aliqui negant, res ecclesiarum etiam immobiles, si exigui valoris, et ecclesiae parum utiles sint, saltem ubi necessitas istud exigit, absque solemnitate per jus requisita alienari possunt.

Praelatus libere alienare potest ita alienari permissa, non obstante juramento, quo obstringitur ad res ecclesiae, vel monasterii,

Digitized by Google

aut mensae suae, inconsulto papa, non alienandas. **Melius** haec videtur tenenda sententia, quam huic opposita.

Controversia est an etiam pecunia accenseuda sit rebus quae sine solemnitate alienari nequeunt. Sed distinguendum est inter pecunias, quae ex fructibus venditis, locationum mercedibus, aliisque reditibus percipiuntur: et inter eas quae donatae, a testatore relictae, aut ex venditione rei immobilis, vel mobilis pretiosae redactae in eum finem sunt, ut alia res immobilis, vel mobilis pretiosa compáretur; nam *primo casu* libere, et absque solemnitate expendi possunt, *in secundo* ut expendi in alium finem possint, canonica solemnitate est opus.

Res ecclesiae ne quidem adhibitis solemnitatibus jure canonico requisitis alienari possunt hisce casibus. Et

1.° Quidem, si ex imperatoris donatione, vel fundatione res immobilis ad ecclesiam pervenit.

2. non potest alienari ipsa ecclesia vel monasterium, ita, ut in usum laicorum transferatur.

3.° non potest episcopus vel alius praelatus ex suis propriis bonis rem ecclesiae emere, etiam per interpositam personam.

4.° si res sub ea conditione sit ecclesiae data, ne alienetur.

5.° res ecclesiae alienari non possunt, sive transferri in haereticum, vel judaeum.

His casibus prohibetur alienatio, etiamsi tali modo fieret, quo alias permitteretur.

Res ecclesiae immobiles, et mobiles pretiosae ita alienari prohibentur, ut tamen earum alienatio, ut diximus, per accessionem causae justae eam suadentis, vel exigentis justificari possit.

Communiter causae justae quatuor enumerantur

1.° *Urgens necessitas ecclesiae*, cui alia vi subveniri non potest.

2.° *Evidens ecclesiae utilitas*

3.° *Pietas*, quae quatuor potissimum casibus locum habere potest. 1. *pro redemptione captivorum inter infideles.* 2. *pro necessitatibus pauperum.* 3. *pro laxandis cœmeterii spatiis* ad sepulturam fidelium. 4. *pro aedificando templo.* Aliquis addit etiam 5. *pro bello sacro adversus infideles, et haereticos.*

4.° *Incommoditas*, sive *inutilitas rei ipsius.*

Sufficit autem ut ex his causis una adsit.

Ut ex causa necessitatis fiat alienatio bonorum ecclesiae immobilium, vel mobilium pretiosorum requiritur.

1.° ut necessitas sit omnino absoluta, et aliunde irreparabilis.

2.° Ut necessitas haec respiciat ipsam ecclesiam, non solum rectorem aut inservientes ecclesiae clericos.

3.° ut alienatio incipiat a rebus minoris momenti.

4.° ut necessitas ista probetur, quod fieri debet aliunde quam per assertionem partium illam experimentium.

In alienatione, quae necessaria est necessitate juris, recepta est sententia apud curiam romanam, non requiri beneplacitum apostolicum, ut sustineatur alienatio rei immobilis, vel mobilis pretiosae.

In alienatione quae necessaria est necessitate facti, si haec necessitas ita gravis est ut moram non patiatur licite fit alienatio sine solemnitatibus et beneplacito apostolico; si autem moram admittit, ita, ut recurri ad superiorem possit, solemnitates, et beneplacitum Apostolicum requiruntur.

Ut utilitas sufficiens sit causa alienationis

1.° debet esse evidens; et quae ex conjecturis judicio prudentum indubitatis manifesta appareat.

2.° debet esse non qualisqualis utilitas, sed alicujus momenti circa proprietates, et reditus.

3.° debet haec esse praesens, et quidem, ut quidam volunt, diu duratura.

4.° Debet de utilitate hac constare pro statu praesente, sive tempore alienationis, et in hanc praestiti consensus.

5.° debet constare de hujusmodi utilitate legittime, h. e. non per solam alienantium assertionem, sed per testes aliasque legittimas probationes.

Alienatio utilis et permissa non censetur per hoc quod non sit ecclesiae damnosa, sed exigitur ut illa fiat locupletior, sive ejus causa evadat melior, re immobili distracta, quam ea retenta.

Alienatio rei ecclesiae immobilis, aut mobilis pretiosae, cum debitis quidem solemnitatibus facta, sed tamen sine justa, et a jure approbata causa, pro irrita et nulla habetur.

Sententia est valde probabilis, aequa, et in praxi tuta quod valida sit alienatio, quae facta est ex causa legittima tantum existimata, et juris solemnitatibus observatis. Dicendum tamen, etsi in dubio, quando solemnitates juris sunt observatae, praesumatur, adfuisse causa legittima: casu tamen, quo constat, legittimam causam tantum existimatam fuisse, spectato juris rigore, alienationem habendam probabilius pro nulla et irrita.

Praeter causam justam, ut alienatio rerum immobilium, et mobilium pretiosarum fieri possit, etiam opus est, ut ea fiat cum requisitis a jure solemnitatibus, quarum quinque enumerantur.

Digitized by Google

1.° *Tractatus*, quo praelatus cum capitulo, seu conventu deliberet, an hujusmodi alienatio sit ecclesiae, vel monasterio futura utilis, aut necessaria, vel e contra.

Tractatus praemittendus alienationi est in ecclesiis, quae collegiatae, vel conventuales sunt. In aliis solus ecclesiae rector cum episcopi sui consensu negocium agit.

Ad tractatum hunc vocandi sunt omnes qui praesentes sunt, aut non procul absentes ex iis qui vocem habent in capitulo.

Sunt, qui plures, vel saltem ternos alienationi faciendae requirunt tractatus: sed melius dicitur, per se loquendo, et praescindendo, a peculiaribus locorum constitutionibus, vel consuetudinibus, unum sufficere.

Tractatus requiritur tantum in alienatione perpetua, nempe donatione, permutatione, et venditione; debetque alienatio talis esse voluntaria.

Debet autem tractatus iste 1. praecedere actum alienationis. 2. Fieri debet authoritate superioris habentis potestatem alienandi. 3. debet de illo habito rite constare per instrumentum.

2. Requiritur *consensus majoris partis capituli*, seu *conventus* ecclesiae, vel monasterii, de cujus aliqua re alienanda agitur. Necessarius hic est ad alienationem rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum.

Si episcopus capitulum non habeat propter bellum, vel ex alia causa, eorum loco alios clericos convocare debet.

Consensus capituli cathedralis episcopo est necessarius etiam in alienatione rerum pertinentium ad ecclesias cathedrali inferiores, si rem talis ecclesiae alienat ipse episcopus, ut ex causa aliquando potest. Si autem alienat ejus ecclesiae rector, aut beneficiatus, iterum distingui debet inter ecclesias collegiatas, vel conventuales et inter eas, quae tales non sunt. Ad alienationem rei pertinentis ad collegiatam vel conventualem ecclesiam, si ea fiat a proprio praelato sufficit expeti consensum collegii, vel conventus, et episcopi, cui ecclesia illa subjecta est, neque opus est, ut etiam consentiant capitulares ecclesiae cathedralis. In ecclesiis capitulum, vel conventum non habentibus, si rector alienationem faciat, sufficit, si istam faciat authoritate episcopi.

An capituli consensus, quando ad alienationem faciendam requiritur, debeat esse expressus, an vero sufficiat tacitus, res nimis inter DD. laboriosae controversiae est.

Non obstantibus quae contra plures ajunt, dicendum, requiri ad alienationem consensum capituli congregati, quando haberi potest.

Digitized by Google

In alienationem debent 1. Consentire capitulares ecclesiae, de cujus rerum alienatione agitur.

2.° Ex capitularibus, et iis, qui suffragium habent, et tunc praesentes sunt, consentire debet major illorum pars.

3.° Pars ista major consentiens debet etiam esse sanior.

4.° Praeter consensum capituli opus est etiam consensu praelati.

5.° Si vacet ecclesia dandus est ei curator, seu defensor a papa quidem si ecclesia sit cathedralis; ab episcopo autem si sit inferior: et cum hoc tractari debet ac discuti, num causa sufficiens alienaudi adsit.

3.° Requiritur *subscriptio*, a capitulo, seu conventu facta.

Necessaria haec est, si res quae alienatur, sit immobilis, vel mobilis pretiosa. Quare iste est unus casus specialis, in quo ad valorem contractus vel actus requiritur scriptura, et subscriptio, cum alias universalis regula sit negativa.

Subscriptio haec requiritur in sola alienatione rei per donationem, venditionem, permutationem.

Necessitas haec subscriptionis per consuetudinem tolli potest.

Aliae vero solemnitates ad alienationem rerum ecclesiae requisitae, consuetudine abrogari non quidem omnes possunt, nulla tamen earum est in particulari quae per consuetudinem non possit tolli.

Abstraendo a contraria consuetudine legittime praescripta, de jure non minor subscriptionis, quam ipsius consensus capitularis necessitas est.

Alienationi a praelato cum majoris partis capituli consensu decretae subscribere tenentur etiam ii, qui suo consensu illam non approbarunt, si rationalem, justam, et ecclesiae utilem esse agnoscunt: si contra damnosa iisdem videtur non tenentur: imo casu, quo damnum, ac praejudicium ecclesiae evidens est, appellare potius, vel saltem contradicere tenebuntur.

4.° Requiritur *authoritas*, sive *consensus superioris*, h. e. ejus qui ex munere publico ecslesiae praeest. *Requiritur hic* tantum in alienatione rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum: debetque dari expresse, imo in scriptis, quod etsi non requiratur ad substantiam, saltem necessarium est ad actus probationem.

Consensus hic est requirendus ab eo, cui ecclesia, vel monasterium, de cujus rerum alienatione agitur, subjectum est.

Authoritatem alienationi praestare pro ecclesiis inferioribus potest capitulum, sede vacante, vicarius generalis, qui talis est pariter vacante sede, et tandem alii abbates et praelati, qui ha-

Digitized by Google

bent ecclesias pleno jure sibi subjectas cum rectorum consensu, ita ut jurisdictionem quasi episcopalem in iis exerceant.

Qualis episcopus authoritatem alienationi praestare debeat quaerunt DD. , atque in varias abiere sententias. Eorum ss. canonibus conformior videtur, juxta quos requiritur , et sufficit consensus episcopi , cujus jurisdictioni subest ecclesia , vel monasterium , de cujus rei alienatione agitur, quin exigatur consensus episcopi in cujus dioecesi sita est res vel praedium alienandum.

Ad alienandas res ecclesiae inferioris , e. g. prioratus, qui a priore aliquo sine proprio conventu administratur , et ita unitus vel incorporatus est ecclesiae superiori , e. g. monasterio ut illius bona censeantur bona hujus, ideoque talis prior subjectus sit praelato , seu abbati monasterii , opus est consensu tum abbatis , cui ejusmodi prioratus ita subjectus est , tum conventus monasterii , cui est unitus. An vero tali casu etiam necessarius sit consensus episcopi , videndum est , quo jure ecclesiae ejusmodi subjectae sint abbati , vel praelato superiori et ex eo decisio facienda.

Etsi honestatis , et aliquando utilitatis ecclesiae , et ipsius alienantis ratio suadeat , circa alienationem rerum ecclesiae interrogari etiam patronum , ad valorem tamen , et substantiam alienationis ejusdem , vel principis saecularis consensus , regulariter loquendo nequaquam est necessarius.

Denique praecedentibus solemnitatibus jure novo accessit *consensus apostolicus*, quo tamen opus non est , quando pontifex de facili adiri, et consuli nequit, vel ubi constat alienationem esse necessariam, et in mora periculum est.

Consensus apostolicus etiam exigitur ad alienationem, quae fit suadente juxta causa, et adhibitis solemnitatibus juris; et hoc teste communi DD. sententia, cui accedit stylus, et praxis romanae curiae.

Pro valida habenda alienatio est, quae facta est sine praescriptis a jure solemnitatibus, interveniente tamen causa justa, et consensu pontificis absoluto legitime, ot absque ob vel subreptione impetrato.

Haec pluraque alia constituta a Paulo II. *extrav. ambitiosae int. communes*, quae an sit usu recepta, an non usus constitutionis ejusdem excusari in episcopis et abbatibus possit disserunt DD. atque ad invicem variant.

Effectus alienationis alius est, quando facta est rite , et secundum juris praescriptum; alius quando non est facta rite. Si rite facta est, transfert dominium rei sic alienatae in eum, in quem

Digitized by Google

alienata est. Si non rite facta est, dat locum revocationi, et poenae a jure male alienantibus positae. Quare tria examinanda veniunt.

1°. Valor alienationis.

2°. Ejus non rite factae revocatio.

3°. Male alienantium poenae.

Alienatio rei ecclesiae immobilis, aut mobilis pretiosae, quae facta est ex justa causa, et in casu licito, sine interventu tamen solemnitatum juris, in foro saltem externo ipso jure nulla est atque irrita.

Alienatio rei immobilis, et mobilis pretiosae, sine solemnitate facta, si causa justa subnixa sit, probabilius in foro conscientiae valet.

Alienatio ob defectum solemnitatum nulla, si hae, ex intervallo superveniant, convalescit, atque ita ratificatur, ut perinde habeatur, ac si nulla solemnitas defuisset, sed alienatio ab initio fuisset valida.

Solemnitatibus ecclesia probabilius non habet opus in alienatione legati, quod ea conditione ecclesiae a testatore relictum est, ut quoties illa voluerit, illud alienare, et in proprios usus convertere possit. Conclusio tamen haec optime limitatur, ut solum procedat, quando talia bona legata nondum sunt incorporata ecclesiae.

Probabilior sententia est legatum relictum sub conditione, ut nunquam alienetur, posse, servata solemnitate, alienari, tametsi ecclesia alia bona habeat, quae alienare possit.

In dubio praesumuntur intervenisse solemnitates in rei ecclesiasticae alienatione, si defectus solemnitatis in judicio ab adversa parte minime allegatur; sin allegatur, ea in dubio non praesumitur, sed regulariter probanda est, sc. per testes, vel instrumentum publicum notarii manu confectum, in quo asseratur eas intervenisse in alienatione.

Duo actiones ecclesiae competunt ratione alienationis illegitime i. e. sine justa causa, et solemnitatibus juris factae: una *personalis* adversus praelatum, vel administratorem, qui rem ejus male alienavit, ut damnum ejusmodi alienatione sibi illatum ex proprio, si aliquod habet, patrimonio resarciat. Altera *realis* adversus possessorem rei alienae, ut restituat rem male alienatam.

Ex his autem duabus actionibus in electione ecclesiae laesae, vel praelati successoris est, utram ex illis intentare velit.

Certum est rei malae alienatae revocationem nomine ecclesiae, fieri posse a superiore alienantis. An vero ab ipso alienante, major

Digitized by Google

est difficultas; nam multiplex in contrarium pugnat ratio. Sed retinenda est receptissima apud DD. sententia, quae docet ex claro juris nostri textu alienationem perperam factam etiam ab ipso praelato, qui eam fecit revocari posse.

Casu, quo superior, vel ipse alienaus res illegittime alienatas non repetat, alienationem revocare possunt alii nempe 1. successor. 2. capitulum non solum sede vacante, sed etiam plena. 3. his deficientibus quilibet de clero. 4. si nemo ex relatis curam hanc in se suscipiat, admittuntur etiam laici parochiani 5. prae aliis laicis, patroni. 6. prae patronis aliis laicis princeps territorii, si ad hunc finem privilegio munitus sit. 7. denique in praedictorum omnium defectu agere contra alienationem perperam factam possunt etiam extranei, non tantum clerici, sed etiam laici.

Repetenti rem ecclesiae male alienatam opponi potest exceptio dominii, sive quod ecclesia non sit rei alienatae domina, si pro rei male alienatae restitutione instituatur petitorium et rei vindicatio. Et hinc re exceptio ista opponi, et restitutio petita eludi possit, utilius erit, si rem male alienatam repetens agat remedio recuperandae *unde vi*; hac enim ratione restitutio fieri debebit, etiam non probato dominio.

Certum est repetentibus res ecclesiae male alienatas non obstare praescriptionem, si emptor, vel alius, in quem ejusmodi res ab ecclesia translatae sunt, in mala fide est cum qua nullo unquam tempore praescribi potest. Major difficultas est de bonae fidei possessore. Sed non obstantibus quae in contrarium afferri solent, dicendum, res ecclesiarum male alienatas a possessoribus bonae fidei (qualis erit emptor falso persuasus in hujusmodi alienatione intervenisse causam justam, et reliquas juris solemnitates) 40 annorum lapsu praescribi posse: adeoque repetenti rem male alienatam a bonae fidei possessore ostabit praescriptionis exceptio.

Bonae fidei possessor, ad quem res male alienata pervenit, eam restituere debet cum fructibus extantibus, et consumptis post litis contestationem; agere tamen contra praelatum illegittime alienantem potest ad recuperandum pretium; vel si iste de propriis bonis solvendo non sit, illud repetere ei licebit ab ipsamet ecclesia, saltem quatenus facta locupletior.

At *malae fidei possessor* iniquioris est conditionis; nam 1. praeter rem restituere tenetur ecclesiae fructus omnes, etiam quos ante litem contestatam ad eum pervenisse probatur. 2. perdit

meliorationes in re male alienata factas. 3. in pœnam amittit pretium; illudque ecclesiae laesae acquiritur.

In pœnis statuendis praelatis, et aliis administratoribus male alienantibus res ecclesiae, vel monasterii sui, differt jus antiquum a novo jure.

Jure antiquo sequentes statutae pœnae sunt. 1. tam alienator, quam is, in quem alienatio facta est, ipso facto incurrebant excommunicationem, quae extendebatur etiam ad eos, qui alienationi hujusmodi suo nomine subscripsere. 2. Si praelatus, vel rector ecclesiae illegittime alienans in revocando alienationem fuisset contumax, etiam a praelatura deponi, et ab officio removeri jubebatur. 3. Si alienator fuisset religiosus, monasterio, prioratui, ecclesiae, vel administrationi praepositus, et horum jura, reditus, possessiones alicui ad vitam, vel quodcumque longum tempus contra sanctiones canonicas concessit ex decreto conc. Vienn. pœnam suspensionis ab officio ipso facto incurrebat.

Hodie jure novo per *extrav. ambitiosae int. comm.* circa male alienantes sequentia sunt constituta. 1. Alienatio extra casus ibi exceptos, inconsulto pont. facta est ipso jure irrita, ita, ut res et bona sic alienata ad suas ecclesias libere debeant reverti. 2. tam alienans, si sit episcopus, et abbate inferior, quam is qui ejusmodi res male alienatas receperit, incurrunt excommunicationem quae latae sententiae est, et reservata summo pontifici. 3. Episcopi, et abbates, si contra istius constitutionis tenorem bona ecclesiarum, vel monasteriorum suorum alienaverint, ipso jure interdicti sunt ingressu ecclesiae: et si sub hoc interdicto sex mensibus perseveraverint, ipso facto ab administratione, et regimine ecclesiarum, et monasteriorum suorum suspensi pronuntiantur. 4. denique inferiores praelati, cummendatarii, et ecclesiarum rectores, beneficiati, et alii administratores, ultra excommunicationem, de qua supra, ipso facto sunt privati beneficiis, et officiis, quorum res et bona alienarunt, ita, ut illa absque ulla declaratione vacare censeantur. Quas poenas omnes confirmavit. 5. congr. conc. decreto, jussu Urbani VIII. edito, extenditque dispositionem hujus *extrav.* etiam ad regulares, cum derogatione privilegiorum his concessorum.

Causae quae ab his poenis excusant sunt.

1.° *consuetudo locorum*, si videlicet alicubi constitutiones istae non sunt usu receptae, vel non usu abrogatae.

2. *Actus imperfectio,* si alienans alienationem sine solemnitatibus

a jure praescriptis solum alienaverit, aut factam poenitentia ductus ante realem, et pacificam traditionem bonorum revocaverit.

3.° *Bona fides* alienantis, vel recipientis hujusmodi bona alienata, quod videlicet nescíverint ea pertinere ad ecclesiam, vel monasterium.

4.° *Ignorantia probabilis*, qua alienans, vel recipiens nescivit talium rerum alienationem esse prohibitam.

5.° Denique ab iisdem poenis excusantur illi omnes qui alienatione rerum ecclesiasticarum quacumque ex causa gravi peccato excusantur.

Ecclesiae graviter laesae ob alienationem rei ecclesiasticae male factam non tamen nullam, competit beneficium restitutionis in integrum.

Petere autem hanc debet intrr quadriennium, nisi laesio sit valde enormis.

Si reus sit laicus, ecclesia restitutionem in integrum petere potest non tantum coram judice laico, sed etiam coram ecclesiastico.

Porro restitutio haec fieri debet, ut inde damnum non patiatur is, contra quem petitur restitutio si hic bonae fidei fuit. Et hinc 1. si ille quippiam in utilitatem ecclesiae expendit c. g. pretium pro re sibi vendita potest illud repetere. 2. similiter potest repetere meliorationes in re alienata factas. 3. potest item postulare mercedem laboris sui, et industriae collocatae in rem alienatam, sibique traditam.

Sumuntur haec omnia ex textus loco, ubi dicitur quod *restitutio ita facienda sit ut unusquisque in integrum jus suum recipiat.*

Precarium definitur contractus, vel potius *conventio, qua alicui petenti, rei usus gratis conceditur ad arbitrium ipsius concedentis revocandus.*

Quaestio est, an sit verus contractus, sed negative cum multis interpretibus respondetur.

Ad precarii substantiam, et naturam quinque requiruntur: 1. ut fiat consensu tam dantis, quam accipientis: 2. ut interveniat rei precario concessae traditio: 3. ut nulla interveniat merces: 4. ut res concedatur ad usum indeterminatum ratione modi finis, et temporis: 5. ut qui precario dat, possit rem concessam, quando voluerit revocare.

Precarium statim revocari potest, casu quo urgens necessitas, aut alia causa rationabilis suadeat, alioquin res ita concessa relinqui ad Judicis arbitrium spatio temporis debet.

Rogari precarium, et concedi potest ad determinatum tempus.

Digitized by Google

Res concessa precàrio ad determinatum tempus, ante ipsius temporis lapsum revocari potest;

Excipitur, nisi conventio, cui ejusmodi pactum adjectum est ita explicari possit, ut transeat in alterius contractus naturam.

Precarium constitui potest in re qualibet mobili, immobili et juribus.

Numquam in re propria constitui potest, excepto, si ea alteri sit obligata.

Precario dare potest, quicumque potest usum rei alteri communicare; ut Dominus, possessor rei, fructuarius, non infans, aut furiosus.

Quisque potest precario accipere qui potest acquirere, etiam pupillus sine Jutoris auct: filius et servus item procurator.

Culpa levissima in precario non praestatur: excipitur si precario habens, eam detineat post litem contestatam.

Solvitur precarium quinque modis: 1. revocatione: 2. obitu illius cui concessum est, excepto casu quo non personae; sed dignitati concessio facta sit: 3. morte concedentis, sed distinguenda concessio facta ad beneplacitum suum, ab ea absolute facta, in qua ab heredibus concedentis revocanda est: 4. alienatione rei precario concessae, verum ab acquirente, revocatio fiat, oportet: solvitur precarium pignoris absque revocatione, quando debitor solvit debitum creditori, a quo pignus precario habet.

Remedia, quae domino rem precario concessam repetenti dantur sunt interdictum de precario, et actio praescriptis verbis.

Ea remedia conceduntur omnibus, quibus precario dare concessum est eorumque heredibus, et successoribus.

Dantur contra eum, qui precario accepit si penes se rem habeat, aut dolo habere desiit; item contra illius heredem.

Effectus eorumdem, ut res restituatur una cum fructibus.

Precarii effectus duo lucrativi, nempe potestas re utendi precario concessa; possessio naturalis: duo onerosi, obligatio restituendi rem, et obligatio prestandi dolum, et culpam latam.

Precarium affine commodato ob usum rei, ejusque concessionem gratuitam, et neutro dominium transfertur.

Differentiae, quod precarium ad libitum revocatur; qui illud possidet non praestat culpam levissimam nec levem; denique naturaliter possidet, id omne quod in commodato diversimode se habet.

Precaria a precibus nomen acceperunt, vel potius a charta quae praecatoria dicebantur.

Definitur, contractus realis, nominatus, bilateralis, bonae fidei quo alicui rei ecclesiasticae immobilis, et soli plerumque usus ad preces ejusdem conceditur, eo pacto, ut si concessionis tem-

Digitized by Google

pus sit diuturnius, ne istius longinquitate illius memoria intereat, renovari singulis quinquennis debeat, et finito concessionis tempore cum omnibus incrementis res concessa ad ecclesiam revertatur.

In precarias conceduntur res, et possessiones ecclesiae, vel jam possessae, vel ecclesiae saltem oblatae, ea conditione, ut liceat offerenti ad certum, vel incertum tempus earum usum habere.

Res istae debent esse immobiles et frugiferae.

Concedi possunt precariae non solum clericis, et monachis verum etiam laicis.

Eas concedere possunt ecclesiarum rectores.

Olim concedebatur etiam in perpetuum: hodie juxta conventionem quae intercesserit inter dantem, et accipientem.

Conceduntur ad preces: incertum an ex remunerationis causa: aliquando cum reservatione pensionis prestandae ecclesiae a qua conceduntur; plerumque gratis.

Renovatio quinquennalis adeo necessario ei est, cui res per precarias sunt concessae, ut si non petat suo jure cadat, etiamsi in possesione manere patiatur, salva loci cousuetudine.

In renovatione quinquennali nullae requiruntur solemnitates.

A praelatis sine solemnitate precariarum concessio fieri nequit, licet controversia sit, et si facta a successore revocari debet; imo ab ipso praelato, si adhuc in administratione toleretur.

Effectus precariae sunt: 1. obligatio in costituente ad praestandam patientiam, et relinquendum usum rei in precarium concessae usque ad tempus conventum: 2. in accipiente rem diligenter custodiendi: 3. actio precarium directa, quae competit ecclesiae adversus accipientem, ejusque heredes: indirecta, quae competit accipienti ejusque heredibus, contra dantem et ejus heredes.

Differunt precariae a precario: 1. quod eae sint verus contractus; 2. consistant tantum in immobilibus, 3. concedantur ad certum tempus; 4. plerumque in iis merces seu pensio interveniat; 5. precariae renovandae sint singulis quinquennis; 6. numquam ex iis possessio quaeratur: 7. denique culpa etiam levissima in iis praestatur, quod omne in precario non obtinet.

Discriminant ab emphiteusi quia, 1. non sunt precariae inventae ob agrorum culturum: 2. posteriores multis annis sunt emphiteutico contractu: 3. conceduntur ad preces, aliquando remunerationis causa, et singulis quinquennis renovari debent: 4. plerumque gratis conceduntur.

Digitized by Google

Commodatum a commodo pro re commodo data accipitur, vel contractu: definitur contractus realis, juris gentium, nominatus, bilateralis, bonae fidei, quo res ad certum usum, vel tempus gratis ea lege conceditur, ut illo finito eadem in specie restituatur.

Ad commodati substantiam requiritur, 1. ut is, qui rem commodat eam alteri tradat utendam: 2. ut accedat utriusque contrahentis consensus: 3. ut rei commodatae dominium maneat penes eum, qui dedit: 4. ut reddatur eadem res in specie: 5. ut commodatum gratis nulla accepta mercede detur: 6. ut commodatum ad aliquem certum usum, et ad aliquod certum tempus expresse, vel tacite concedatur.

A precario differt 1. cum ante prefixum tempus revocari nequeat: 2. ad certum usum commodatur: 3. in commodato neque dominium, neque possessio in accipientem transfertur: 4. in hoc culpa etiam levissima praestatur, quod non contingit in precario.

A mutuo discriminat commodatum 1. quia commodans dominium retinet: 2. rei commodatae usum non abusum concedit: 3. species est commodanti restituenda: 4. casu fortuito res commodata perempta suo domino perit: 5. in commodato res non fungibiles tantum dantur.

A pignore, et deposito, cum in commodato res ad usum conceditur.

A locatione commodatum differt, quia in ea non gratis res datur.

Commodari possunt res 1. mobiles, et immobiles: 2. profanae, et ecclesiasticae: sacrae tantum ad usus sacros: 3. res etiam tangibiles non ad usum proprium, sed ad pompam, et ostentationem: 4. res non tantum corporeae, seu jura, servitutes, reditus annui.

Res alienae valide in contractum commodati veniunt, et commodanti actio tribuitur ad effectum tantum, ut commodatarius compellatur ad rem commodatam restituendam: hoc vero, in foro externo solum, procedit.

Omnes possunt commodare, et soli qui contrahere non prohibentur.

Commodare nequeunt 1. infantes, furiosi; 2. impuberes sine Tut. auctor: 3. religiosi sine superioris consensu: 4. uxor mariti res eo inscio, quo casu, et ante tempus revocare is potest.

Accipere commodatum possunt omnes, hi, qui ex contractu possunt saltem naturaliter obligari.

Si dominus commodaverit servo suo , qui liber est', sed suae conditionis ignarus commodatum non subsistit; si scit subsistit.

Triplex obligatio ex parte commodantis nascitur ex commodati contractu ; 1. ut res commodatas non revocet ante usum finitum , et tempus : 2. ut reparet damna , quae commodatario provenerunt ex re commodata per dolum, vel culpam latam commodantis : 3. ut refundat expensas in rem commodatam a commodatario factas , exceptis ordinariis.

Commodans revocare potest rem commodatam ante tempus in casu aliquo extraordinario , quo si revocationem non faceret , pateretur damnum aequale , vel majus , et antea non praevisum ; etsi praevisum in talem casum praesumatur non fuisse commodaturus : nec obstant argumenta in contrarium adducta.

Commodans rem commodatam revocare potest, si tempus quidem quod usui expresse vel tacite praefinitum fuit sit elapsum , commodatarius vero re commodata intra illud citra suam culpam uti non potuit ; hoc ita deciditur quamvis contrariae sententiae auctores non desint.

Commodatarii obligationes sunt 1. curare solerter debet , ne utendo re sibi commodata , ea damnum aliquod patiatur : 2. Expleto usu , et tempore reddere illam debet , etiam domino non exigente : 3. Reddere illam debet integram , prout eam a commodante accepit. 4. Reddere debet cum fructibus , et accessoriis : 5. si res culpa commodatarii fuit perempta, vel deterior effecta tenetur commodatarius domino aestimationem praestare.

In commodato praestatur culpa lata, et levis si commodatur res tam in gratiam commodantis quam commodatarii ; dolus et culpa lata si in gratiam solius commodantis ; culpa etiam levissima , si in gratiam solius commodatarii.

Si Pupillo , vel minori res commodata sit sine tutoris , vel curat: consensu , et interierit , non tenetur commodanti nisi ipsorum dolo aut culpa lata res sit perempta , aut deterior facta , vel quatenus locupletiores inde facti sint, quamvis in ipsorum solius gratiam redat.

Commodatarius etiam in foro coscientiae culpam levissimam praestare tenetur.

Si res apud commodatarium pereat aut deterioratur casu fortuitu e. g. ex fulmine , naufragio , vel hostium incursu , domino suo perit.

Tres casus ponuntur in quibus commodatarius tenetur de casu fortuito , 1. si culpa praecessit ex qua secutus est infelix casus : 2. si ab initio ita conventum est , et commodatarius periculum

eventus fortuiti in se susceperit : 3. si commodatarius post usum, et tempus expletum fuit in culpabili mora restituendi.

Tres casus referuntur excepti in quibus non praestatur casus fortuitus: 1. si commodatarius habuit justam causam differendi restitutionem rei commodatae : 2. si res commodata e. g. per incendium similiter fuisset peritura apud dominum, etiamsi suo loco, et tempore restituta fuisset: 3. si res, quae debetur in genere solum, et indeterminate sit debita.

Qui casum fortuitum in se recepit, in omnibus tenetur; verum utilissima eorum erit mentio expressa ad lites effugiendas, non per id necessaria ut variis videntur.

Si res commodata aestimata tradita fuerit, ac postea perempta, etiamsi, casu fortuito, de ea, solvenda aestimatio, si venditionis causa facta sit; alioquin aestimatio non praestanda, cum inita sit ob valorem sciendum.

Si res commodata perierit ob commodatarii culpam, et moram, absque dolo tamen, et contumacia, nec ejus aestimatio contrahentibus fuerit taxata; hoc in casu aestimatio ad id tempus referenda, quo res a tempore morae, etiam extrajudicialis quanti plurimi valuit, atque in optimo statu fuit.

Duplex actio ex commodato; *directa*, quae datur commodanti ejusque heredibus, contra commodatarium et ejus heredes; *contraria* commodatario et hered: contra commodantem, et etc. ad omnes effectus contractum respicientes.

Aliae actiones pro diversis casibus competunt commodanti, ut actio furti, actio legis aquiliae, rei vindicatio.

Si res individua commodata duobus fuerit, et perierit, ille solus damnum praestare cogetur, cujus dolo, aut culpa res perempta, aut deterior facta est, si neuter culpa caruit, uterque in solidum obligabitur.

Res commodata numquam in compensationem retineri potest, excepto casu quo ea perempta, vel deteriorata, ejus aestimatio sit praestanda.

Definitur *depositum contractus realis, quo res alicui gratis custodienda traditur ea loge, ut eadem in specie ad deponentes arbitrium restituatur.*

Dividitur a nonnullis in depositum juris, et depositum facti, seu conventionale.

Subdividitur,

1.° in depositum in specie, et sequestrum.

2.° In voluntarium, et necessarium.

3.° In regulare, et irregulare, quod fit dupliciter, uno modo,

quando pro rei custodia ex pacto accipitur merces : altero modo , quando res deponitur cum expressa , vel tacita licentia usus.

Ad substantiam depositi requiruntur, 1. ut res tradatur : 2. ut adsit consensus utriusque; duo excipiantur casus , si ratione officii quis sit obligatus: si qui accipit , taceat declarationi deponentis : 3, ut res deposita detur , et gratis accipiatur : 4. ut res detur , et accipiatur ad custodiam ; tres tamen casus excipiuntur, quibus furtum usus in re deposita cessat : 5. ut res eadem reddatur , quae est deposita : haec omnia de jure communi.

Distinguitur depositum a precario , et commodato , quia datur ad solam custodiam.

A mutuo , quia depositi dominium non transfertur.

A locatione et conductione , cum depositum gratis custodire traditur.

A pignore , quia non datur creditori ad securitatem debiti.

Deponere et depositum suscipere qui contrahendo obligari possunt sic 1. faeminae ; 2. pupilli , et minores etiam sine auct: tut: et cur: 3. clerici , et religiosi.

Si res apud clericum vel religiosum deposita sit , et doto illius vel culpa lata perdita sit , ecclesia vel capitulum tenebitur , si consensu praelati vel capituli accepta; alias clericus vel religiosus solum conveniri potest.

Deponi possunt res omnes , quae sub custodia cadunt.

Res immobiles etiam depositum recipiunt , etsi controversia sit.

Quae accedunt rebus depositis , non censentur , ut materia depositi.

Si arca , cista sarcina obsignata , et clausa deponatur , etiam depositae censentur res in illa repertae.

Duplex obligatio ex deposito nascitur , una ex parte deponentis, ut depositarium servet indemnem ; altera afficit depositarium qui 1. rem depositam custodire , quousque durat causa ; 2. omni diligentia ; 3. eam cum omni causa restituere debet.

Depositarius damnum rei depositae praestare debet , si apud ipsum periit aut deter : si dolo vel culpa ipsius lata tantum accidit.

Praestatur etiam levissima culpa, 1. si conventio intercesserit ; 2. si deposit : mercedem pro rei custodia recepit ; 3. si ad depositum recipiendum seipsum obtulit.

Tenetur etiam de levissima si, 1. depositarius expresse se obligavit ad eam praestandam ; 2. si apud aliquem res deposita, cujus officium annexam habet custodiam ; 3. si depositarius pro depositi custodia seipsum obtulit.

Digitized by Google

A depositario nunquam praestatur casus fortuitus, tres casus excipiuntur: 1. si nominatim convenit, ut res deposita esset periculo ejus, qui suscepit: 2. si depositarius fuit in culpabili mora restituendi; 3. si casum fortuitum, quo res periit, praecessit dolus aut culpa lata.

A depositario casum fortuitum praestandum verius est, non aliter, quam si culpa lata eum praecesserit.

In periculo incendii, naufragii, etc. depositarius pretiosores periculo eripere debent sive propriae, sive aliene, excepto, nisi damnum suae vitiori incurreret, et ejus pretium recuperare requiret domino rei alterius.

Si utraeque aequalis sunt pretii, tunc si in utilitatem dantis tantum vel utriusque acceptae sint, suas in periculo praeferre potest: si in suam tantum utilitatem, alienae propriis praeferri debent.

Ex deposito datur duplex actio, directa, deponenti ejusque haeredibus, contra depositarium, et ejus haeredes; contraria depositario, et etc.

Depositarius, quandocumque voluerit deponens debet eidem depositum reddere, et si constitutum sit tempus ad repetendum.

Casus in quibus repetenti non tenetur reddere statim, 1. si ex restitutione certo vel probabiliter deponenti, vel alteri timeretur secuturum damnum spirituale, vel temporale; 2. quando bona deponentis sunt fisco addicta; 3. si dominus et fur in repetitione rei concurrant; 4. si furi sine detrimento domini restitui nequeat; 5. si fur deposuit rem apud dominum, cui illam surripuit ignorantem rem esse suam.

Res restituenda est ibi, ubi est, sine dolo malo depositarii; eadem ipsa, quae data et deposita in specie, et individuo; integra, non deteriorata; cum fructibus et omni causa.

Depositarius nullomodo rem depositam in compensationem, vel deductionem retinere potest per debitum, quo ipsi deponens obstringitur.

Si depositarius in rem depositam fecit expensas necessarias, eam retinere ipsi permittitur, donec earum a deponente solutio non fiat.

Compensationem damni exigere potest depositarius, si alienas res suis pretiosiores praetulit.

Si depositarius facultatibus lapsus sit, tamen res deposita adhuc extat, omnibus quibuscumque creditoribus deponens anteponendus; si perempta res est, nulla gaudet legali vel tacita hypotheca.

Si res deposita consistat in numero etc. et ab uno e duobus heredi-

bus consecuta pars sit, altera quae apud depositarium periit, damnum est alterius heredis.

Si res consistat in re individua, et perierit apud depositarium, damnum illi cohaeredi, qui aliquid jam accepit commune est cum eo qui, nihil adhuc accepit.

Actio doli committendi, expressa conventione remitti, nullo jure deponenti permittitur.

Emptio est contractus, qui consensu perficitur de pretio pro re certa tradendo.

Ad emptionis, et venditionis contractum tria substantialiter requiruntur, 1. Consensus contrahentium de re pro certo pretio tradenda; 2. Pretium certum, et determinatum; 3. Merx, quae consistat in quacumque re aestimabili.

Ex hoc contractu non est necesse, ut dominium transferatur.

Ad substantiam contractus non pertinere mercis, et pretii traditionem.

Neque scriptura ad illius substantiam pertinet nisi contrahentes ita contractum iniverunt, ut non valeat, nisi super eo confecta, et approbata sit scriptura.

Divisiones istius contractus quatuor inveniuntur: 1. naturalis, et artificialis 2. quae in scriptis fit, et sine scriptis; 3. quae consistit in venditione generis, et in venditione speciei; 4. ea quae fit ad corpus. et illa quae fit ad mensuram.

Differt venditio facta ad corpus, quia in ea omne periculum avertit ad emptorem, ab ea ad mensuram, in qua usque ad mensurationem periculo venditoris est.

In venditione facta ad corpus, etiamsi corporis partes pauciores sint demonstratae omne corpus a venditore tradendum, vicissim emptor solvere debet pretium conventum; diversimode accidit in venditione ad mensuram in qua pretium mercis quantitati semper congruere debet.

Emere, et vendere possunt omnes, qui liberam rerum suarum administrationem habent.

Natura prohibentur infantes, furiosi, amentes ebrii.

Lege, pupilli, minorennes, prodigi: olim provinciarum praesides, et Caesaris procuratores; nunc judex cujus auctoritate bona hastae subjiciuntur, et Grapharius.

Filius familias patri vendere nequit, exceptis bonis castrensibus, et quasi, et peculio adventitio irregulari.

Inter pupillum, et tutorem ejusve filium emptio venditio celebrari nequit.

Item dicitur de procuratore, curatore, et eo qui aliena negotia gerit.

Tutor cum consensu contutorum, vel judicis auctoritate contrahere cum pupillo potest.

Advocatus cum cliente, medici cum aegroto contrahere nequeunt.

Prohibentur milites in provinciis, in quibus militant; clerici quoad jure canonico ipsis prohibetur.

Nonnullae sunt causae ex quibus subditos ad emendum, vel vendendum magistratus compellere possunt; 1. necessitas publica: 2. utilitas publica: 3. favor religionis ac pietatis: 4. jus alterius: 5. malus rei usus: 6. privilegium, aut jus stapulae, aut jus emporii.

Clerici, et religiosi compelli possunt ad rerum venditionem, quarum penuria laborat respublica, a praelatis ecclesiasticis tantum, nisi periculum urgeat.

Compulsio haec fieri debet justis de causis, et cum modo.

Ex verbis, volo emere, volo vendere satis declaratur consensus in emptionem, venditionem.

Qui prius promisit vendere rem pro certo pretio, et postea pretium, istud recipit ac mercem tradit, emptio venditio perfecta est sine alia consensus expressione.

Quando arrha datur contractu nondum perfecto, in arbitrio contrahentium est perficere, vel abstinere cum ejus amissione, si altero invito, cujus lucro cedit, vel sine justa causa.

Ab emptione resilire licitum non est, quando arrha data est post perfectam emptionem, etiamsi non sit data in partem pretii.

In emptione venditione jure can: non reprobatur pactum addictionis in diem, si factum sit omnibus cautelis.

Pactum istud fieri potest pure, et sub conditione.

Si pure factum sit; praestat 1. emptori conditionem usucapiendi: 2. suos fructus facere potest, saltem revocabiliter: 3. potest rem vindicare, pignorare, et agere interdicto quod vi, aut clam: 4. ad emptorem pertinet periculum rei emptae; quod omne aliter est, si sub conditione pactum additum sit.

Si melior conditio venditori intra statutum tempus ab alio emptore non afferatur, primi emptoris res vendita sive pure, sive sub conditione irrevocabiliter fit ab initi contractus tempore.

Si melior conditio offeratur venditori, nec emptor augere velit, tunc 1. dominium ad venditorem redit ipso jure: 2. res ita empta desinit esse pignori, si emptor illam medio tempore oppignoraverit: 3. fructus cum omni commodo, et accessione, quos interim emptor percipit, restituere tenetur.

Digitized by Google

Emptor fructus tantum extantes restituere tenetur, etiamsi consumptis locupletior factus sit.
Si venditioni legis commissoriae pactum adjectum sit, et emptor stata die non solverit ex justa causa, lex commissoria cessat; alias, res inempta fit.
Venditoris arbitrio est lege commissoria uti nec ne, si constituto tempore pretium non solvatur.
Si res inempta fiat, fructus tam extantes, quam consumpti ad venditorem redire debent.
Ut legis commissoriae pactum suos effectus habeat, oportet, 1. ut adjectum sit in continenti: 2. ut conceptum fuerit verbis directis: 3. ut statim, ac lex commissa est, venditor statuat, an commissoriam velit exercere, an pretium petere: 4. ut si venditor alterutrum elegerit, non variet.
Potest venditioni adjici pactum de retrovendendo sine usuraria, vel alia iniquitate, modo sic fiat, ut pro favore, vel onere, quod ex hujusmodi pacto alteruter contrahentium habet, urgeatur, vel minuatur rei venditae pretium.
Ut res, quae pro pretio emenda proponitur, mercis nomen obtineat: 1. debet esse certa, et determinata: 2. in rerum natura, vel saltem sperari extitura: 3. debet esse in commercio humano.
Res quae vendi non possunt sunt; 1. spirituales, et spiritualibus annexae, sive iis sint consequenter, sive antecedenter, sive concomitanter. 2. Res sacrae: excipitur causa pietatis; 3. res ecclesiarum mobiles pretiosae, et immobiles; 4. res publicae; 5. fundus dotalis, etsi mulier prima vice consenserit; 6. res propria ipsius emptoris; 7. liber homo, pro servo; 8. res de se malae; 9. res de quibus specialis est juris prohibitio.
Alienae res vendi possunt valide si functionem recipiant, id est, si usu consumptibiles, quarum domino ejusdem bonitatis reddi possint.
Nequeunt, si functionem non recipiunt, et alienas esse sciat emptor. Si emptor dubitet rem alienam esse, emere poterit, modo statuat veritatem inquirere.
Si emptor ignorat rem alienam esse, venditio valet, usque dum dominus eam vindicet.
Res non existentes vendi possunt, dummodo extiturae sperentur.
Rerum quae sperantur, si sunt certi proventus, venditio conditionata est; si incerti, et fortuiti, pura est.
Haereditas viventis vendi nequit, nisi consentiat dominus, et in voluntate persistat.
Si vendita sit hereditas jam delata, sine ulla determinatione, omne

jus haeredis venditoris emptori praestandum; alias, omnia, quae dixit in hereditate esse.

Magna quaestio, an in emptorem jus accrescendi transeat, si hereditas indeterminate vendita sit; probabilius transire deciditur.

Actiones, nomina. obligationes, debita possunt regulariter vendi.

Ea regulariter vendi possunt nam quintupliciter limitari debent;

1°. quoad jus, quod actionum, et nominum venditione transfertur: quia per hujusmodi venditionem in emptorem solummodo jus agendi utile transfertur.

2.° *Quoad rem* quae vi cessae actionis peti ab emptore potest; nam quomodocumque egerit emptor, plus nequit petere, quam venditor potuerit.

3.° *Quoad ipsas actiones*; nam aliquae vendi non possunt: ut litigiosae; criminales; populares; actio personalis ad usum petendum; actio ad rem jure sanguinis retrahendam respectu extranei; actiones quae alias prodesse nequeant.

4.° *Quoad emptores;* nam 1. non possunt actiones transferri in potentiorem invito debitore; 2. privilegiatis a personis non privilegiatis; 3. tutores, et curatores emere actiones prohibentur contra illos, quorum tutelam, aut curatelam habent, vel habuerunt; judaei nequeunt vendere actionem contra christianum, neque christianus judaeo.

5.° *Quoad pretium*, quod exponitur pro actione empta; emptor enim juxta Anastasii Imp: constitutionem non potest plus exigere, quam quantum pretii nomine vendenti ipse exolvit.

Controversia est, cui debiti residuum debeatur: deciditur si bona fide minori pretio sit actio vendita, penes debitorem remanet; si mala, lucro debitoris cedit, sed solum in tribus casibus.

Ut constitutio haec locum habeat, et emptor nominis non possit plus exigere, quam quantum ipse venditori dedit, requiritur, ut cessio seu venditio sit facta pretio non justo, sed viliori, et quidem a venditore ab hoc inducto per emptorem animo, vel debitoris lacessendi, vel improbi lucri captandi causa.

Principales casus, qui multi sunt super hac re, 1. si debitum minori pretio emptum sit affectum aliquo vitio: 2. si venditor proprio motu, et probabilem ob causam ultro actionem effert, et rogat, ac viliori pretio vendit: 3. si cessio fit inter cohaeredes dividentes hereditatem: 4. si fit inter eos, qui habent actionem; vel rem communem etc.

Venditionis et emptionis partiale objectum est *pretium*,

Debet esse 1. *verum*, et *sincerum*: 2. *nummarium*, seu *pecuniarium:*

3. *certum* certitudine absoluta, vel saltem relativa: 4. debet esse *proprium:* 5. *justum.*

Non est licitum quolibet pretio vendere, et emere, sed tanti res aestimanda, quanti vere est, et omnibus valet, non quanti alicui ex affectione.

Ex affectione nonnulli gemmas, volucres, aliaque animalia, et merces exteras, statuas, nummos, quocumque pretio vendi statuunt ob DD. auctoritatem, etsi earum justum pretium aequior sit prudenti viro aestimandum.

Rerum pretium duplex maxime est *legitimum*, et *naturale; legitimum* dicitur, quod a lege, seu principis, aut magistratus publica ordinatione est definitum, et est indivisibile: *naturale* quod ex ipsis rerum naturis spectato hominum affectu necessitate, utilitate provenit; et triplex communiter assignatur summum, medium, infimum.

Etiam clerici statutis pretium taxantibus tenentur.

Si pretium legitimum est majus vulgari, illo vendere licet, si statutum in gratiam venditorum est, alias, si in emptorum gratiam.

Si pretium legitimum sit minus vulgari, respondetur distinguendo: aut circumstantiae ille, ob quas statutum est tale pretium, existunt, et tunc non licet exigere pretium vulgare: aut sunt mutatae, nec pretium taxatum mutatur, hoc in casu vulgare exigi potest.

Rerum pretium variis de causis variari constat, etsi intrinsecam bonitatem retineant.

1.° Propter labores, pericula, et sumptus in ejusmodi rebus colligendis coemendis, asportandis et conservandis factos; sed ordinarios.

2.° Propter damnum emergens venditori, sed per hoc tria requiruntur; 1. ut revera damnum ex contractu emergat: 2. ut damnum, quod ex contractu incurritur, propter eum habeatur, cum quo contrahitur: 3, ut emptor monitus sit, quod damnum mihi oriturum sit ex tali contractu, ac propterea auctius pretium petam.

3.° Propter lucrum justum eidem venditori cessans ex venditione: sed ut auctio haec pretii fiat, tria iterum requiruntur; 1. ut venditio sit vere causa lucri cessantis; 2. ut non tantum exigam pretium quantum absolute, et per se est lucrum, quod sperabam, sed ultra sumptuum aestimationem ob rei conservationem; 3. ut emptor a venditore pretium ob lucrum cessans augente de hoc moneatur.

4.° Propter singularem affectionem, et multo magis utilitatem,

Digitized by Google

quam ex re vendita capit benditor; ex hoc titulo, ut item pretium augeatur varia sunt observanda; ut venditor non leviter sit affectus ad rem quam vendit etc.

5.° Propter verisimile periculum, et rationabilem timorem solutionis pretii non obtinendae, ac proinde pretii cum merce amittendi; et hic etiam ad pretium augendum nonnulla requiruntur, ut e: g: sit verum periculum, et non fictum; et caetera.

6.° Propter rerum, sive mercium penuriam, et emptorum multitudinem vel contra illorum copiam, horumque paucitatem.

7.° Propter modum vendendi, et emendi.

Res carius vendi, aut vilius emi nequit ob sotam indigentiam, necessitatem, vel utilitatem particularis alicujus emptoris, aut venditoris pecunia valde indigentis.

Peregrinis vendi nequidem, potest cariori pretio, et exteris per loca transeuntibus, quam incolis, et inquilinis.

Chirographa, et debita immatura emi possunt minori pretio, si dubia, aut sine lite obtineri nequeunt; aliter non potest.

Si alicujus mercis pretium sciat venditor brevi minuendum, potest eam vendere currente pretio.

Cui tradita est res vendenda pro certo pretio, excessum, quo pluris vendidit retinere nequit nec donationis, nec mercis titulo, regulariter loquendo, nam casus adsunt in quibus potest retineri excessum.

Venditor mercis vitia, si rei *extrinseca*, manifestari non tenetur, ne ex charitate quidem: si *intrinseca*, vel sunt circa *substantiam*, et manifestari debet; vel *circa qualitatem manifestam* in quo non tenetur, utique si *occultam*.

Si emptor intentionem suam certae conditioni, vel qualitati alliget venditor tenetur vitium mercis manifestare, quod praecise circa qualitatem ejus se tenet: alias non tenetur, exceptis nonnullis vitiis.

Venditor ad traditionem rei contractu mutuo consensu perfecto, et impletis conditionibus, sub quibus de re, pro pretio tradenda conventum est; emptor ad pretii solutionem compelli potest.

Venditionis contractus consensu perficitur, traditione autem consumatur, ex qua rei dominium in emptorem transfertur, sed suas patitur exceptiones, ut res fisci, ecclesiae cujus etsi traditae, pretium solutum non sit, contractus non intelligitur consumatus.

Absque traditione dominium transfertur 1. si Ecclesiae, monasterio, aut pio loco, item civitati vendatur. 2. si emptor ex aliqua causa antecedenti teneat.

Digitized by Google

Ardua quaestio, an venditor, interesse solvendo, rei traditione liberetur, quod negative bonis rationibus respondetur.
Mercis traditio diversimode fit juxta ejus qualitatem.
Si res sit *mobilis* et levis, de manu in manum tradenda est.
Si gravior sit, rei demonstratione.
Si constet numero, etc. per degustationem, vel clavium traditionem, si res ad corpus vendita sit.
Si immobilis res sit, traditio fit per immissionem corporalem in fundum, et aliis modis.
Jurium, et servitum traditio fit, si venditor emptorem ducat in tantum, animo ibi illi constituendi, et tradendi servitutem.
Circa *locum*, et *tempus* traditionis, conventioni standum, aliter in loco contractus.
Si res duobus vendita sit, neutri tradita, tenet prima venditio; si vero secundo vendita, et tradita sit secunda valet, quamvis prima juramento sit firmata; et in aliis contractibus hoc locum habet.
Excipitur. 1. quando res primo emptori specialiter hypothecata est; 2. quando secundus emptor conscius fuit jam alteri rem vendiam esse; 3. quando res prius vendita fuit Ecclesiae, loco pio, civitati, vel pro redemptione captivorum.
Evictio nihil aliud est, quam rei suae, quam alius legitime titulo acquisierat, per judicem recuperatio.
Emptori venditor praestare evictio tenetur, etiamsi pars, vel ususfructus evictus illi sit.
Si res, servituti subjecta, tamquam libera a venditore sciente alienata sit de evictione ipse tenetur.
Si tota res emptori evicta sit, totum pretium illi a venditore praestandum; si pars evicta, pretii etiam pars restituenda, exceptis 1. si partem tantum emptor, non emisset; 2. si pars quae remanet, sit inutilis; 3. si ita inter contrahentes convenerit.
Si mala fide res vendatur, emptori omne interesse, ac damna sunt praestanda, alias interesse tantum.
Ut venditor de evictione teneatur requiritur, 1. tempore contractus rem alienam esse emptorem ignorare; 2. super re empta litem ipsi motam, in tempore venditori denuntiaverit; 3. ut judicis sententia res abducta sit.
Litis denuntiationem super re empta venditori etiam scienti emptor fieri debet.
Excipitur 1. si per venditorem stetit; quominus ei lis mota denuntiaretur; 2. si venditor hanc obligationem per pactum remisit;

3. si emptor sit minorennis, et venditor aliunde scivit litem ipsi moveri: etc.

Denuntiatio fieri debet cum protestatione, et requisitione, ut venditor liti motae assistat: et caetera.

Multis in casibus emptori de evictione, venditor non tenetur; ut e. g. si ei lis denunciata non sit; si contra emptorem sententia lata est a judice contumaciter absentem; si per imperitiam, errorem judicis res evicta sit: etc.

Qui scit in fundo latere thesaurum, venditor vero hoc ignorat, emere illam ab hoc pretio vulgari potest, ut si thesaurum non contineret.

Quod de thesauro dicitur, extenditur super fodinis lapidum pretiosorum in agro latentibus, salis, metalli quas emptor scit, venditor in fundo esse ignorat.

Si moneta, quae venditori datur pro mercis pretio sit adulterina, et venditor eam putet legitimam, injuste emptor agit, et legitimam substituere debet.

Si minoris sit pretii et venditor putet eam esse majoris, non obligatur emptor errorem venditori eximere, modo moneta, quam solvit ex contractu, aequet praetium mercis intimum.

Similiter non obligatur monere emptor venditorem, si paulo post monetae jam praestitae valor sit diminuendus.

Est emptoris pretium solvere in moneta legittima, et tali, quae in loco ubi fit solutio sit talis.

Debet solvi in ea quantitate, et quantitate, de qua convenit.

Eo in loco, iisque expensis, super quibus in contractu expresse, vel tacite convenit, alias eo in loco quo emptio celebrata, vel mox tradita est.

Illo die solvere debet, qui solutioni in contractu praefixus est.

Si emptor fuerit in mora culpabili solvendi pretium tempore praescripto, vel quo exigitur, tenetur proinde, ac venditor, si iste mercem debito tempore non tradat, non tantum de dolo, et culpa lata, sed etiam de levi.

Si de pretio fides habita sit, absque pacto emptor non tenetur de usuris.

Ex causa lucri cess: et damni emerg: potest venditor de usuris licite pacisci si solutioni dilationem concesserit.

Si res empta, apud venditorem sine culpa sua perierit, vel deterior facta sit, damno emptoris est et totum pretium solvere, vel si solvit, condicere non potest.

Ad venditorem, periculum rei non traditae, pertinet:

Digitized by Google

1.° Si expresse in contractu conventum fuit, ut ad venditorem spectaret.

2.° Si venditor fuit in mora culpabili tradendi rem venditam; nisi apud emptorem eodem modo periret.

3.° Si ob non exactiorem diligentiam venditoris, res nondum tradita, culpa etiam levi perierit.

4.° Si res vendita ante traditionem, publicetur, sive confiscetur ob venditoris delictum.

5.° Si res sit vendita sub conditione, et ea pendente pereat.

6.° Si vinum, aut equus venditus est ad futuram explorationem.

7.° Si conditio contrahatur in scriptis, et res pereat, antequam venditio in scriptum redacta sit.

8.° Si vendatur res indeterminata; vel determinata, sed alternative; tunc enim si unus eorum moriatur ante traditionem, venditori perit, si uterque, primus venditori, secundus emptori.

De fructibus rei venditae nondum traditae conventioni standum, si adsit; aliter distinguendo difficultas solvitur: collecti fructus ante contractus perfectionem ad venditorem pertinent: post ejus perfectionem pendentes ad emptorem; non pendentes, sed post venditionem nati fructus ad emptorem quoque pertinere deciditur etsi de iis DD. dissident.

Quod dictum est de fructibus naturalibus, dicitur etiam de civilibus.

Rei venditae accessiones, si per accidens rei accedant, non censentur venditae, secus, si ipsius rei venditae sint necessaria sequela, et effectus.

In rerum venditione contrahentes, se mutuo circumvenire valent usque ad justi pretii dimidium: verum hoc in conscientia admitti nequit.

Remedium, quo venditori succurritur, quando sit laesus ultra justi pretii dimidium, secus enim nulla datur actio, enim est vel ad rescissionem contractus vel ad pretii supplementum.

Casus in quibus etiam competit actio venditori laeso intra justi pretii dimidium; 1. si laesio proveniat ex dolo; 2. si pretium lege taxatum est; 3. si laesio contingat in contractu per procuratorem celebrato; 4. si contingat in aestimatione dotis; 5. si minor 25 annis laesus fuit.

Contractus, in quo laesio fit, ut rescindatur, vel pretium suppleatur stat per eum, qui decepit, rescissio; etsi bona fide utrinque celebratus sit.

Etiam emptori, qui a venditore ultra justi pretii dimidium laesus sit, hoc remedium datur.

Digitized by Google

Venditor laesus censetur quando rem quae valet 100 fl. vendat 49 vel minoris, non autem si 50, vel pluris.

Emptor laesus censetur, etsi controversia sit, quando plus, quam duplum dedit.

Variis in casibus remedium laesis non datur.

1.° Quando huic beneficio quis renunciavit specialiter, et expresse etiam juramento; excipitur, si laesio sit gsavissima.

2.° Si defectum venditor, vel excessum pretii emptor donet.

3.° Si res empta casu fortuito perempta sit.

Contra tertium, qui oneroso titulo rem acquisierit, et bona fide; remedium hoc intentari nequit.

Ut laesus convenire queat laedentem; 1. laesio ultra justi pretii dimidium esse debet; 2. justum pretium est illud temporis contractus attendendum; 3. pretium in integrum dare, vel rescindere si emptor laesit; restituere si venditor pretii excessum debet, aut rescindere.

Si emptor bonae fidei contractum rescindere malit, rem cum fructibus probabilius est restituere non debere, secus si malae fidei, qui etiam ad id, quod venditoris interest, deceptum non esse, obligatur.

Huic remedio etiam in aliis contractibus vel lucrativis, vel onerosis locus est; excipitur contractus transactionis, in qua frequentior DD. opinio est ultra dimidium laesis beneficium istud non competere.

Tribus peculiaribus modis contractus emptionis resolvi potest, mutuo contrahentium consensu, et edilitio edicto, et per retractum.

Potest mutuo consensu emptio venditio resolvi, *si res adhuc sit integra.*

Si res non amplius integra est, distinguitur; *in foro interno* sufficit nudum pactum emptoris, et venditoris; *in foro externo* praeter consensum requiritur, ut res in antiquum statum reducatur per restitutionem pretii, vel mercis.

Ad contractus dissolutionem sufficit consensus tacitus, et praesumptus.

Sicut emptio dissolvi potest quoad totum, ita etiam quoad partem.

Si quid ematur pure, deinde ab eodem sub conditione, posterior emptio priorem non tollit, nisi in secunda clare appareat recessisse contrahentes a priori contractu.

Fructus nati inter initum, et dissolutum contractum pertinent ad primum emptorem, etsi dissolvatur venditio remedio L. 2. C. de rescin. vend.

Contra venditores, qui res vitiosas vendiderunt vi aedilitii edicti conceditur duplex actio; *redhibitoria*, et *aestimatoria.*

Digitized by Google

Actio redhibitoria est actio personalis, qua emptor, vel ipsius haeres, propter vitium, quo cognito rem non emisset, agit adversus venditorem et ejus haeredes, ut venditione in totum rescissa, rem redhibeat; recipiat, pretioque reddito omnia in integrum restituantur.

Aestimatoria est actio personalis, et bonae fidei, qua emptor, aut haeres ipsius, ob vitium quo cognito tanti non emisset, agit adversus venditorem, et ejus haeredes, ut quanto minoris rem emisset de accepto pretio restituat.

Redhibitoria agitur, quando empta fuisset, sed ob vitium, minori pretio.

Redhibitoria rescindit contractum omnino: aestimatoria tendit ad restitutionem pretii, quanto minoris rem emisset.

Tempus redhibitoriae est *sex menses utiles*, aestimatoriae *annus utilis*.

Ut emptori detur actio contra venditorem requiritur ob vitium rei emptae: 1. ut venditor sciverit rei vitium: 2. ut vitium sit latens: 3. ut sit vitium antecedens, non subsequens emp: vend. 4. ut vitium sit tale quod rei usum impediat, vel deteriorem reddat: 5. ut si res animata vendatur sit vitium corporis non animi, nisi hujus etiam in corpus redundet.

Si venditor in re vendita asseveret, et promittat alicujus qualitatis existentiam, quae non extat, redhibitoria tenetur, vel aestimatoria; si commendavit tantum, cessat edictum aedilitium.

Si vitii venditor ignarus sit, hoc edicto conventus, sufficit si restituat id quod minoris emptor rem emisset, si vitium scivisset: si gnarus omne damnum, et interesse etiam extrinsecum praeter pretium praestare debet.

Praeter actiones aedilitias, actionem ex empto etiam dari posse affirmant DD. sed restringenda est ad qualitates, quae edicto propositae sunt.

Retractus, est redemptio rei venditae eodem oblato pretio, jure sibi a lege vel consuetudine, aut vi pacti concesso.

Est vel *conventionalis* vel *legalis: legale jus retractus* aliud *est legale scriptum* aliud *consuetudinarium.*

Capita ex quibus conceditur jus retractus quinque sunt: 1. *propter dominium directum;* 2. *propter creditum:* 3. *propter communionem:* 4. *propter vicinitatem:* 5. *propter consanguinitatem.*

Jus retractus gentilitius competit consanguineis venditoris, et quidem ex pacto ut semper qui propinquior est, praeferatur caeteris.

Qualitas consanguinitatis in retractu gentilitio ita requiritur necessario, ut hoc jus nulli alteri, vel competere vel cedi possit.

Digitized by Google

Retrahi possunt 1. bona immobilia, quae sc. a majoribus ad venditorem pervenerunt: 2. bona mobilia, si immobilibus cohaereant, aut simul cum iis veneant: 3. annui reditus etc.

Retrahens debet offerre pretium de quo inter extraneum, et venditorem rite convenit: 2. tenetur stare pactis contractui adjectis etc. 3. tenetur refundere impensas necessarias, et utiles ab emptore in rem factas.

Retrahere licet intra annum utile ab initio, et diem.

Jus retrahendi amittitur renuntiatione etiam tacita.

Locatio conductio est contractus bonae fidei, et solum consensu initus quo persona vel res aliqua alteri utenda, vel fruenda pro certo pretio, sive mercede conceditur, et ab eodem accipitur.

Locatio conductio differt ab omnibus contractibus, ut a mutuo in quo dominium transfertur, secus in locatione: etc.

Dividitur 1. *in publica, et privata:* 2. *in perpetua, et temporali:* 3. *in regulari, et irregulari:* 3. *iu locatione rei, et locatione facti:* 5. *in expressn, et tacita.*

Contractus locationis, inire possunt omnes, qui facultatem habent emendi vendendi.

Prohibetur 1. ex causa quaestus clerici, et religiosi. 2. milites. 3. tutores, et curatores.

Si duobus res promissa fuerit, alteri tradita, ipse habebit: si neutri tradita, cui primo promissa potior erit.

Primus conductor rem sibi locatam sublocare alteri potest, dummodo ad eandem usum, et aeque idoneo conductori locetur.

Conductor inscio, vel invito locatore nequit *de jure* alium sibi socium in cubiculum a se conductum assumere: *consuetudine* secus est.

Locari possunt res omnes, qnae hominum oommercio exemptae non sunt.

Si res aliena locata sit, et conductori evincatur ad id omne quod interest locator tenetur.

Operae sunt vel *simplices*, vel *praegnantes*: eae locari possunt, ut alterae si honestae, et mercenariae.

Communi DD. calculo recepta sententia est in perpetuum alteri locare operam suam quemque posse.

Nobiles operas subditorum suorum, quibus ipsi non indigent, aliis locare vel delegare nequeunt.

Nonnullae aliae res locari non possunt 1. *res propriae* ipsius conductoris: 2. *servitus praedialis* nisi locetur eum praedio: 3. *res fungibiles* praeterquam ad pompam, et ostentationem: 4. *jus cudendae monetae*: 5. *jurisdictio ecclesiastica*, non patrimo-

Digitized by Google

nialis, et temporalis: 6. res ecclesiarum etiam temporales si immobiles, vel mobiles praetiosae.

Locationis merces debet esse 1. *vera*, non ficta: 2. *certa* certitudine, vel absoluta, vel relativa: 3. *justa*, ut equivaleat usui rei, aut operae hominis.

Merces locationis in *locatione operae*, *et rei non frugiferae* probabilius consistere debet in pecunia numerata: in *locatione rei frugiferae* consistere potest in re aliqua fungibili; etsi variae sint sententiae.

Jure novo res ecclesiae locari nequeunt sine solemnitate canonica ultra triennium, quod est accipiendum pro utili, et fructuoso; excipitur si constitutio haec non sit recepta vel contrario usu derogata, nam tunc ad novennium fieri potest.

Locationes rerum ecclesiae, invalidae sunt, ubi constet, ad triennium receptae initae ita sint, ut elapso triennio, renovatae censeantur.

Locatio ejusmodi si individua est, itaque inita, ut ex mente contrahentium nonnisi pro triplicato triennio, vel novennio toto valeat, et tunc neque pro triennio, vel novennio valet; si dividua, itaque inita, et primo triennio finito, incipiat nova locatio, valet pro primo tantum.

Fructus, et reditus pertinentes ad ipsas ecclesias a praelato vel rectore ecclesiae ultra triennium non potest locari.

Fructus, et reditus beneficiales, qui ad mensam rectoris ecclesiae spectant, ultra triennium locari probabilius possunt.

Si facta est locatio fructuum pertinentium ad ipsas ecclesias legitime, et *secundum jura,* successor in dignitate vel officio locationi stare tenetur; si *contra jus* ligare successorem non potest.

Si locatio fructuum facta sit, qui spectant ad mensam praelati, ejusmodi locationi stare successor nunquam tenetur.

Successores universales stare tenentur locationi factae suis praedecessoribus, nisi in contractu appositum sit *quoad voluerit is qui locavit.*

Successor particularis regulariter stare contractu locationis a praedecessore factae, non tenetur: excipitur, quando locator, rei alteri locatae donatario vel emptori apposuit onus standi contractui a re facto in venditione, locatione; quando successor conductori saltim tacite concessit perseverare: etc.

Ex parte locatoris triplex nascitur obligatio 1. tenetur praestare liberum rei locatae usum, vel operas exhibere convento tempore, et modo: 2. non potest ante tempus rem locatam revocare:

3. conductori solvere expensas utiles, aut necessarias, si fecerit in rem conductam.

Locator inquilinum, etiam iuvitum ante tempus locationis finitum expellere potest quinque casibus:

1. Si de hoc inter ipsum, et inquilinum convenit: 2. ex causa superveniente, et antea non praevisa: 3. si post aedium locationem urgeat necessitas refectionis; sed hoc, et altero casu pensio pro rata temporis remittenda: 4. si conductor in re sibi locata perverse versatus sit: 5. si conductor non solvat pensionem; et cessaverit per biennium Jure Can: tunc judicis authoritate expellendus, antea nequit.

Locator totam pensionem exigere nequit, si re locata uti conductor non possit ob impedimentum ipsius locatoris, quod si justum sit, tenetur ad remissionem mercis, vel restitutionem pro rata temporis; si injustum neque merces ei debetur, scd et ad interesse tenetur.

Si *tertius aliquis* impedivit, nec locator, cum possit non prohibuit ad interesse obstringitur: secus si non potuit, quo ad mercedis remissionem pro rata.

Si impedimentum accidat ex parte rei conductae, liberatur conductor a pensione solvenda pro tempore, quo re uti nequit.

Si ob sterilitatem, vel alium casum fortuitum magna clades sit illata, locator conductori pensionem regulariter debet remittere pro rata damni, secus, si parvum damnum.

Pro rata damni pensio remittenda arbitrio judicis, qui', deductis expensis cognoscat fructus tam exiguos superere, ut non aequent dimidiam partem pensionis.

Varii sunt casus in quibus nihil de pensione remittitur, ut 1. si cum conductore de remissione non petenda expresse conventum sit: 2. si clades accidit culpa ipsius conductoris, aut servorum etc.

Fructuum ubertas ex industria, vel opera conductoris, sive ex fundi bonitate si proveniat, augeri non debet pensio; utique si ex casu fortuito.

Obligatio conductoris triplex est: 1. solvere mercedem integram 2. in tempore convento rem in specie restituere, et resarcire damna etc.

Conductor de levissima culpa non tenetur, exceptis nonnullis casibus.

Si ex incendio damnum evenit, et ignoratur an culpa, vel casu, locatori imponenda est probatio, etsi multi in diversas abiunt sententias.

Si per conductorem stet, quominus locator operae operas suas exibeat

tenetur ad integram mercedem solvendam, modo operae alteri non sint locatae, nec solutae.

Si per locatorem, tenetur conductori ad id quod interest operas non esse praestitas.

Si impedimentum aliunde proveniat, videtur locator operae nullam posse a conductore mercedem exigere, quamvis a nonnullis distinguitur.

Locatio conductio finitur varii modis ut ex. g. mutuo consensu contrahentium si locator rem locatam alicui donaverit, vendiderit, legaverit etc.

Morte locatoris, vel conductoris locatio non finitur.

Ex justa causa ante finitum conductionis tempus conductor recedere potest, invito locatore, nec pensionem ultra solvere cogitur, imo remittenda ei est pro rata temporis, quo re uti non licuit.

Conductor discedens expensas ordinarias deducere nequit; extraordinariarum *necessarias et utiles*; voluptarias, tantum si tolli possunt sine deterioratione rei conductae.

Secundus conductor mercedem solvere potest tam primo locatori, cum modo ei jam solutum non sit a secundo; et hoc in casu ab utroque liberatur; tam secundo locatori.

Emphyteusis est contractus juris gentium nominatus, bonae fidei solo consensu constans, quo res immobilis cum translatione dominii utilis, retento directo, in perpetuum, vel ad tempus alicui utenda fruenda conceditur, cum onere certae pensionis realis domino directo certis temporibus persolvendae.

Ab omnibus contractibus differri emphyteusis ex solo definitione dignoscitur.

Si dubitatur quo jure solvatur pensio, censuali, an emphyteutico, juxta regionis morem contractus communiter reputatur; aliter ex conjecturis deciditur, quas eliciendas putamus ex vocibus in istrumento repertis, sive *venditionis*, vi cujus pro censuali habetur; sive *laudemii*, et emphyteusis reputabitur.

Emphyteusis divisiones sunt: 1. *ecclesiastica* cujus dominus ecclesia est, et *laica* quae in re profana constituta est: 2. *Nova, et vetus* 3. *In haereditariam, non haereditariam, et mixtam:* 4. *In perpetuam, et temporalem.*

Emphyteusim concedere possunt omnes, quibus praeter dominium competit libera rerum suarum administratio, et alienandi facultas.

Praelatus in emphyteusim ecclesiae fundum sine justa causa, et sine solemnitatibus dare nequit; utique si de re modica, et parum utili agatur.

Digitized by Google

Fundus in emphyteusin datus, et quacumque ex causa ejus dominium utile ad ecclesiam reversum sit, a praelato sine capituli consensu, et aliis juris solemnitatibus, iterum concedi alteri in emphyteusim potest, modo eadem causa sit concedendi, quae olim erat.

Concessio in emphyteusin, aut feudum a praelato est facienda eodem modo, et non minus ecclesiae utili, quam olim facta erat.

Emphyteusin accipere possunt, qui contrahere, aut contrahendo obligari queant.

Si emphyteusis est ecclesiastica magis attendi debent ss. canones, quam leges civiles, nisi ab ecclesia approbatae, aut usu receptae sint.

Praelatus emphyteusim, quae ad ecclesiam reversa est potest consanguineis suis concedere, modo omnia bona fide, et cum evidenti ecclesiae utilitate agatur.

Dominus rei emphyteuticae, finita generatione pro qua concessa fuit, aut alio modo ad ecclesiam reversam, tenetur dare cognatis ultimi emphyteutae, si petant; eosque preferri extraneis, si emphyteusin rursus concedatur, et non pro se, aut suis reservare velit.

Laicus qui ab ecclesia, val alio, a tributis et similibus oneribus exempto, praedium in emphyteusin accepit, a tributorum etc. onere etiam ipse exemptus est, quamvis, qui negant non desint.

Si emphyteusis perpetua concessa sit sine aliqua temporis restrictione, modus concessionis inspiciendus; an videlicet *concessa sit pro se et filiis*, quo casu, succedere possunt etiam fœminae.

Si concessa sit *pro se*, *et haeredibus* quibuscumque; vel alia simili particula; etiam ad extraneos transit.

Si simpliciter *pro se*, *et haeredibus* DD. distinguunt inter emphyteusim laicam, et ecclesiasticam: verum hoc in casu utraque ad extraneos asseritur transire, adhibitis in ecclesiastica solemnitatibus.

Si *concedatur simpliciter nulla facta mentione expressa haeredum, aut filiorum*, censetur emphyteusis familiaris, et ex providentia, cui soli filii, et descendentes succedunt, etsi haeredes non sint, vel repudiarint.

In *emphyteusi laica* succedere possunt naturales, deficientibus legitimis, si tempore contractus jam existebant; secus, si qui eam accepit non habuit tempore illo contractus.

Ecclesiastica emphyteusis nunquam censeri debet concessa illegitimis,

etiamsi legitimati sint rescripto principis, nisi aperte id expressum fuerit.

Si emphyteusis sit simpliciter haereditaria, uni liberorum in dotem dari, aut praelegari potest.

Si et pacto providentia primum emphyteusis accepta sit ab emphyteuta, consensu domini uni filiorum praelegari potest; secus si antiqua sit emphyteusis.

Si emphyteuta religionem profiteatur stabilium bonorum et redituum incapacem, succedunt sequentes vocati, juxta emphyteusis concessionem; si capacem, succedit monasterium in emphyteusi haereditaria: in ea non haereditaria, quamdiu vivit religiosus professus, illius utilitatem habet.

Obligationes quae nascuntur, ex contractu emphiteutico, ex parte Domini directi sunt, translationem possessionis rei emphyteuticae, ejusque liberum usum cum utile rei dominio in accipientem: ex parte emphyteutae, ut utatur fruatur arbitrio boni viri, ut in recognitionem dominii solvat annuum canonem, etc.

Impendia, quae ad fundi conservationem pertinent praestare emphyteuta debet: quae ad restaurationem, si absque culpa emphyteutae, dominus directus praestare tenetur.

Ob sterilitatem, aut alium casum fortuitum pensio non remittitur, si exigua sit, secus, si ea fructibus respondeat.

Pensio quae imponitur emphyteutae fructibus adaequare potest, deductis expensis, et habita ratione laudemii; plerumque minor, et modica est.

Variis casibus laudemium non debetur, ut e: g: quando haeres necessarius accipit rem emphyteuticam titulo hareditatis, quando plures haeredes eam inter se dividant; etc.

Ut emphyteutae liceat emphyteusim vendere, domino directo denuntiare debet; post hanc denuntiationem duos menses expectare debet, si statim non respondat, antequam vendat; ut non vendat iis qui emere prohibetur.

Si aliter vendat emphyteuta expelli potest, et emphyteusim in commissum cadit ipso jure.

Non requisito domino rem emphyteuticam vendi licet 1. si in ipsa investitura conventum sit, ut liceat vendere 2. si concessa ita sit, *pro se, et aliis quibus ipse dederit*. 3. si dominus a novo emphyteuta pensionem accipiat. 4. si dominus directus sit fiscus. 5. si socius vendat socio.

Ut emphyteuta incurrat poenam privationis, ob venditionem rei emphyteuticae sine domini consensu requiritur 1. ut sit secuta rei traditio, etiam ficta; 2. ut alienatio sit vera; 3. ut non sit

alio capite invalida quam quod inconsulto domino directo facta sit; 4. ut alienatio sit pura, non conditionalis.

Alienari potest irrequisito domino emphyteusis, donatione, permutatione etc.

Emphyteusis finitur 1. lapsu temporis, ad quod concessa. 2. Extincta generatione, ad quam data est emphyteusis; 3. totali interitu rei emphy: 4. si emph: alienet non servatis conditionibus: 5. si predium emph: notabiliter culpa etiam levi deterioretur: 6. si canonem, in laica biennio, ecclesiastica triennio emph: non solvit in recognitionem dominii.

In poenam commissi cadit emph: si solutio culpabiliter per biennium aut triennium sit omissa.

Jure suo non cadit emph: non solvens canonem 1. si proprietarius solutionis omissionem dissimulet, et emphyteusim non revocaverit: 2. Si ipse debitor emphyteutae sit: 3. si pensio non solvatur ob probabilem ignorantiam, vel aliam justam causam: 4. si fructus tam modicos ex re emph: percepit ob sterilitatem etc.

Mora purgari potest tam in emph: eccles; tam in laica in qua ex aequitate solum; et intra tempus purganda arbitrio iudicis statuendum.

Post moram, dominus directus recipiens canonem futurum sine protestatione sibi salvum velle jus expellendi emph: caducitas remissa censetur; si praeteritum DD: dissident.

Permutatio est contractus innominatus, juris gentium, bonae fidei, re et consensu costans, quo res alia lege datur, ut vicissim altera reddatur.

Differt permutatio *ab emptione; vend:* quia haec perficitur solo consensu; illa re, et in multiplicibus aliis.

A *mutuo* in quo spectatur primario utilitatem debitoris; exigit intervallum aliquod temporis inter traditionem rei mutuatae, et solutionem ex mutuo etc.

A *precario*, *commodato*, *locatione*, *emphyteusi*, quia in his usus solum, vel dominium utile; in permutatione etiam directum transfertur.

Res omnes permutari possunt, si propriae permutantium sint, positae in humano commercio, nec alienari prohibitae.

Permutationis effectus sunt, ut ab una parte re accepta, alteri promissa alia tradatur; ut dominium hinc inde transferatur; ut rebus integris, uterque poenitere possit; ut actione praescriptis verbis agatur.

Actio praescriptis verbis competit, quando unus permutantium contractum rei suae traditione implevit; sed et ipse poenitere potest.

Jus poenitendi etiam ad haeredes transmittitur, etsi controversia sit.
Si ex parte alicujus permutantis res tradita sit, ut invicem alia ab altero accipiatur, et haec antequam tradatur pereat, periculum ejus est, qui nihil tradidit, et alter rem traditam repetere potest.
Permutatio rei spiritualis pro temporali fieri nequit, sine simoniae crimine.
Res purae spirituales inter se permutari possunt; secus si una res ex permutandis mixta sit; *excipitur*, nisi temporale sit separabile.
Si utraque res sit spiritualis mixta, permutari inter se possunt, dummodo eodem modo utrumque connexum sibi temporale habeat.
Res *mobiles* ecclesiae non *pretiosae* permutari licet.
Ut mobiles pretiosae et immobiles permutentur, requiritur justa causa et solemnitates a jure praescriptae ad earundem alienationem.
Utilitas ecclesiae evidens requiritur ad permutationem rerum ecclesiae.
Jure, et praxi curiae romanae consideratis, solemnitates ad valorem permutationis necessariae sunt, etiamsi haec fiat inter duas ecclesias.
Ecclesiae, vel ipsa beneficia, si teneantur jure proprietatis, et incorporationis vendi nequeunt; ex justa autem utilitatis causa, et accedente superioris authoritate, permutari tum per se, tum quoad possessiones eis aunexas possunt.
Etiam ecclesiae, et beneficia in titulum obtenta permutari possunt si conditiones a jure requisitae observentur.
Permutatio ex jure canonum simoniaca censetur, si absque superioris authoritate facta sit.
Qui sic permutant sine sup: author: excommunionem majorem incurrunt.
Beneficia in quibus permutantes certum jus quaesitum habent ordinarie omnia permutari possunt.
Beneficia quae cum aliis permutari nequeunt sunt, 1. *beneficia unita* alicui ecclesiae, monasterio, vel alteri beneficio: 2. *beneficia reservata Summo Pontifici* a quo tantum permitti potest: 3. *beneficia, ad quae permutans solummodo habet jus personale* seu ad rem per praesentationem etc: 4. *beneficia litigiosa* 5. *beneficia quocumque modo amissa*: 6. *beneficia solum expectata.*
Beneficium cum pensione temporali nullo modo permutari permittitur, utique cum clericali, et ecclesiastica.
Permutari non licet beneficium cum alio jure diversi ordinis.

Digitized by Google

Unum cum pluribus, plura cum uno si compatibilia inter se sint ordinarii author: permutari possunt.

Etiam inaequalia vel quoad spiritualia, vel in temporalibus permutari invicem super: author: possunt.

Si beneficia permutata sint inaequalia, excessus unius pecunia, vel alia re temporali permutari nequit.

Nequidem compensatio fieri potest, quando beneficia permutata sint inaequalia quoad temporalia, quod unum sit pinguius altero.

Superioris authoritas requiritur ad faciendam beneficiorum permutationem quia benef: eccles: sine canonica institutione obtineri non possunt: quia non possunt clerici libere de beneficiis suis disponere: et ecclesia omnes pactiones circa beneficia horret.

Authoritate superioris permutatio facienda nempe 1. summi pontificis qui semper cum omnibus episcopis concurrit. 2. vel episcopi proprii loci, quo beneficium situm est.: 3. vel capituli sede vacante; excipitur in his quae ad episcopum solum spectant: 4. vel praelati, qui distinctum habet territorium, ab ordinarii jurisdictione exemptum.

Alii praelati qui jurisdictionem quasi episcopalem non habent authoritatem permutationi praestare nequeunt ex sententia probabiliori, ac in praxi tutiori doctrina.

Ut episcopus vel alius praelatus permutationem permittere possit, requiritur

1.° Beneficia sita esse debent in ipsius dioecesi.

2.° Requiritur consensus illorum; qui jus nominandi, praesentandi, eligendi., et conferendi beneficia permutanda habent.

3.° Beneficia permutanda debent esse talia, quae sint permutationi obnoxia etc.

Gratia expectativa non impedit permutationem.

Justa causa necessitatis, vel utilitatis requiritur ad faciendam beneficiorum permutationem.

Utilitate, vel necessitate ecclesiae suadente, potest episcopus motu proprio clericum ab una ecclesia transferre ad aliam, vel illum cogere ad faciendam permutationem.

Resignatione ab uno jam facta, si alter permutationem nolit, vel non possit beneficium suum resignare, is qui resignavit, beneficium repetere potest, nec nova collatione opus est; etsi tutior, et communior contraria sententia.

Ad valorem permutationis requiritur, ut uterque habeat jus in beneficio permutato.

Feudum definitur, *benevola, libera, ac perpetua concessio rei immobilis, aut ei aequivalentis, qua illius dominium utile, pro-*

Digitized by Google

prietate retenta sub obligatione fidelitatis, et servitii, seu obsequii personalis exhibendi transfertur.

Feudum est contractus reciprocus, quia obligationem ultro citroque inducit: et dominus directus obligatur 1. ut vassallo conferat investituram in re feudali: 2. ut damnum resarciat, quod ex dilatione investiturae vasallus sustinuit: 3. ut consilium, et auxilium vasallo praestet.

Vasallus obligatur 1. ad fidelitatem domino exhibendam: 2. ad servitia seu obsequia personalia: 3. ad curam rei feudalis: 4. ad petendam renovationem investiturae si mutatio fiat domini directi intra annum.

Hic contractus est consensualis, nominatus, etsi nonnullis displicet, et bonae fidei.

Feuda sunt diversissimi generis, et dividitur in *proprium, seu rectum, et improprium*, seu non *rectum:* 2. *in nobile*, *et non nobile*; nobile subdividitur in regale et non regale: 3. in *novum*, et *vetus* quod subdividunt in paternum; et avitum, seu simpliciter antiquum 4. dividitur in feudum *ligium*, *et non ligium*: 5. in feudum *ecclesiasticum*, *et saeculare:* 6. dividitur *in masculinum*, *et foemininum:* 7. *in haereditarium*, *gentilitium*, *et mixtum*: 8. *in perpetuum*, *et temporale etc.*

In feudum res tantum immobiles, et quae his cohaerent, vel iisdem aequiparantur dari possunt.

Res solo adherentes in feudum concedi possunt seorsim a fundo, dummodo utiles sint.

Castro a *privato* in feudum dato, etiam territorium totum censetur datum; secus si a *principe.*

Integro territorio in feudum dato, transit etiam jurisdictio.

Antiquitus feudo contulerunt solus imperator, rex, et qui magistratum creandi potestatem habent etc. nunc ii omnes qui rerum suarum administrationem habent.

Minor bona sua in feudum per se, et primum dare nequit.

Filius familias de suis *bonis castrensibus*, *et quasi*, *et de peculio irregulari* feudum facere potest.

Clerici de bonis patrimonialibus, vel quasi; ecclesiae, sive praelati de temporalibus feudum constituere possunt.

Si constat, quod res de qua infeudanda agitur, aliquando legitime infeudata fuerit, etsi post breve tempus ad ecclesiam revertatur, rursus infeudari poterit absque solemnitate: si dubium sit, exigitur ut 40 saltem annis in feudum res illa concessa sit.

Res feudales ad ecclesiam reversas capitulum sede vacante denuo infeudare potest, si ad solum capitulum in feudum dari spectet.

Digitized by Google

Praelatus rem feudalem ad ecclesiam reversam denuo infeudare potest, sed modum infeudationis prius decretae servare debet.

Praelatus infeudationem rei feudalis promittere in casum aperitionis potest.

Si antecessor praelatus feudum alteri promisit, cum capituli consensu in aperitionis casu, successor tali promissione tenetur.

Feudum sibi ipsi in re sua quisque constituere potest.

Omnes feudi capaces accipiendi sunt qui jure non prohibentur.

Sic etiam foeminae, furiosi, prodigi, surdi, muti, et coeci, ac servi etc.

Exclpiuntur, heretici, apostatae, excommunicati, banniti, rei criminis laese maj: aut horum filii etc.

Clerici saltem saeculares feudorum recipiendorum per se loquendo incapaces non sunt.

Religiosi professi feudorum, quamtumvis laicalia illa sint, modo servitium personale cum statu ecclesiae: et relig: incompatibile nullum exigant, capaces sunt.

Si aliquis religiosus factus sit episcopus, et ad ipsum devolvatur feudum capax erit si servitium compatibile exigit.

Feudum acquiri potest variis modis, vel inter vivos, ut pacto, investitura, donatione, emptione, permutatione, praescriptione, vel mortis causa.

In feudis successio tantum ab intestato datur excipitur nisi dominus consentiat etiam ex testamento vel feudum sit haereditarium.

Ut quis in feudo succedere possit requiritur, ut sit habilis ad officia, et servitia praestanda.

Infames a successione feudi repelluntur, si ei annexa dignitas sit.

A successione feudali excluduntur ascendentes, sed exceptiones patitur.

In feudo succedunt solum filii ex legitimo matrimonio naturaliter procreati.

Legitimati solummodo per subsequens matrimonium ad successionem in feuda nunc admittuntur.

Filius repudiata patris haereditate, neque in feudo ex pacto, et providentia succedere potest; utique agnati.

Regulariter, et ordinarie etiam foeminae repelluntur a fèudorum successione.

Foemina semel admissa ad feudi succ. nato postea masculo, non tenetur restituere.

Clerici in feudo suo modo succedere possunt: de clericis vero in sacris constitutis, et religiosis professis observandam esse consuetudinem legitime introductam.

Religiosus professus succedere potest in feudo si monasterium, aut religio, in qua ille professionem emisit successionis in bona temporalia capax sit, et hoc in casu utilitatem ex feudo percipit, quamdiu professus vivit.
Ad successionem in feudo vocantur primo loco descendentes seu liberi defuncti Vasalli 2. his deficientibus, si feudum antiquum sit, succedunt collaterales ex primo acquirente 3. iis etiam deficientibus ad dominum directum redit.
Investiturae renovatio peti debet si mutatur persona domini, et persona Vasalli.
Arbitrarium est tempus intra quod renovatio petenda, si feudum sit novum: in antiquo intra annum, et diem.
Sine Domini consensu feudum alienari nequit, et si fiat invalida alienatio est, et vasallus feudum perdit etc.
Feudum amittitur ex persona vasalli, ex persona domini, vel ex re ipsa.
Et re ipsa extinguitur, totali interitu rei feudalis
Ex persona Domini finitur decedens haerede non relicto; et si in vasallum delinquat ipse dominus.
Ex persona vasalli, ob culpam, vel haeredum deficientiam.
Ob culpam, vel aliquid committendo contra dominum, vel aliquid omittendo.
In multis casibus ob non petitam investiturae renovationem praescripto tempore feudum non ammittitur, ut si vasallus, qui passus est elabi tempus, sit minor 14 annis: si vasallus juste ignoret casum evenisse, quo debeat investituram petere etc.
Vasallus a poena caducitatis non excusatur, si poenitentia ductus, feudum male alienatum in continenti recuperaverit.
Ut feudum amittatur sententia condemnatoria opus est.
Amisso feudo novo ob delictum ad dominum, convenit inter DD. redit.
Pignus conventio est, qua res aliqua obligatur creditori in securitatem debiti.
Consistit in aliqua re mobili, et re perficitur; hypotheca autem in immobili, et sola conventione perficitur.
Pignus seu hypotheca est vel *expressa* vel *tacita*; expressa vel est *generalis*, *vel specialis*.
Hypotheca tacita, est *conventionalis*, vel *legalis*, quam leges citra ullum hominis factum in favorem quorumdam creditorum imponunt rebus, ut *minores* et *pupilli* in bonis tutorum, vel curat. habet. *uxor*. in bonis maritis etc.
Pignus dividitur etiam in *voluntarium* et *necessarium* quod authoritate seu imperio magistratus constituitur.

Res omnes, quae vendi vel alio modo alienari possunt hypothecae subjici possunt, ut mobiles et immobiles, res quae extant, et quae sperantur, actiones et jura, usufructus, feuda cum consensu domini nomina debitorum.

Quae absolutae, et per se ipsas prohibentur vendi oppignorari prohibitum est.

Hypoteca in ecclesiasticis bonis generalis, si justa causa hoc exigat, vel suadeat, praelatis jure tam antiquo, quam novo licita asseritur, et ab iis fieri etiam sine solemnitatibus alias requisitis.

Omnes pignori dare qui contrahere vel alienare possunt; excipitur; maritus, qui fundum dotalem, etiam uxorem consentiente obligare nequit; tutores, vel curatores res pupilli, minoris immobiles, aut pretiosas sine judicis decreto; procurator; qui habet generalem administrationem non liberam.

Regulariter omnes pignus accipere possunt, modo facultatem contrahendi, et se ipsos obligandi habeant.

Debitor tenetur creditori statuto tempore pignus tradere: ante solutionem vel satisfactionem repetere nequit: in eo conservando si expensas nonnullas creditor fecerit solvere eas debitor tenetur.

Creditor obligatur ad pignoris custodiam, et levi culpa tenetur: 2. uti pignore prohibetur: 3. si totum debitum solutum sit creditori illico pignus reddere tenetur: fructus etiam meliorationes, et accessiones.

Jus creditoris in eo est, ut satisfactionem quaerere sibi potest, si debitor non solvat intra tempus, a quocumque possessore illud vindicare.

Creditor rem sibi oppignoratam, nonnullis observatis, alteri oppignorare potest.

Si constituto tempore creditori solutum non sit post unam denunciationem pignus ipse vendere potest; idem si adsit pactum de non distrahendo, hoc vero in casu post trinam denunciationem vendere licet.

Debitori post solutum debitum ad pignus repetendum cum fructibus etc. datur actio pignoratitia directa personalis contra creditorem ejusve haeredes.

Creditori datur actio pignoratitia contraria; datur etiam actio serviana si ipse praedium rusticum locavit; in aliis rebus immobilibus, hypothecaria.

Variis modis pignoris obligatio dissolvitur, 1. solutione debiti vel satisfactione. 2. oblatione et depositione pecuniae. 3. remissione debiti expressa, vel tacita. 4. judicis sententia. 5. alienatione pignoris cum consensu cred. 6. interitu totali rei oppignoratae

Digitized by Google

Antichresis est conventio, qua creditori in vicem usurarum ex fundo oppignorato fructus percipere permittitur, jure civili, haud vero canonico, quo in sortem computari debent.

Pactum legis commissoriae tunc datur, quando si debitum intra statum tempus solutum non sit, conventio est, ut pignus pro eo datum committatur et transeat in dominium creditoris; sed pactum hujusmodi prohibitum est, et si contractui adjectum ipso jure nullum est.

Valida est conventio, si debitum intra statum tempus solutum non sit, pignus sit venditum, et creditori justo pretio emptum: imo si desint verba *justo. pretio* sed subintelligantur, valet conventio.

Pactum legis commissoriae etsi in continenti, vel intervallo appositum; etsi juramento firmatum; vel legis beneficio prohibentis tale pactum debitor renunciaverit, nullimode valet.

Ususfructus jus est utendi fruendi alienis rebus salva earum substantia.

Usufructuarius cavere proprietatis Domino debet in vero usufructu se usurum, fruiturum salva rerum substantia; in quasi se eo finitum tantundem restituere.

Cautio ab usufructuario praestanda, potest esse vel pignoratitia, vel fidejussoria.

Cautio juratoria, praestanda nec ne ab inope usufructuario arbitrio judicis remittendum.

Omnes cautionem praestare debent: excipitur, pater in bonis filiis adventitiis; fiscus; usufructuarius; cui in diem certum proprietas relicta est.

In omni usufructu cautio praestari debet, nec remitti potest a testatore, utique ab haerede, vel si constitutus ususfructus contractu inter vivos sit.

Fidejussio est contractus, *in quo quis promittit se soluturum quod debet alius, si debitor principalis non solvet.*

Fidejussio sine obligatione principali, cui accedat non subsistit.

Divisiones fidejussionis sunt 1. *necessaria*, quae a lege, vel magistratu exigitur, et *voluntaria*: 2. *judicialis*, et *extrajudicialis*: 3. *principalis*, et *succedanea*, qua fidejussor fidejussori intercedat: 4. *simplex*, et *indemnitatis*: 5. *idonea*, et *non idonea*.

Fidejussores in omnibus contractibus, et obligationibus tam naturalibus, quam civilibus, item de iis, quae ex delicto proveniunt, si civiliter agatur, adhiberi possunt.

In tantum obligari se fidejussores possunt in quantum rei principales; in plus de jure nequeunt.

Digitized by Google

Si fidejussor in plus se obligat, quam debeat debitor principalis, fidejussoria obligatio tollitur quoad excessum.

Omnes fidejubere possunt, nisi specialiter prohibentur ut 1. pupilli sine tutoris, et minores sine curatoris, si habeant, authoritate: 2. servi sine jussu Domini: 3. milites, qui in castris atque expeditione versantur: 4. religiosi sine consensu praelati: 5. praelati, sed cum aliqua exceptione: 6. mulieres nec pro marito, nec pro quolibet.

In nonnullis casibus mulieres fidejubere possunt, ut si intercedat apud craditorem minorem; si in dotem alterius aliquid fidejusserit etc.

Si mulier beneficio S. C. Vellejani renuntiavit, et antequam renuntiaret de eodem sufficienter fuit edocta, sententia in praxi receptissima, ac verior in theoria est, ut illius S. C. beneficium non prosit.

Fidejussor tenetur ex obligatione sua ad solvendum id, pro quo fidejussit.

Creditor nunc convenire ante fidejussorem, reum principalem debet ob beneficium ordinis a Just: fidejussoribus concessum. excipitur nisi huic beneficio specialiter fidejussores renunciaverint; si debitor a provincia longe absit; vel lateat; si sit difficilis conventionis; si notorie non sit solvendo etc.

Si expresse singuli fidejussores in solidum se obligarunt, in solidum tenentur, sed uti possunt beneficio divisionis.

In sex casibus beneficio isto uti nequeunt: 1. si caeteri confidejussores non sint solvendo: 2. si intercesserunt pro uno tutore rem pupilli salvam fore: 3. quando falso, ac temere se intercessisse inficiati sunt: 4. si quis pro alio cum muliere intercessit: 5. si quis beneficio divisionis renuntiavit: 6. cum hoc beneficio fidejussores non juventur ipso jure, sed ope ecceptionis.

Si fidejussor nec ordinis, nec divisionis beneficio uti valet, ipsi superest beneficium *cedendarum actionum.*

Absque hac cessione fidejussori solidum solventi nulla competit actio adversus confidejussores.

Fidejussor ab obligatione sua generaliter ante solutionem debiti liberari nequit: excipitur, si debitor culpabiliter solutionem protrahat; si incipit labi facultatibus etc.

Fidejussio finitur, solutione debiti; si creditor fidejussori obligationem remittat; si etc.

Solutio est *rei debito loco, et tempore creditori facta redditio.*

Si certus locus solutioni adjectus non est, tunc in *contractu mere*

gratuito ibi solutio facienda, ubi primum res erat: in *contractu oneroso*, si aliud pro alio praestatur, ibi solutio, ubi rei traditio secuta est; si idem reddendum, quod acceptum, ibi redditio, quo res est accepta.

Tempus solutionis vel erit conventum, vel quando creditor petat; nisi debitum descendat ex delicto.

Si quis solvit debitum, quod est solvendum in diem incertum, an non exstiturum, condictio indebiti ad repetendum habet.

Ex parte rei, quae solvitur, requiritur, 1. ut solvatur idipsum, quod debetur: 2. ut solvatur res propria debitoris, si ejus obligatio ad dandum tendat: 3. ut solvatur totum illud, quod debetur.

Solutio fieri potest in quacumque specie currentis, et valentis monetae.

Promissor facti praecise probabilius obligatur ad factum ponendum, nec satisfacit offerendo interesse, si facti praestationem urgeat creditor.

Solutio fieri potest ipsi creditori, si rerum suarum administrationem habeat, procuratorive ejus speciali mandato habenti; aliter administrationem non habens tutori, ejusve curatori cum judicis decreto, plenissimam impetrandi causa liberationem etc.

Praestari potest solutio vel per ipsum debitorem si administrationem rerum suarum habeat, per procuratorem debitoris mandato speciali instructum, vel per quemcumque alium etiam ignorante, et invito debitore.

Creditor authoritate propria ex bonis debitoris solutionem sibi praestare nequit, sed tempus expectare, et non solvente debitore, judicem adire debet.

Ut omnes molestias debitor effugere possit, omnia bona sua creditoribus dimittere debet, et promittere se satisfacturum aliis obvenientibus bonis.

Carcerem non effugiunt bonorum cessione; 1. qui ex aliquo delicto mulctam pecuniariam debent: 2. qui spe cessionis debita contraxerunt: 3. qui in fraudem creditorum alienarunt: qui bona sua luxuriose consumpserunt: 5. qui beneficio cessionis renunciarunt.

Qui privilegium competentiae habent, ultra id quod facere possunt, conveniri nequeunt; ut parentes adversus liberos, et vicissim: donator donatario: socii omnium bonorum adversus socios: maritus, si conveniatur ob dotis restitutionem: uxor, si conveniatur a marito ex dotis promissione: clerici, et alii.

Ut clericus competentiae beneficio fruatur, requiritur 1. ut ob inopiam solvere nequeat: 2. de ea constet: 3. ad eam redactus

Digitized by Google

sua culpa non sit: 4. ut conveniatur in causa civili: 5. actione personali: 6. debitum fateatur: 7. cautionem idoneam de solvendo praestet, si ad pinguiorem fortunam pervenerit.

Clericos, abjectis clericatus indiciis, si pro laicis publice se gerant, vel conjugati sint privilegio competentiae frui negatur, sed DD. non conveniunt.

Non omnes hoc privilegio gaudent ut 1. qui tempore contractus se esse clericum negavit: 2. si bona propria occultavit: 3. si sit suspectus de fuga: 4. si coram judice falso negavit debitum.

Renuntiatio clerici huic beneficio nulla est, etsi juramento confirmata.

Nequidem renuntiare possunt illi, qnibus hoc priv: ob reverentiam competit.

Fidejussores hoc privilegio debitorum gaudientium non fruuntur.

Successor in praelatura, debita nomine ecclesiae pro necessitate vel utilitate ejusdem contracta solvere tenetur, nec creditor probare censetur.

Si debita ab antecessore contracta sint pro necessaria, et decenti sustentatione personae suae, pro valetudinis reparatione, pro ejus imo defuncti sepoltura, successor solvere tenetur; haud est de reliquis.

Indebitum est, quando solvitur id, quod nec naturali, nec civili obligatione debetur.

Si quis spe numerationis futurae chirographo suo fateatur numeratam esse pecuniam, quae non est numerata, civiliter est obligatus, haud naturaliter.

Si quis sciens solvit, quod nec naturaliter, nec civiliter debitum erat, condicere nequit.

Non solum per errorem facti, sed et juris indebitum solutum repeti potest.

Qui solvit, quod civiliter indebitum, naturaliter debitum erat repetere nequit, secus si civiliter debitum, naturaliter indebitum.

Jus repetendi indebitum extendit se 1. ad eum qui dubitans, an debitum sit solvit: 2. ad eum qui solvit, quod promisit sub conditione incerta de futuro, aut in diem incertum: 3. etsi id quod solutum est non amplius extet: 4. ad eum qui etiam alieno nomine indebitum solvit.

In aliquibus casibus repetitio indebiti non conceditur ut 1. quando solutum fuit a sciente se non debere; 2. quando solutum fuit ex causa pietatis, ex qua putabatur debitum; 3. quando transactum fuit litis causa sine dolo: 4. quando ex causa jurisju-

randi solutum est: 5. quando solutum est vi sententiae, quae transiit in rem judicatam.

Conditio indebiti competit etiam ei, qui eidem renuntiavit etiam juramento.

Primus solutionis effectus est, rei solutae dominii translatio in creditorem.

Secundus, liberatio per solutionem omnium obligationum.

Tertius, res soluta praesumitur fuisse debita.

Debitor post solutionem, securum se reddit chirographum repetendo, si dedit, *vel quietantiam* a creditore petere curet.

Si quis duobus de causis, pluribusve debeat, et solvit nil exprimens, qua de causa, intelligitur voluisse duriorem dissolvere.

Si unum debitum sit accessorium, alterum principale, quod solutum est pro accessorio censetur.

Donatio definitur *liberalitas, quae nullo jure cogente* exercetur.

Ad essentiam donationis requiritur 1. ut donans potestatem donandi habuerit; 2. ut voluerit donare; 3. ut voluntatem istam signo aliquo externo manifestarit donatario; 4. ut donatio acceptata fuerit a donatario.

Donatio quomodocumque sufficit declarari, modo indubia sit.

Varii sunt casus in quibus donatio praesumitur: ut si dives aliquid det exiguum: inter dantem et accip: vinculum sanguinis, vel amicitiae intercedat: si creditor reddat chirographum debitori: si sciens indebitum solvit etc.

Donatio, vel promissio nullam in promittente obligationem parit antequam acceptetur.

Ut valeat donatio facta ecclesiae, vel ad aliam piam causam non requiritur acceptatio administratoris ecclesiae, vel causae piae.

Acceptatio donationis valida est 1. si antea donatio revocata non fuerit. 2. si absenti fiat, per nuntium, vel epistolam donatario vel promissario a donante intimetur: 3. ut promissarius promissionem, donatarius donationem acceptet coram nuntio, quem ipsi misit donans vel promittens.

Donatio differt a *promissione* quia in illa dominium transfertur in hac inducitur obligatio ad dandum, a *pollicitatione*, quia haec est nuda promissio absque promissarii acceptatione; a *stipulatione* quia haec est promissio sub certa verborum forma.

Donatio vel *perfecta* est qua donans rem alteri et actu donat, et simul in effectu tradit; vel *imperfecta* cum quis per verba de praesenti actu quidem alteri rem donat, sed nondum tradit.

Donatio *pura* in qua nulla limitatio ponitur; non *pura* quae est conditionalis, vel in diem certum, vel incertum.

Digitized by Google

Donatio *gratuita* quae fit ex mera liberalitate donantis; *remuneratoria* quae fit ex debito gratitudinis, et ob merita donatarii.

Donatio *inter vivos est*, qua quis res suas confert alteri irrevocabiliter sine ulla mortis cogitatione, vel mentione.

Mortis causa qua metu imminentis mortis, vel ejus futurae intuitu bona sua in alium confert eo animo, ut morte secuta, ejus fiant.

Donatio mortis causa dupliciter concipi potest, vel metu imminentis mortis, vel sola cogitatione mortalitatis, utroque modo usque ad mortem pendet donatio, et revocari potest.

Si dubitatur an donatio sit mortis causa, vel inter vivos, pro hac praesumendum.

Si donatio talis sit, in qua mortis fit mentio, sed donatarii mens est, ut nunquam revocare velit, pro donatione inter vivos habetur.

Mortis causa donare potest, qui testare.

Ex bonis propriis quivis donare potest, qui eorum liberam administrationem habent, et jure non prohibentur, ut conjux conjugi. pater filio in sua potestate.

Filius familias non requisito patris consensu potest donare de peculio castr: et quasi; minor facere donationes in rebus communibus juxta status sui conditionem potest.

Tam filius fam: quam minor, si pubertatem attigerint absque consensu, vel patris, vel curatoris donare possunt mortis causa bona quae ipsis permittitur.

Nonnullis casibus donatio patris filio facta subsistit: 1. si aliquid eunti ad bellum donet, vel libros professuro aliquam disciplinam: 2. si faciat donationem remuneratoriam: 3. si matrimonium contracturo det aliquid in dotem: 4. si donet post contractum matrimonium: 5. si donet filio naturali illegittimo: 6. si donet filio usumfructum quem in ejusdem bonis adven: habet: 7. patris donatio valet in omnibus casibus filio facta, in quibus inter conjuges.

De reditibus suis ecclesiasticis clerici facere possunt donationes ad pias causas, item remuneratorias, non autem profanas.

Si religiosus beneficiatus extra monasterium degat, de reditibus suis eccles: honestas donationes facere potest.

Si administrationem habeat bonorum monasterii juxta concessionem a superiore factam donare potest.

Praelati ecclesiae tum regulares, tum saeculares res immobiles, et mobiles pretiosas ob remunerationem donare nequeunt absque juris

Digitized by Google

solemnitatibus; utique de rebus eccl. mobilibus non pretiosis ob remunerationem; secus ob liberalitatem immodicam.

Ex reditibus mensae suae assignatis praelati seculares donationes facere possunt etiam mere liberales.

Donatio ultra 500. solidos invalida est, si non sit insinuata.

Si quis donat omnia bona sua, intelligitur praesentia tantum.

Donatio omnium bonorum etiam futurorum comprehensis juribus et actionibus ad piam causam facta sine dubio validà est: dubitatur de ea facta ad causam profanam, sed verior videtur sententia affirmativa.

Insinuatio donationis fit, quando donator suam voluntatem donandi declarat, et petit illam in acta redigi, et super ea scripturam confici; absque ea donatio invalida, si superet 500. solidos, quoad excessum.

Insinuatio fieri potest apud quemcumque judicem.

Insinuatione non indigent 1. donationes mortis causa: 2. ad causas pias: 3. ad redemptionem captivorum, vel aedium reparationem: 8. don: remuneratoriae: 5. quae non excedunt 500. solidos: 6. a principe in privatum, et vicissim: 7. militibus a militiae magistris etc.

Si donationi, quae sine insinuatione ultra summam lege praescriptam facta est adjiciatur juramentum de ea non revocanda, donatio convalescit etiam quoad excessum, et in utroque foro subsistit.

Donatio inter vivos irrevocabilis est; varii casus excipiuntur. 1. Ob ingratitudinem donatarii erga donantem qui ob eam revocari potest 1. si donatarius atroces iujurias in eum ostendat: 2. si impias, et violentas manus injecerit: 3. si grave damnum inferat donatori in rebus suis: 4. si periculum vitae donanti inferre praesumpserit: 5. si pacta implere noluit.

Ob ingratitudinem revocari nequit donatio remuneratoria; facta ob causam; facta ecclesiae monasterio, vel alteri piae causae.

Donatio revocari potest ob ingratitudinem, etsi huic juri donans juramento renuntiaverit.

Donatio, ob ingratitudinem, judicis sententia, revocari potest.

Haeredi jus revocandae donationis non transit, nisi morte donans praeventus revocare, vel impeditus non valuit.

Contra haeredes donatarii ingrati verior sententia eorum est qui actionem hanc transire negant.

2.° Ob supervenientiam filiorum omnibus jus revocandi donationes competit, et quidem ipso jure.

Huic revocationi locus est, vel si unam prolem donans susceperit;

Digitized by Google

vel si ante patrem, donatione perfecta, suscepti moriantur; etsi donatio sit juramento confirmata etc.

Ob superv: lib: non revocatur donatio 1. si facta sit filio etiam emancipato, nisi sit inofficiosa: 3. si liberi, qui superveniunt sunt spurii, vel naturales: 3. si donatio facta sit remunerationis causa: 4. si donator juramento revocationi renuntiasset, quo casu liberorum nativitate non tota, sed quoad legitimam duntaxat revocatur donatio: 5. item si donatum sit ecclesiae, vel alteri piae causae.

3.° Si donatio inter vivos inofficiosa sit, revocari potest.

Donatio inofficiosa est, quae tantae est quantitatis, ut non sit salva portio legitima illis, quibus debetur.

Donatio inoff. verius est revocari posse quoad legittimam.

Etiam parentes aliique ascendentes revocare possunt donationem inoff: a liberis factam, usque ad legitimam portionem iis debitam.

Inoff. donatio revocari nequit, nisi post mortem donatoris.

Peculium dicitur *pusilla pecunia* sive *parvum patrimonium.*

Bona ad clericos pertinentia triplicis generis esse possunt 1. *patrimonialia* nempe aliunde clericis quaesita quam ex beneficio, officio, aut ministerio ecclesiastico: 2. *quasi patrimonialia*, quae intuitu suorum laborum acquiruut: 3. *ecclesiastica.*

Communis sententia est domtnium bonorum eccles. penes ipsas ecclesias sive collegia, et capitula clericorum esse, si ecclesia sit saecularis; si vero regularis, penes ipsa monasteria etc.

Dominium bonorum, quae sunt patrimonialia, vel quasi penes ipsos clericos est; et de iis libere disponere possunt tam inter vivos, quam ultima voluntate.

Etiam distributionum quotidianarum dominium plenum clericis acquiritur.

Clericos beneficiarios saeculares perfectum dominium beneficii sui redditUum probabilius habere dicitur non tantum quoad partem, quae ad congruam ipsorum sustentationem, et status decentiam conservandam est necessaria, sed etiam quoad eam, quae redundat, et superflua est.

Si res ab ecclesiarum praelatis emptae sint ex bonis suis patrimonialibus, ad eos spectant: si ex bonis ecclesiarum, quorum admin: habent, ecclesiae acquiruntur, si ex reditibus ecclesiasticis superfluis sustentationi suae, probabilius dicendum non ecclesiae, sed ipso praelato acquiri.

Si dubium sit qua intentione donatur donationem, testator legatum fecerit ad conjecturas recurrendum, quae respiciant res dona-

Digitized by Google

tas, vel legatas ex una parte, ex altera legatarii, vel donatarii personas.

Si clericus praeter beneficii sui fructus constat aliunde aliqua acquisivisse ex patrimonio, aut industria sua, bona relicta patrimonialibus accensenda : si non constat, praesumendum ea titulo ecclesiae, aut beneficii acquisita esse; proinde ecclesia illa sibi vindicare potest post mortem clerici, nisi aliud haeredes ejusdem probaverint.

Bona patrimonialia, et quasi clericus expendere potest ad usus etiam profanos.

In pauperes, vel ad causas pias clericus debet bona beneficialia congruae sustentationi superflua expendere.

Verius est, etsi variae sint sententiae, obligationem quam habent clerici ad reditus sibi superfluos erogandos in pauperes, et alias pias causas descendere ex solo jure positivo, et ecclesiae praecepto, non vero naturali, et divino.

Quinque enumerantur ultimae voluntatis species, testamentum, codicillus, legatum, fideicommissum.

Testamentum definitur a Icto Modest: *voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod post mortem nostram fieri volumus: vel melius voluntas ultima directam haeredis institutionem continens.*

Testandi facultas abrogari potest per legem, statutum, et consuetudinem.

Verisimilius asseritur testamenta metu extorta esse ipso jure invalida.

Invalidum est testamentum, ad quod testator inductus est falsis suggestionibus, et dolosis persuasionibus.

Si sine importunitate; vi, aut dolo, blando sermone, vel officiis placatus sit testator antea ab haerede offeusus, institutio valida habetur.

Haereditas relicta per testamentum metu, vel dolo extortum ad haeredes ab intestato devolvi, melius quam alii fisco volunt, propugnatur.

Qui dolose egit, ne testator testamentum conderet, vel conditum immutaret, et *solus* sit in testamento scriptus, aut ab intestato venturus tota haereditas ei aufertur, et fisco applicatur: si *plures* pars illius, vel illorum qui deliquerunt fisco cedit.

Si doli, vel metus author extraneus aliquis sit, melius asseritur nequaquam dolum obfuturum sive ex testamento, sive ab intestato successuris.

Genera testamentorum hodierno jure duo sunt, ut antiquitus (quae

Digitized by Google

dicebantur fieri *comitiis calatis, et in procinctu*) *solemne*, seu *perfectum*; *non solemne* seu *imperfectum*, quod etiam privilegiatum dicitur; utrumque dividitur in *scriptum*, et nuncupativum.

Ad testamentum *solemne scriptum* solemnitates requiruntur 1. ut sit scriptum a testatore, vel ab alio jussu ejus, expresso ipsius testatoris et haeredis, vel haeredum nomine: 2. ut adhibeatur in illo septem testes idonei rogati ad hoc; octo loco testatoris, si illitterati: 3. ut testatorem videant testamentum exhibere: 4. ut omnes subscribant, et sigillum apponant: 5. ut uno contextu fiat.

Ad test: solemne nuncupativum requiritur ut coram septem testibus idoneis rogatis ultimam suam voluntatem testator uno eodemque tempore distincta voce declaret.

Testamentum scriptum differt potissimum a nuncupativo, in quo semper palam haeredes nominatur, secus in scripto etc.

Idoneus testis habetur homo liber; mas et pubes; sane mentis, non furiosi, prodigi, mentecapti; surdi aut muti; non ipse haeres illo testamento institutus, utique legatarii; non domesticus ipsius testatoris, vel haeredis, non lege intestabilis.

Omnes solemnitates sunt adhibendae in terris Pontificî subjectis; excipitur, quod duo, aut tres testes sufficiunt *ex c. cum esses* 10. 4. *tit.*

Dispositio *c. cum esses* ultra territorium temporale romanae ecclesiae non porrigitur, et hoc procedit tam laicis, quam clericis.

Testamentum sine solemnitatibus jure requisitis conditum. in foro externo invalidum est.

Controversia inter DD. est, et magnis partium studiis agitata est an de facto testamenta, quae solemnitates juris praescriptas non habent, sint irrita etiam in foro coscientiae, pro qua sententia speculative loquendo, et spectatis principiis intrinsecis probabilius sustinetur, ejusmodi testamentum non solemne, et non privilegiatum etiam in foro coscientiae nullum, et irritum esse.

Testamentum non solemne privilegiatum septuplex est.

Primo *pium*, quo instituuntur aut legata relinquntur ecclesiae, monasteriis aliisve piis locis; aut pro servorum libertatibus, pauperum eleemosynis, captivorum redemptione, orphanorum educatione, puellarum dotatione etc.

In testamento pio nullae requiruntur juris civilis solemnitates dummodo aliquo modo de testatoris voluntate constet.

C. *relatum* quo legibus civilibus circa solemnitates in piis testamen-

Digitized by Google

lis derogatam ultra temporale papae territorium extenditur ex DD. sententia.

In testamento *militari* nequidem solemnitas ulla requiritur si factum sit in expeditione, et castris, quo sufficit quomodocumque militis voluntas sit pandita.

Testamentum *parentum inter liberos si nuncupativum*, ut valeat duo quicumque testes sufficiunt, probationis causa, non substantiae, *si vero* scriptum sit, hodie valet dummodo conditiones servatae sint *novell.* 107. c. 1.

Quoad *testamentum rusticorum*, nempe qui ruri degunt, etiamsi nobiles, numerus testium, et subscriptiones remittuntur, si testes deficiunt et sint illiterati.

Eodem privilegio gaudet *testamentum tempore pestis conditum.*

Nulla solemnitate indiget *testamentum principi oblatum.*

Testamentum judiciale, seu conditum *et publicatum apud acta* nullas requirit solemnitates, sed ipse testator personaliter judici offerre debet.

Codicillus definitur *ultima voluntas minus solemnis defuncti sive testati, sive intestati, de eo quod is post mortem de rebus suis fieri vult, absque directa haeredis institutione.*

In codicillo sufficiunt quinque testes etiam non rogati, et fieri potest codic: ab eo qui intestatus decedit; plures fieri, sed si contrarii prior revocatus censetur.

Necesse non est in codicillo, testatorem subscribi.

In eo haereditas dari, neque adimi potest directe, aut haeredi testamentario conditio adjici.

Codicilli fieri possunt quatuor modis 1. ante testamentum: 2. cum testamento sive in testamento per adjectam clausulam codicillarem: 3. post testamentum: 4. ab intestato.

Clausula codicillaris expresse aliquando testamento additur ut 1. si testator dicat, se velle suam dispositionem valere omni modo quo potest: 2. si testator jurat se velle, ut omnia in testamento servetur: adjecta tacite censetur, in testamento militis, et inter liberos, saltem quoad ea quae sunt in utilitatem liberorum.

Effectus clausulae codicillaris 1. si testamentum sit nullum ob defectum solemnitatis, legata valent, et haeres ab intestato tenetur illa solvere: 2. Haeres ab intestato, si non sit necessarius debet haereditatem restituere, haeredi per tale testamentum instituto.

Ad donationem mortis causa quinque testes sunt necessarii, non tamen rogati aut masculi, et ii ut in codicillis, legatis, fide-

commisis non requiruntur ad valorem, sed ad probationem tantum.

Ut institutio rite fiat, requiritur 1. ut fiat ab habente potestatem testandi: 2. ut testamento instituatur, qui capax sit institutionis, et successionis: 3. ut in eo non praetercatur, qui debuisset institui.

Omnes testari possunt, qui specialiter non prohibentur.

Ob defectum animi prohibentur *natura* infantes, mentecapti, furiosi, ebrii ebrietate perfecta.

Ob vitium corporis surdi, et muti simul a nativitate.

Lege prohibentur *ob defectum aetatis* impuberes.

Ob vitium morum 1. prodigi: 2. qui incestas nuptias scienter contraxit: 3. haeretici: 4. damnati ob carmen, et libellum famosum: 5. rei criminis laesae majestatis, et rei repetundarum: 6. quicumque lege intestabiles.

Ob defectum, vel conditionem status 1. filiifamilias in bonis adventiis: 2. servi: 3. capti bello justo, item obsides jure romano, non hodierno: 4. deportati: 5. damnati ad mortem sed jure antiquo, hodierno possunt, excipitur perduellio.

Canone prohibentur *in poenam delicti* 1. usurarii manifesti: 2. excommunicati ab haeresia eorumque fautores, receptatores, defensores: 3. qui hostiliter persequuntur, percutiunt aliquem ex S. R. E. cardinalibus.

Ob conditionem status 1. religiosi professi: 2. clerici beneficiati de beneficialibus.

Probabilior tum authoritate, tum ratione videtur affirmativa sententia quaestionis, an posse per consuetudinem induci, saltem immemorialem, disponendi facultatem de reditibus ecclesiasticis etiam ad causas profanas.

Qui testari prohibentur, neque ad causas pias sine speciali indulto testari possunt.

Omnes homines tam laici, quam clerici, nisi speciali jure prohibentur, communitates, collegia, ecclesiae, aliique pii loci institui possunt.

Specialiter prohibentur *indigni*, et *incapaces*: illorum, *absolute indigni*, ab haereditate repelluntur, et fisco acquiritur; *secundum quid*, acquiritur proxime ab intestato venientibus.

Absolute indigni multi sunt, ut qui mortem testatoris non vindicavit; qui testatorem occidit; qui testamentum inofficiosum dixit, atque succubuit etc.

In secunda indignorum classe, nempe *secundum* quid numerantur, qui capitales inimicitias cum testatore exercuit; qui testatori

aperte maledixit; qui testamentum in odium haeredis celavit; qui a tutela gerenda, etsi capax, se excusavit; qui successione agnita, non praestitit legata fideicommissa intra spatium unius anni.

Lege facti *incapaces simpliciter* sunt peregrini, damnati ad metallum vel opus publicum; haeretici non tolerati, eorumque fautores, et apostatae; liberi perduellium; nubens intra annum luctus, sed hoc jure canonico temperatum est.

Incapaces *secundum quid* de jure civili, imperator qui institui nequit in causa litis; servus suspectus, de adulterio commisso cum domina; filii naturales; nepotes naturales ex filio legitimo, spurii.

Canone, haeredes institui prohibentur, haeretici, eorumdem credentes, receptatores, fautores, ac defensores: jure institutionis, sunt incapaces maxime religiosi; professi, et coadjutores formati societatis Jesu.

Haeres *extraneus* capax esse debet tribus temporibus, tempore facti testamenti; mortis testatoris; et aditae haereditatis: in *haerede suo* tempus aditionis non consideratur.

Ab institutione ad aditionem incapacitas superveniens, haeredi non nocet.

Filii, et filiae legitimae, horumque, si praemortui sint nepotes, ac neptes posthumi, etiam adoptati ab ascendentibus, nec non emancipati institui debent, vel nominatim exhaeredari: respectu matris etiam filii illegitimi: liberis non existentibus, ascendentes a filiis instituendi sunt.

Querela inofficiosi testamentum fratris impugnari potest, si persona turpis sit instituta, praeterito aut sine causa exhaeredato germano, aut consanguineo.

Haeredes necessarii in legitima institui debent, ut testamentum valeat.

Legitima jure antiquo *quadrans*, hodierno *triens* est, si quatuor vel pauciores ii extant, quibus debetur; *semis*, si quinque, vel plures.

Ut filii exhaeredari possint, fieri debet ex praescripto *novell.* 15. c. 3.

Ut fiat ex juxta causa ex iis relatis in ipsa novell: ut causa diserte, et in specie in testamento exprimatur: ut haec causa haexaeredationis ab haerede in testamento instituto probetur.

Iisdem requisitis opus est, ut rite exhaeredentur, vel praetereantur parentes a liberis, vel fratres a fratribus personae turpi postpositi.

Legitima fratribus debetur jure solum civili in dicto casu : liberis, et parentibus quoad substantiam jure naturae :

Hodierno jure haeredibus necessariis, legitima tituloi nstitutionis relinquenda, ac libere, et sine ullo onere.

Casu, quo haeres institutus nolit, vel non possit haereditatem adire locus fit substituto, si in testamento sit provisum, ut sustineatur.

Substitutio vel est *directa*, ut vulgaris; pupillaris, exemplaris etc; vel indirecta : ea est, per quam substitutus immediate, et sine ministerio alterius instituti haereditatem testatoris consequitur.

Vulgaris est, qua instituitur secundus haeres in casum, quo primus haeres non erit.

Pupillaris est, qua quis impuberem in sua potestate constitutum, et post mortem suam in alterius potestatem non recasurum, haeredem instituit, eique alium haeredem substituit sub conditione, sive in casum, quo is ante pubertatis annos deccesserit.

Hujus substitutionis effectus, ut omues omnino a pupilli successione excludantur.

Substitutio variis modis expirat : 1. patre novum testamentum condente : 2. eo deportato : 3. morte substituti ante impuberem, cui est substitutus : 4. impuberis emancipatione : 5. eodem pubertatem adepto, dum testator vivit : 6. haereditate non adita ab impubere, si ipsi extranus substitutus fuit.

Subst: *exemplaris* est, qua pater, aut mater, aut alius ex ascendentibus filio aut nepoti mentecapto, vel prodigo, aut surdo, et muto a natura substituit haeredem alium : in casum, quo in eodem statu, seu non recuperata sanitate, ille est discessurus : haec substitutio expirat iis modis, quibus pupillaris.

Subst: *militaris* est, qua quis ex solo privilegio haeredem sibi substituit.

Subst : *compendiosa* dicitur, quae plures substitutionum species pro diversis temporibus verbis saltem generalibus expressis continet.

Subst : *reciproca*, in qua testator duos, vel plures haeredes instituit, eosque sibi invicem substituit.

Substitutio indirecta est ea, qua haeres testamento institutus, vel ab intestato veniens a defuncto gravatur, et obligatur, ut haereditatem totam, vel ejus quotam alteri restituat, seu tradat.

Id quod ita restitui jubetur *fidecommissum* dicitur, quod duplex est; *universale*, quando haeres fiduciarius gravatur relinquere alteri haereditatem totam, vel ejus quotam, *particulare*, quando res una, singularis etc.

Digitized by Google

Fideicommissum subdividitur in expressum, tacitum; purum, conditionatum; commune, et familiare.

Fideicommissum omnes relinquere possunt testamento, vel ab intestato, qui jus testandi habent; et quibuscumque verbis, scripturis, etiam nutu.

Hodie fideicommissum universale relinqui solum potest capacibus directae institutionis: si incapaci *palam* relictum sit, pro non scripto habetur: si ex fide *secreto* interposita, fiscus relictum vindicat.

Fideicommisso onerari possunt omnes, ad quos judicio defuncti aliquid relinquentis, vel non adimentis est perventurum, etiamsi solum succedant ab intestato; imo etiam fidecommissarius.

Filius in haereditate, quam fideicommisso universali gravavit pater, triplex beneficium habet: 1. si in testamento patris fuit praeteritus, et ipse haereditatem paternam alia via e: g: rescisso testamento, est consecutus; hic fideicommissum praestare non cogitur: 2. item si nascantur eidem liberi: 3. si filius (idem de extraneo) fideicommisso gravatus, suscipiat clericatum, vel ingrediatur religionem, ibique professionem emittat.

Haeres fiduciarius potest sibi retinere quartam partem eorum, quae rogatur restituere; verum oportet, ut sit haeres directus, ut haereditatem adierit.

Haeres suus, et necessarius fideicommisso gravatus potest deducere trebellianicam simul cum legitima.

Trebellianica deduci potest, quando etiam legitima est semis.

Cessat nonnullis casibus ea deductio, ut si haeres tentaverit fideicommissum evertere; si haeres institutus, et gravatus haereditatem non adiit, vel adiit per fideicommissarium coactus; si ejus deductionem testator prohibuerit etc.

Si fiduciarius non detraxit quartam, actiones haered: omnes competunt fideicommissario, et adversus ipsum; aliter inter ipsum et fiduciarium cum proportione.

Legatum definitur donatio *quaedam a defuncto relicta, ab haerede praestanda.*

Legandi facultatem habent omnes, qui testamenti faciendi jus habent.

Legata regulariter, omnibus, et solis possunt relinqui, qui possunt haeredes instituere, vel saltem institui.

Ut res aliqua legari possit necessarium est, 1. ut existat, vel existere in rerum natura possit: 2. ut non sit extra commercium humanum: 3. ut alienari, ut per consequens legari, non sit prohibita: 4. ut non sit propria ipsius legatarii: 5. ut non sit ta-

lis, quae legatario tota debetur: 5. ut ex re legata ad legatarium aliqoid commodi, et emolumenti pervenire possit.

Legatum rei alienae valet, si testator eam relinquens scivit alienam esse: quo casu haeres eam redimere tenetur, vel aestimationem praestare; secus nullum est; et hoc etiam defenditur, et retinetur de jure canonico.

Legatum relinqui potest, prout testatori placuerit, pure, sub conditione etc. in test.: vel ab intestato; scriptura, vel nudis verbis, quo casu sufficit, ut constet undecumque de voluntate defuncti.

Si testamentum, ubi relicta sunt legata ad causas pias, corruit, legata permanent, et sunt praestanda; alias est de legatis ad causam profanam.

Legatum loco, vel personae incertae relictum corruit, si intelligi nequit, cui sit relictum.

Legata incerta favore pauperum, et qui istorum nomine veniunt, relicta sustinentur.

Legata praestanda sunt post mortem testatoris, et aditam haereditatem; *excipiuntur* legata pia.

Ante conditionis eventum peti nequit legatum: *excipitur* si sub conditione impossibili relictum sit; si conditio remittatur a jure etc.

Falcidia, seu quarta pars bonorum, ex legatis, fideicommissis, et mortis causa donationibus ab haerede deduci potest, ac sibi servari, si iis solutis, non remaneat ei quarta pars bonorum defuncti.

Falcidia detrahitur a legatis, 1. deducto aere alieno: 2. expensis funeris, et justitiae: 3. deductis omnibus legatis privilegiatis, ex quibus falcidia detrahi nequit.

Si haeredi titulo legati aliquid relictum est, non tenetur computare in quartam partem titulo haereditatis sibi debitae.

Quantitas bonorum defuncti spectari debet, ut rite falcidia deducatur, tempore mortis defuncti: lucro. vel damno haeredis cedit, quod evenit post illud tempus.

Multis casibus deductio falcidiae cessat: 1. deduci nequit de legatis relictis ad causas pias, nisi et haeres sit causa pia: 2. quando testator non ignarus virium patrimonii sui, expressè prohibuit falcidiam detrahi: 3. quando praelegata est dos, ut uxori restituatur: 4. si aliis aliquid legetur tamquam debitum: 5. quando ita legatur, ut in perpetuum alienari nequit, sed apud successorem ejus, cui relicta est semper maneat: 6. quando haeres de bonis haereditariis aliquid surripuisse, detraxisse, vel occul-

tasse convictus fuerit: 7. quando haeres inventario non rite confecto adiit haereditatem, resque haereditarias tractare coeperit: 8. quando haeres a judice admonitus, intra annum testatoris voluntatem executus non fuit; 9. si legata integra sciens et prudens solvit.

Testamentum resolvitur aut juris via, aut adminiculo hominis.

Juris via tribus modis, agnatione posthumi, arrogatione, vel adoptione, et voluntate testatoris mutata.

Agnatione posthumi, cujus nulla mentio in testamento jam absoluto facta est, rumpitur testamentum in totum, excipitur si quid legatum sit ad piam causam in quantitate moderata.

Adoptione, vel arrogatione rumpitur, quando testator post testamentum conditum sibi arrogat aliquem, qui sui juris est, vel adoptat unum ex descendentibus, quo in casu rumpitur etiam quoad legata pia.

Mutatione voluntatis rumpitur testamentum, si illud consulto a testatore conscinditur, laceratur, aut quocumque modo corrumpitur, vel aliud perfectum testamentum testator condat: nihil efficitur nuda voluntate etiam coram septem testibus, nisi post elapsum decennium a condito testamento.

Mutatione status testatoris, testamentum irritum fit, exceptis nonnullis casibus.

Testamenta non irritantur furore, surditate, prodigalitate super veniente.

Cum DD: comm: sustinetur, professione testamenta non rumpi, aut irritari.

Si testator ingressus est religionem successionis haereditariae incapacem, a professione emissa effectum habet; si successionis capacem, effectum morte professi habet.

Ob mortem haeredis ante testatorem, vel ob aditionis omissionem testamentum destituitur.

Querela inofficiosi, est remedium extraordinarium, jure introductum, competens personis, quae cum lege haeredes deberent institui, contra pietatis officium immerito exaeredatae, vel praeteritae fuerunt.

Querela competit iis omnibus, quibus ex juris dispositione debetur legitima, et trasmittunt ii illam etiam ad haeredes.

Competit querela contra haeredes institutos, postquam delatam sibi haereditatem adiverunt.

Cessat inofficiosi querela pluribus casibus, 1. si aliud suppetat remedium ordinarium, quo exhaeredatus ad haereditatem, vel partem illius perveniat: 2. si instituta sit causa pia: 3. si exae-

Digitized by Google

redatus testamentum approbavit, aut querelae quomodocumque renuntiavit: 4. si quinquennio tacuerit post aditam haereditatem: 5. si exhaeredatio facta sit ex justa, veraque causa.

Cuilibet licet constituere executores testamenti sui.

Executores esse possunt etiam fœminae, minores, clerici; et plures, ut laicus cum clerico.

Religiosus, ut executor esse possit licentia superioris indiget.

Gesta a religioso absque superioris licentia probabilius valida sunt.

Executor testamenti ad exequenda legata compelli potest, si testator sit clericus, a judice solum eccles: si laicus, ab utroque, etiamsi testator prohibuerit, aut legatarii non petant.

Si certum tempus executioni testator non praescripsit, quam primum post aditam haereditatem fieri debet.

Tempus executori statutum ad implenda defuncti jussa non continuum sed utile probabilius est.

Haeredes, vel executores negligentes defuncti voluntatem intra tempus jure statum, privantur rebus sibi relictis cum fructibus, et ceteris emolumentis.

Si nihil hoc in casu testator de his disposuit, et ad piam causam testatus erit, episcopus vindicare potest, et ad piam causam applicare debet; alias ad coheredes, collegatarios, aut ab intestato venientes defertur.

Executor post executionem factam tenetur ad rationem reddendam.

Religiosi executores, et clerici non exempti episcopo tenentur.

Exempti clerici saeculares papae, vel ejus legato rationem reddere debent.

Executori omnino non licet ultimas voluntates commutare; excipiiur, si aliquid, quod mutari potest, non sit contra defuncti voluntatem.

Executor jussus dare, aut impendere in pauperes in genere pecuniam, potest, si vere sit pauper, partem aliquam sibi applicare.

Si res ad causam piam relictae inveniantur a summo pontifice tantum commutatio fieri potest.

Si ultima voluntas tendat ad causam profanam, sufficit anthoritas principis, vel magistratus saecularis supremi.

Communior, et in praxi recepta sententia est, ut rerum ad certos usus pios a testatore relictarum, in alios similes usûs conversionem, episcopi facere possint ex justa causa, et ad instantiam, vel de consensu haeredum.

Potestatem ultimas voluntates commutandi omnes habent, quicumque jurisdictionem quasi episcopalem habent.

Digitized by Google

Vicarius generalis *sede plena*, relicta in certos usus convertere in alios nequit vi mandati sui generalis.

Vicarius generalis capituli sede vacante potest commutare hodie etiam ex simplici mandatu generali post trid.

Ad commutandam ultimam voluntatem quaecumque causa justa, et rationabilis sufficit, ut si ultima voluntas impleri nequeat; si in ejus executione occurrat magna difficultas; si in commutatione inveniatur evidens utilitas; si eam suadeat pietas, vel alia quaecumque causa urgeat.

Portio canonica episcopalis est quarta pars obventionum, et bonorum mobilium, ac immobilium, quae inferioribus ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, ceterisque sacris, et religiosis locis intra diœcesim sitis, per ultimam voluntatem a defunctis pro anima sua relicta sunt.

Portio canonica episcopis debetur ob superioritatem; onus pastorale, et communicationem quae intercedit inter ipsum, et ecclesiam, cui aliquid est relictum.

In pluribus casibus portio canonica non debetur, ut si quid ecclesiis, vel aliis ejusmodi locis obvenerit ex contractu, vel donatiene inter vivos; si relictum sit personae, non ecclesiae, vel dignitati; si pauperibus studiosis alendis, puellis egenis dotandis, aut aliis miserabilibus personis etc.

Canonica portio debetur etiam ex iis, quae ecclesiis monasteriis etc. obveniunt mortis causa donatione, aut jure institutionis.

De relictis ecclesiae, vel monasterio exempto portio canonica episcopis non debetur.

Si quis in testamento episcopo reliquit propriam suam partem *absolute*, et praeter hanc alia multa in eodem testamento relicta sint monasteriis, aliisve piis locis, ex iis episcopus portionem canonicam adhuc petere potest.

Si episcopo *conditionale* res aliqua ita sit relicta, ut de ea sit contentus, si eam acceptaverit, portio canonica ex aliis rebus piis locis relictis petere nequit. secus si repudiaverit.

Portio canonica semper debetur episcopo illius diœcesis, cujus ecclesiae aliquid relictum sit, quamvis a testatore alterius diœcesis.

Successio ab intestato est haereditatis legitimae extra casum ultimae voluntatis defuncti acquisitio.

Locus successioni legitimae est, quando succedi non potest ex testamento.

Digitized by Google

Successio ab intestato ex dispositione legis provenit: ex testamento, voluntate testatoris: conveniunt in ceteris.

Ab intestato eodem ordine succeditur jure canonico, quo jure civili ut describitur *novell.* 118.

Si clericus defunctus est nec descendentes, aut ascendentes reliquit, ei ecclesia succedit, si in ea aliquod beneficium habuit.

Gradus in ordine ad successiones in haereditatibus *in linea recta* jure canonico computantur modo, quo in ordine ad matrimonium, et regula est, *tot sunt gradus in linea recta, quot sunt generationes et personae dempto communi stipite.*

In linea transversa tot censentur esse gradus consanguinitatis, quot sunt personae collaterales: ex quo regula „ *tot gradibus in linea transversa unus distat ab altero, quot gradibus uterque distat a communi stipite.*

Forma successionis ab intestato consistit in eo, ut deferatur ab illo qui intestatus obiit, ad eum qui ratione consanguinitatis proximus eidem est.

Ut locus sit successioni ab intestato duo requiruntur, 1. ut is de cujus successione agitur, obierit: 2. ut intestatus obierit.

Primum inter haeredes ab intestato locum obtinent liberi tam nati, quam nasciturі sine discrimine sexus, aetatis, status, et conditionis, tam sui, quam emancipati, tam clerici, et religiosi, quam laici.

Inter liberos jus praelationis in successione habent legitimi; legitimati per subsequens matrimonium; legimitati per oblationem curiae principis, filii adoptivi, seu legitimi tantum.

Filii illegittimi sunt, vel spurii, vel naturales tantum: illi, qui ex meretrice publica nati sunt, jure canonico ab omni successione tam materna, quam paterna excluduntur, etsi nulli extent legitimi.

Naturales in duabus unciis cum matre dividendis, si superstes sit succedunt, quando non adsint legitimi, secus excluduntur ab haereditate paterna, non autem a materna.

Idem dicendum de iis qui jure civili tantum spurii dicuntur, qui ad matris successionem admittuntur, nisi ea illustris sit, et alios liberos ex justo matrimonio procreatos non habeat.

Liberi primi gradus succedunt in capita, tot scilicet factis aequalibus portionibus, quot sunt personae: si ulterioris gradus, succedunt in stirpes, nempe tantum capiunt nepotes ex haereditate quantum solus illorum pater consecutus fuisset, si supervixisset.

Digitized by Google

Liberi ex diversis nuptiis procreati regulariter succedunt solum parenti suo, ex quo procreati sunt, nisi intervenerit pactum unionis sive parificationis prolium.
Jura representationis gaudent etiam pronepotes, et abnepotes.
Extantibus fratribus repudiantis, ejus filius succedere nequit: iis verum defunctis succedet jure proprio; non raepresentationis.
Si defunctus nullos reliquerit filios, ab intestato ascendentes utriusque sexus succedunt, servata tamen graduum prerogativa.
In bona filii acquisita aequaliter succedunt ascendentes primi gradus.
Defuncti patre, ac matre praemortua, succedunt ascendentes utrinque aequali gradu defuncto conjuncti in stirpes, non in capita: si gradu dispares, succedit propinquior, et remotiorem excludit.
Concurrunt in successione cum ascendentibus fratres utriusque conjuncti non ex una parte tantum fratres, aut sorores defuncto conjuncti.
Cum ascendentibus ad haereditatem admittuntur etiam liberi fratris, aut sororis praemortuae, si concurrit alius frater, aut soror defuncto utrimque conjuncta; secus probabilius est iis ascendentes praeferri.
Nepotes, ac pronepotes fratrum defuncti omnino ascendentibus excluduntur.
Filiis illegitimis illorum parentes succedunt eodem modo, et casu, quo illi iisdem succedunt, si praemoriantur intestati.
Si defunctus nullos reliquerit ascendentes, vel descendentes ad haereditatem admittuntur fratres, et sorores defuncti germani, horumque liberi, exclusis fratribus, et sororibus consanguineis, et uterinis.
Fratres et sorores si soli haeredes sint succedunt in capita: si adsint liberi ex aliquibus fratribus praemortuis praeter alios germanos, ii in capita, illi in stirpes succedunt.
Si soli extant filii fratrum utrimque conjunctorum, ipsis praemortuis, succedunt illi, exclusis agnatis, et cognatis.
Si sorores, et fratres *consanguinei* tantum defuncto succedant, vel *uterini* tantum, omnes aequaliter succedunt.
Si partim consanguinei, partim uterini, in bona paterna soli fratres consanguinei; *in materna* soli uterini: *in aliunde acquisita*, utrique aequaliter: sententia non minus probabilis etiam est, quae vocat sine distinctione tum consanguineos, quam uterinos.
Liberi relicti a fratribus, vel sororibus consanguineis, et uterinis si soli sunt succedunt in capita: si conjuncti cum germanis de-

functi, ab iis excluduntur: si cum fratribus, vel sororibus consanguineis vel uterinis, succedunt in capita.

Fratres legitimi tantum, si transeant in potestatem patris adoptantis vel arrogantis; et ipsi sibi invicem succedunt.

Illegitimi fratres si solum habeant communem patrem, nec sibi invicem, nec aliis succedunt: si matrem communem habeant, secus est modo germani legittimi non adsint.

Legitimitati per subsequens matrimonium succedunt etiam fratribus legitime natis: per rescriptum principis, sibi invicem tantum.

Consanguinei laterales succedunt exclusis remotioribus: solo graduum facto discrimine, non sexus, aut agnationis, vel cognationis: in horum successione locum non habet jus repraesentationis: succedere possunt ab intestato usque ad gradum 10.

De jure communi conjuges sibi invicem succedunt ab intestato, cum desit omnis alia parentum, liberorum, et propinquorum, seu collateralium consanguineorum naturalis, vel legittima successio: et hoc, si inter illos fuerit verum matrimonium, etsi non consummatum; et tempore mortis simul cohabitaverint.

Ecclesia clerico succedit in bonis ecclesiasticis mobilibus, seu ex beneficii reditibus acquisitis, exclusis etiam haeredibus legitimis: in aliis bonis, si nullos reliquerit haeredes.

Bona Beneficialia relicta a clerico ad ecclesiam non defertur ubi est 1. jus spolii: 2. ubi aliud obtentum est privilegio apostolico: 3. ubi contrarium inductum est per consuetudinem legitime praescriptum.

Consuetudine, in bonis beneficialibus consanguinei succedere possunt clericis; sed complures negant.

Fiscus tunc solum tam laico, quam clerico succedit, quando nullus alius est, qui ab intestato succedendi jus habeat.

Bona peregrinorum in hospitali defunctorum per manus episcopi loci, haeredibus si fieri potest tradenda, vel in pias causas eroganda sunt, si sine testamento decesserint.

Si novitius de bonis suis disposuit, ea illis cedunt, in quorum favorem facta est dispositio.

Si intestatus novitius decesserit, bona ejus ad consanguineos pertinere melius defenditur, quam monasterio, ut alii volunt.

In bonis professi, si ante professionem de iis non disposuit, succedit monasterium, qui capax sit successionis; alias statim ad ejus haeredes ab intestato statim devolvuntur.

Jus successionis omnia monasteria regularium habent, praeter domus et collegia societatis Jesu, et monasteria FF. minorum de observantia, et capucinorum.

Regula universalis est professione religionis transferri bona, et jura omnia, quorum capax est monasterium.

Ut monasterium acquirat bona professi, necessarium ei tantum est, ut apprehendat illa, quae professo obveniunt post editam professionem; haud illa, quae ante eam habuit.

Professi aditione probabilius opus non est, ut haereditas vel legatum ipsi delatum acquiratur monasterio.

Ex bonis professi debetur legitima filiis ejusdem, vel aliis descendentibus, aut ascendentibus, et statim post professionem probabilius est deberi ante mortem naturalis patris.

Consuetudine legitima praescripta tolli potest monasterio jus succedendi in bona professorum, non vere statuto municipali, vel provinciali.

Fideles nunc sepeliendi sunt in ecclesiis, vel cœmeteriis publica episcopi authoritate deputatis.

Cœmeteria construi possunt in, vel extra civitatem, plerumque prope ecclesiam consecratam.

Hodie sepeliri possunt in ecclesia quicumque fideles christiani, etiam laici.

Ex privilegio, jus sepeliendi fidèles in templis, et coemeteriis suis habent ordo praedicatorum, et minorum S. Francisci.

Jus sepeliendi universim papa solus dare potest; sed in sua provincia legatus a latere; in sua dioecesi, episcopus ex justa causa.

Juri sepeliendi in ecclesia regulari jam erecta, sine solemnitate ad alienationem rerum eccl. requisita renuntiare regulares nequeunt, utique in ecclesia primum erigenda.

Defunctus eo loco sepeliri debet, quo destinavit: si nullum elegit inferri debet sepulturae majorum suorum: si majorum etiam sepultura careat, sepeliendus est in parochia sua, in qua habuit domicilium, et sacramenta.

Omnes tam masculi, quam foeminae, etiam extra parochiam, vel majorum sepulturam, eam eligere possunt, dummodo puberes sint, mentis compotes, et aliunde non prohibiti.

Seclusa consuetudine, pater filio suo impuberi non potest eligere sepulturam.

Filiusfamilias adhuc in patria potestate, si pubes est; eligere sibi sepulturam potest, etiam absque patris consensu.

Regulares sepulturam sibi tantum eligere possunt ii, qui remoti a monasteriis suis decedant; qui extra claustra beneficiis sint praepositi; denique praelati regulares, etiam inferiores.

Novitii sepeliendi sunt ibi, ubi sepulturam elegerint.

Digitized by Google

In loco etiam minus religioso quis potest sepulturam sibi eligere, relicta majorum, aut parochiali.

Sine licentia S. Congregationis nequit eligi sepulturam, aut recipi corpora defunctorum in ecclesia monialium nequidem exteriori.

Electio sepulturae referri potest in arbitrium alienum.

Juramentum, quo quis se obligat ad eligendum in certo loco sepulturam, valet si sponte factum sit, secus irritum est, et in poenam excommunicationis incurrit Summo Pontifice reservatam, si clericus, aut religiosus quemlibet ad id induxerit in favorem ecclesiae suae.

Electio certae sepulturae per duos, vel tres testes de electione defuncti deponentes probanda; vel per testamentum, vel codicillum quamvis invalidum.

Assertione confessarii sufficienter non probatur sepulturae electio, nisi aliud obtineatur loci consuetudine.

Qui nullam sibi sepulturam elegit, sepeliendus est in sepulchro majorum.

Defunctus inferendus est sepulchro, quod sibi delectum habuit pater et avus, quam quod proavus et atavus; sepulcro majorum, si pater tantum sibi alterum elegit.

Filii naturales sepeliendi sunt cum patre, nisi in dignitate is sit constitutus.

Spurii cum matre sepeliendi sunt, nisi sit illustris.

Adoptivi tumulandi in sepulcro patris sui naturalis, adoptante vel arrogante jam mortuo; secus in illius sepulchro.

Uxor in mariti sui, et si plures habuit in horum ultimi sepulchro tumulanda est, quoties nullam sibi elegit sepulturam.

Si maritus superstes post mortem uxoris sit, ea tumulanda in sepulchro, quod sibi maritus elegit: si nullum elegit, in sepulchro majorum suorum uxor sepelienda est.

Si uxor prius decessit, electa sibi sepoltura; maritus in sepulchro majorum, et si non habeat, in parochiali sepeliri debet.

Ut uxor obtineat mariti sepulturam requiritur 1. ut sibi non elegerit propriam: 2. ut fuerit legitima ejus uxor, non sponsa tantum: 3. ut non fuerit separata a marito propter adulterium facto divortio: ut in viduitate non impudice vivat.

Qui sepulturam majorum non habet sepeliendus est de jure in parochia propria, nisi aliud consuetudine obtineat.

Qui in loco, ubi mortuus est, habet quasi domicilium, ibi sepeliendus.

Qui in diversis parochiis domicilium habet, in illa sepeliendus in-

qua vivens sacramenta percepit: et si hoc factum est in utraque, in ea quae praevenerit sepeliri debet.

Peregrini et advenae sepeliendi sunt vel in ecclesia cathedrali secundum quorumdam sententiam, vel potius in parochiali in qua sunt defuncti, praesertim si a parocho ejusdem loci sacramenta perceperint; hoc autem, si ad sepulturam majorum commode deferri nequeant.

Clericus si beneficiatus sit, et sepulturam vel a se, vel a majoribus suis electam non habeat, sepeliendus in parochia in qua beneficium obtinuit, stabilem residentiam.

Casu, quo clericus beneficiatus in una parochia habet beneficium, in alia habitationem, et in hac posteriori decessit, in qua beneficium habet tumulandus, seclusa speciali consuetudine.

A sepultura ecclesiastica repelluntur tamquam indigni 1. pagani, judaei atque infideles: 2. haeretici eorumque sectatores, defensores etc. 3. Infantes fidelium, qui decesserunt sine baptismo: 4. catecumeni: 5. excommunicati vitandi, etc.

Si indignorum aliquis sepulturam ecclesiasticam habuit, corpus ejus procul ab ecclesia abjici debet.

Si sepultus est excommunicatus vitandus, vel infidelis, ecclesia, vel cœmeterium, in quo sepultus est, reconciliari debet.

Pœna excommunicationis incurritur ab eo, qui scienter in loco sacro sepelit excommunicatum non toleratum, aut usurarium manifestum.

Probabilius est excommunicatos non vitandos, si datis pœnitentiae signis decesserint, in loco sacro sepeliri posse.

Excommunicatus a quocumque sacerdote in articulo mortis absolvi potest ut ecclesiae sepultura gaudeat, verum fieri debet absolutio secundum praescripta canonum.

Suicidae privandi sunt sepultura ecclesiastica, quando id sponte fecerunt, nulla urgente causa, et insuper constat, quod ipsemet sibi manus intulerit, nec de facto pœnituerit.

Fideles, ob gravia delicta ultimo supplicio affecti, si pœnitentes obierint, in loco sacro sepeliri debent.

Si mater praegna moriatur, et cum ea proles sit mortua, una cum illa sepeliri debet: si vero adhuc partus vivat, mater mortua scindi debet, et fœtus extrahi, ut baptizetur.

Jus sepulturae alicui, ut ejus dominus fiat, ne episcopi quidem authoritate dari potest.

Jus sepulturae Summus Pontifex dare potest pro tota ecclesia, episcopus pro sua diœcesi sed justa ex causa, et cum capituli consensu.

Digitized by Google

Ad acquirendum hodie jus sepulturae pro se, et familia sua requiritur licentia ab iis, qui eam dare possunt.

Ecclesia locum, alteri ad sepulturam familiarem, vel haereditariam datum, concedere aliis nequit, extante adhuc familia, vel haerede.

Pœna sepelientium aliquem, qui de jure in aliqua parochia sepeliri debebat, est cadaveris sepulti restitutio una cum omnibus, quae ratione illius acceperunt.

Si lis nascatur de loco, quo cadaver sit tumulandus, interim in parochiali sepeliri debet, donec veritas dignoscatur.

Si cadaver alibi sit sepultum, quam altera ecclesia praetendat, restituendum non est, nisi prius satis ecclesia probet jus, seu titulum proprietatis.

Occasione sepulturae aliquid exigi, vel accipi potest, si res temporalis non habeat rationem pretii, aut non detur pro re sacra.

Sepulchrum proprium suis sumptibus emptum, et aedificatum pro se, et suis, communior sententia est, illud vendere quoad proprietatem justa valorem fundi, et habito respectu ad solas expensas in eo aedificando factas, non posse.

Portio canonica parochialis, est, pars eorum, quae occasione funeris, et sepulturae corporis extra parochiam tumulati, obvenerunt ecclesiae in qua ejusmodi corpus tumulatum est; et penditur ex omnibus, quae occasione funeris obvenerunt tali ecclesiae.

Portio ista canonica solvi debet ecclesiae parochiali, in qua defunctus alioquin sepeliri debuisset, ab illa ecclesia in qua sepultura electa est etsi defunctum jus sepeliendi habeat, etsi sit exempta, etc.

Multis casibus portio canonica non debetur ut 1. ex iis, quae defunctus reliquit aliis ecclesiis ab ecclesia sepulturae suae distinctis: 2. si relictum sit aliquid ecclesiae, in qua funus ad tempus solum depositum est: 3. si relictam sit ecclesiae in qua sepulturam defunctus accepit, pro ornamentis, fabrica anniversario, etc.

Portio canonica non tota spectat ad ecclesiam parochialem, sed quarta pars illius praestanda a parochia episcopo, tamquam ordinario loci; sed prius deducenda est portio parochialis, et tum primum episcopalis.

Parochia, seu parœcia est alicujus diœcesis ecclesia, quae populum certis limitibus distinctum habet, et presbyterum sive rectorem, a quo sacramenta, verbum divinum aliaque spiritualia, eidem ex officio ministrantur.

Ad constituendam parochiam requiritur 1. potestas ligandi, et solvendi in foro pœnitenziali: 2. locus certis limitibus constitutus, in quo populus alicui ecclesiae deputatus degit: 3. authoritas episcopi designantis eidem limites, et constituentis populum parochianum: 4. ut habeat rectorem certum, et quidem unicum.

Ad constitutionem parochiae non requiritur essentialiter fons baptismatis, cœmeterium, et jus administrandi alia sacramenta, dummodo talia signa adsint, ex quibus colligi status ecclesiae possit.

Ad costituendam parochiam requiritur decem, non qualescumque homines, sed patresfamilias seu totidem familias distinctas.

Parochia beneficium curatum dicitur, quando includit etiam potestatem sive jurisdictionem fori externi, si hanc non habet curatum non est.

Iura parochialia sunt 1. fons baptimatis: 2. forum poenitentiale: 3. dispensatio sacramenti eucharistiae: 4. solemnizatio, et benedictio matrimoniorum: 5. administratio extremae unctionis: 6. auditio missae diebus Dominicis, et festis, sed huic juri derogatum est: 7. verbi divini praedicatio: 8. benedictio, et dispensatio cinerum prima die quadragesima etc: 9. benedictio fontis baptismalis, celebratio missae in caena Domini etc: 10. denuntiationes festorum, matrimoniorum etc: 11. jus sepulturae, vel portionis canonicae; 12. jus decimarum, primitiarum, et oblationum.

Sacramenta administrari parochianis possunt etiam ab alio de licentia parochi, vel ex privilegio apostolico, quale respectu sacramenti pœnitentiae et eucharistiae habent regulares.

Nequit administrari sacramenta baptismi, et extremae unctionis ab alio.

Obligatio parochi est, ut sacramenta pœnitentiae, et eucharistiae parochianis suis, quando velint administret.

Parochianorum est ex ecclesiae praecepto, ut saltem semel in anno, et quidem tempore paschali sacramentum altaris omnes accedant.

Munus praedicandi ex officio competit episcopis, et parochis: ex privilegio regularibus mendicantibus, et qui cum ipsis communicant.

Diœcesium, et parochiarum limites constitui, et mutari sola ecclesiastica authoritate potest: idem institutiones, et divisiones.

Fines et limites diœcesium, et parochiarum si certi, non sunt praescriptioni obnoxii; secus si essent incerti.

Digitized by Google

Cognitio quaestionis motae circa fines diœcesium, et parochiarum, si facti praecise sit, decidi potest a judice saeculari; si juris quaestionem admixtam habet, de ea cognoscit solus judex ecclesiasticus.

Cognitio finium parochiarum, vel diœcesium a potestate laica praescriptione acquiri nequit.

Decimae dicuntur, decima pars cujusque rei, et sunt profanae, et ecclesiasticae: *profanae* sunt species quedam tributi, quod olim temporales domini subditorum praediis imponebant: *ecclesiatsicae*, quae ecclesiis, et clero solvuntur; hae sunt *ordinariae*, et *extraordinariae*.

Decimae ecclesiasticae sunt spirituales, et temporales.

Decimae spirituales, seu mere ecclesiasticae sunt triplicis generis, *praediales*, *personales*, et *mixtae*: quae a diversitate fructuum nomina capiunt.

Decimae praediales dicuntur etiam *majores* et *minores*.

Iure divino decimae debentur clericis, prout eorum necessaria sustentatio; jure ecclesiastico, si secundum determinationem eis debentur, seu certam quotam, ut sunt decima pars fructuum.

Decimae debentur titulo religionis, et justitiae; etsi ministri ecclesiae habeant patrimonialia, unde vivant.

Decimae per se loquendo solvi debent ex omnibus fructibus.

Ex illicite quaesitis, quae retineri nequeunt, decimae non debentur, excipiuntur praediales: utique omnes debentur, quae retineri ex illicite quaesitis possunt.

Decimae praediales integrae solvende sunt: in personalibus expensae deduci possunt; eo tempore solvendae juxta loci cosuetudinem; ubi a solo sint separatae, aut collectae, dominus praedii, vel colonus parochum monere debent, ut curet avehi, nisi aliter ferat consuetudo.

Per se, et ratione personae ad decimas solvendas obligantur omnes, et soli fideles baptizati, qui de manu sacerdotis sacramenta tenentur suscipere, nisi aliquo legitimo titulo exempti sint: ratione rei fructiferae quicumque alii, qui praedia ad decimas praestandas obligata possident; sic haeretici, judaei et alii infideles tenentur decimas praestare.

Clerici debent solvere eas ex bonis, quae possident titnto temporali.

In religiosis inspicienda sunt singularum ordinum privilegia.

Pauperes si extrema, vel probabilius gravi necessitate constituti sint decimas solvere non obligantur.

Si dominus praedii, illud colono locavit ita, ut uterque fructuum partem percipiat, uterque decimas solvere debet, si ita, ut

unus fructus omnes percipiat, alteri vero praestet pensionem certam, decimae ab eo solvendae, qui fructus omnes percipit.
Jure communi nunc parochis propriis decimae sunt solvendae cum parochiae divisae sint, sed earum quarta pars pendi debet episcopo, ubi contraria consuetudine abrogata non est.
Decimae personales solvendae sunt parocho domicilii, et si quis duo habeat aeque pricipalia, inter eas parochias sunt dividendae:
Decimae praediales de jure communi solvendae sunt illi parochiae, intra cujus fines sita sunt praedia.
Decimae mixtae debentur illi parochiae, in cujus territorio pecora pascuntur, accubant, dormiunt.
Decimae novalium nempe quae pro agro de novo ad cultum redacto, de qua non extat memoria solvuntur ecclesiae parochiali, intra cujus fines exurgunt.
Jus percipiendi decimas acquiri potest: 1. collatione, vel unione beneficii curati: 2. privilegio sedis apostolicae: 3. donatione laicorum cum consensu episcopi: 4. venditione: 5. permutatione decimarum: 6. transactione: 7. infeudatione: 8. praescriptione.
Decimae applicari possunt *privilegio apostolico* quibuscumque ecclesiis sive illae sint intra, sive extra territorium parochiae, de cujus decimis applicandis agitur.
Donatione laicorum transferri in alium jus percipiendi decimas potest, si laicus justo, et valido titulo eas posséderit.
Decimae vendi possunt solum alteri ecclesiae, vel personis ecclesiasticis, non laicis, ex justa causa, et adhibitis solemnitatibus.
Transigi potest super decimis praeteritis inconsulto episcopo etiam cum laicis: haud est ita, si agatur de decimis in futurum solvendis ubi causae cognitio, et papae consensus vel episcopi requiritur.
Decimae infeudari laicis etiam in perpetuum a summo potifice possunt; et postquam ad ecclesiam redierunt iterum alteri laico in feudum concedere ecclesiae praelatus non prohibetur, nisi jam ecclesiae, vel mensae episcopi incorporatae sint; nisi nova in feudatio sit ecclesiae damnosa, vel minus utilis.
Ut per praescriptionem acquiratur jus decimandi alicui ecclesiae, vel loco sacro, requiritur tempus 100. annorum adversus romanam inferiorem et hoc ex plurium sententia.
Decimae praescribi possunt a laicis contra laicos, non autem adversus ecclesiam, et personam ecclesiasticam ne quidem tempore immemoriali.

Digitized by Google

Qui praescripsit decimas prediales intra fines alienac parochiae, non potest vi illius praescriptionis percipere etiam decimas ex novalibus postea factis intra eamdem parochiam.

Privilegium percipiendi decimas ex praediis intra fines parochiae alicujus sitis, an extendatur nec ne ad decimas novalium, quae post concessionem talis privilegii fiunt intra fines talis parochiao, inspiciendum ex tenore privilegii, et mente papae est.

Si dubium est de mente concedentis, ad decimas novalium, quae post concessionem ejusdem fiunt, privilegium non extenditur.

Modi quibus impetrari potest exemptio ab onere solvendi decimas sunt privilegium, consuetudo, praescriptio, amicabilis compositio et transactio.

A decimis solvendis eximit privilegium datum a solo summo pontifice.

Privilegium amittitur 1.° si cedat in enormem laesionem, vel gravamen ecclesiae, et personarum ad quas decimae pertinent.

2.° Conventione, seu partium compositione.

3.° Non usu, vel usu contrario.

Consuetudine non solvendi inducta, liberatur decimarum praestatione.

Immunitas a decimis etiam in totum per consuetudinem obtineri potest, si ecclesiae ministri stipendium laboris, et curae aliunde habeant, et etiam laici obtinere valent.

Ut per consuetudinem obtineatur immunitas a solutione decimarum, si ea praescriptionis via inducatur, requiritur 40. annis sit continuata; si via conniventiae, sciente, et tolerante summo pontifice, tantum tempus, et tot actus legi contrarii sufficiunt, ut praesumi possit notitia, et consensus tacitus legislatoris.

Si is, contra quem praescribitur est parochus, aut ecclesia parochialis praescriptio non perficitur nisi 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali sine titulo: si contra monasterium aut ecclesiam non parochialem, completur praescriptio 40. annis sine titulo: si contra privatum clericum, aut laicum 10. annis contra praesentem, 20. contra absentem.

Etsi consuetudine, aut praescriptione obtineatur exemptio a decimis solvendis, summus pontifex earum praestationem, si opus sit, denuo imperare potest.

In transactione super decimis futuris ad tempus triennio longius, opus est episcopi authoritatem intervenire: ut in perpetuum, vel ultra vitam transigentis transactio valeat, opus est authoritate apostolica.

Immunitas a decimis solvendis emi, aut alias pro re temporali commutari nequit.

Parochus si non petat decimas tempore collectionis potest eas postea petere a quocumque illarum detentore injusto; sed authoritate sua per vim accipere prohibetur; decimas sibi negatas petere debet instituta actione adversus detentorem.

Ad exigendas decimas, si agatur *judicio possessorio* ecclesia, vel parochus aut episcopus intentabit remedia possessoria, si agatur *petitorio* super ipso jure decimandi, actio confessoria, vel negatoria institui debet; si vero super ipsis decimis, seu fructibus decimalibus jam separatis a cumulo reliquorum, et assignatis ecclesiae, vel parocho, *rei vindicatione* agendum erit; ad eorum separationem, et solutionem agi poterit *conditione ex canone.*

Si agatur interdicto *adipiscendae possessionis* actio institnenda adversus possessorem iniquum; *si retinendae,* adversus turbatorem, si *recuperandae*, adversus spoliatorem.

Si agatur petitorio *actione confessoria* vel *negatoria*, istituetur adversus eum, qui jus decimandi sibi injuste arroget; *si rei vendicatione* adversus eum, qui decimas a fundo separatas contra jus collegit; si condictione ex canone adversus quemvis fructuum non decimatorum possessorem.

Causae decimarum in *petitorio* quando quaestio juris est, ad judicem ecclesiasticum spectat cognitio; nisi judici saeculari data sit privilegio apostolico; nisi lis mota sit super decimis, quae privilegio, vel alia concessione apostolica perpetuo in laicos translatae sint.

Quando lis est circa decimas in *possessorio*, et uterque litigantium, aut reus conventus est laicus, discussio ad ecclesiasticum pertinet; vel comunitas saecularis est, et quaestio admixtam sibi habeat alteram quaestionem proprietatis, et ad ecclesiasticum judicem quoque pertinebit: si nullam juris, vel proprietatis causam mixtam habebit, mixti fori probabilius est.

Poenae decimas fraudantium sunt excommunicatio, sepulturae privatio, et religiosis suspensio ab officiis, administrationibus, beneficiis; et si non habeant tamdiu excommunicati, donec destiterint, et satisfecerint.

Primitiae sunt fructus, qui Dei beneficio ex agris, vineis, hortis arboribus producuntur.

Oblationes specifice accipiuntur pro re quacumque temporali, quae intuitu religionis a fidelibus immediate Deo absque immolatione

exhibetur, ut in ecclesiae usum, ejusque ministrorum sustentationem cedat.

Praeceptum solvendi primitias non est juris naturalis, olim debebantur jure ecclesiastico, cui fere jam derogatum est.

Nullum praeceptum datur de oblationibus faciendis dominicis, et festis diebus solemnioribus inter missarum solemnia ullo jure divino positivo, nec naturali, nec ecclesiastico.

Per accidens deberi possunt 1. promissione: 2. donatione inter vivos vel ultima voluntate: 3. indigentia ecclesiae, vel ministrorum: 4. consuetudine 10. annis: 5. praescriptione.

Primitiae exhibendae sunt parocho illius parochiae, intra cujus fines praedia. ex quibus fructus producuntur, existunt, nisi consuetudo sit contraria.

Praeter parochum oblationes debentur episcopo duobus casibus; si in dioecesis suae ecclesia parochiali ipse sacrificet; si capella, vel imago, ad quam fiunt oblationes sita sit in loco nullius parochiae.

Clerici et ecclesiae non parochiales jus accipiendi oblationes acquirere possunt 1. si sint exemptae: 2. si jus istud obtinuerint privilegio: 3. si praescriptione.

Religiosi obtinere oblationes possunt 1. si sacerdotes, ad quos eae de jure pertinent, has ipsis largiantur tamquam pauperibus: 2. si offerantur in ecclesiis parochialibus monasterio suo unitis, et a se procuratis: 3. si offerantur ipsis intuitu ministerii altaris: 4. si jus accipiendi oblationes obtinuerint privilegio, vel praescriptione.

Laici saeculares juris percipiendi oblationes, quae religionis intuitu in ecclesiis fiunt, incapaces sunt, secluso privilegio apostolico.

Ecclesiasticae oblationes fieri, et accipi possunt ab omnibus Christi fidelibus baptizatis; modo ab ecclesia praecisi non sint, et non obstet lex justitiae, pietatis, charitatis, aut timor scandali, vel ecclesiae prohibitio specialis.

Oblationum administratio de jure communi spectat ad parochum, sed regulariter converti debent in eos usus, ad quos fidelium offerentium intentione destinatae sunt.

Oblationes ad certos usus destinatae, auctoritate apostolica, vel etiam episcopali in alios usus converti possunt si causa justa sic suadeat, vel exigat; minime vero fieri potest, jure communi spectato, potestate magistratus saecularis etiamsi supremi.

Religio, pro statu religioso sumpta, est stabilis in comune vivendi modus fidelium, ad christianae charitatis perfectionem tenden-

Digitized by Google

tium, editis tribus substantialibus votis paupertatis, castitatis, et obedientiae ab ecclesia approbatus.

Hujusmodi status in sua substantia spectatus a Christo institutus est, relate vero ad vivendi modum ab ecclesia originem sumit, ideoque pro temporum varietate certas potest ecclesia ipsa statuere conditiones, utpote fecit *in ordine ad contrahendum matrimonium, et ad vinculi firmitatem.*

Tria sunt genera Religiosorum, scilicet eorum qui 1. vitam contemplativam, 2. vitam activam, 3. vitam mixtam profitentur, quarum prima est aliarum perfectior.

Diversitas ordinum religiosorum desumitur 1. ex fine ad quem aliquis ordo institutus est; 2. ex mediis quibus ad finem ipsum tendit: utrumque proponitur per regulas, et constitutiones proprias.

Tota diversitas ordinum ad quinque supremas species reducitur; videlicet *Monachales*, *Clericales*, *Mendicantes*, *Militares*, *Hospitalarii.*

Ad substantiam verae religionis requiritur, ut servetur castitas, obedientia, et paupertas; ut tria haec voto firmentur; ut votum emissum sit in religione approbata; ut vota emittens sub aliqua certa regula vivat. Dubium autem est inter DD. an vota, quae in religione emittuntur sint solemnia: tutior autem negativa sententia post costitutionem Gregorii XIII.

Vera et proprie dicta religio censenda illa est, in qua religiosus habeat perpetuam obligationem manendi in religione, etsi religio non teneatur ipsum perpetuo retinere, sed ob justas causas eundem dimittere possit.

Ad substantia verae religionis requiritur vita comunis spectato jure ecclesiastico novo, et hodierno, secus vero in sua natura considerata.

Religionis approbatio a S. Pontifice, et Sede Apostolica necessaria incepit esse post Lateranense Concilium sub Innocentio III; ante quod sufficiebat approbatio ordinariorum.

Omnes christiani generatim loquendo possunt effici religiosi: prohibentur autem *infantes*, *furiosi*, *amentes*; *servi* sine licentia domini; conjux post matrimonium consumatum, ni adsit justa causa perpetui divortii. vel alter conjux consensum dederit « Episcopus consecratus, vel saltem confirmatus, nisi consentiente papa » Magno aere alieno gravatus » Rationibus reddendis obnoxii « Criminosi de crimine reddente infamiam » Liberi, quorum parentes in extrema, vel gravi necessitate sun costituti « Parentes, si liberos educandos habeant. » Non habentes legitti-

mam aetatem quae a Concilio Tridentino assignatur anno decimo sexto expleto tam masculis, quam faeminis.

Servi, qui ingredi religionem prohibentur, sunt tam proprie dicti quam adscriptitii et originarii; et si istorum aliquis absque licentia domini sui in religionem ingressus sit, repeti ab eo potest intra triennium, quo lapso revocari nequit a domino suo, si religio eum bona fide recepit, scilicet si ignoravit illum esse servum, qui liberum esse dixit. Si vero religio mala fide eum accepit, etiam post triennium restituere tenetur.

Summus pontifex solet episcopis concedere ingressum religioni iis in casibus, in quibus episcopus potest episcopatui renunciare; quod evenit 1. propter criminis coscientiam, qua officium suum exercere impeditur, 2. corporis debilitate, 3. scientiae defectu, ni tolli nequeat, 4. malitia plebis, 5. grave scandalo populi, 6. irregularitate personae non dispensabili. Extra hos casu papa nec solet nec jure debet episcopis etiam titularibus concedere ingressum in religionem, secus vero si agatur de curatis, et beneficiariis secularibus, qui, probabilius, nequidem tenentur licentiam petere ab episcopo suo si velint ingredi religionem.

Homo aere alieno gravatus licite ingredi religionem potest sequentibus in casibus. 1. Si creditores in ingressum ejusdem consentiant. 2. Si nec habeat unde solvat, nec habere spes ei supersit in saeculo manens. 3. Si creditor sit incertus, ita ut ei consilium sit, pauperibus erogandum esse hujusmodi debitum. Extra quos casus, si debitor ingrediatur in Religionem; tenebitur suis creditoribus; etsi professio valida sit, nec teneatur suis laboribus debita solvere, nec multo minus religio ipsa teneatur. Certum est autem, talem debitorem suspendere debere propositum ingrediendae religionis, si biennio vel triennio sperare potest debita solvere in saeculo manens. Quod si hujusmodi spes exigua taliter sit, ut difficultatem maximam includat, probabilius dicere est, non teneri hoc tempus expectare, sed sufficere ut suas actiones omnes, et jura creditoribus cedat; quod magis magisque verum est, si debitum proveniat ex liberalitate debitoris.

Filii ob paupertatem parentum non tenentur differre religionis ingressum, 1. si nec habeant, nec sperare possint media quibus illis subvenire possint, 2. si filius per hanc dilationem patiatur periculum peccandi proximum, quod vitare nequeat nisi per ingressum in religionem, 3. si filium pater provocet ad peccandum, neque hoc vitare possit.

Digitized by Google

Filius in casu extremae paupertatis parentum, horum licentia indiget ut relgionem ingrediatur;

Si vero is qui religionem ingredi vult, habet fratres laborantes paupertate maxima non potest religionem ipsam ingredi; secus vero si paupertas gravis dumtaxat sit.

Annus probationis in omni religione simpliciter necessarius est post Tridentinum, ante quod consensu novitii, et patrum eum admittentium poterat huic tempori renunciari.

Exceptiones, quibus novitiatus potest aliquando esse anno brevior, sunt. 1. Consensus utriusque partis, 2. Moniales s. Dominici, nec non alii novitii utriusque sexus cujuscumque alterius religionis, quae cum ordine s. Dominici in privilegiis comunicationem habent. Tale vero privilegium dari solet in casu gravis morbis, quod judicio medicorum sit insanabile: effectus autem privilegii est, ut indulgentias assequi possint. Quod si morbum evanescat debet annum novitiatus compleri, et ratam haberi professionem. 3. Excipiuntur pariter ordines militares. 4. Commendatarii monasteriorum, quae capita, ac primates sunt ordinum.

Tempus novitiatus semper idem non fuit: Hodie vero in plerisque religionibus est annus. Excipitur Societas Jesu cum quibusdam aliis religionibus, in quibus alter annus superaddi debet.

Annus probationis numerandus est a momento, quo novitius suscepit habitum, si susceptio requiritur, secus vero a die ingressus.

Probatio novitii verosimilius peragenda necessario est in habitu religionis.

Locus quo peragi debet novitiatus, regulariter est monasterium. Sed si accedat facultas superioris, etiam extra illud per majorem quoque anni partem versari potest.

Probationis, et aetatis anni debent esse integri, et completi de momento ad momentum: nec non continui, et absque interruptione.

Qui post expletum annum probationis ante editam professionem a religione dimissus est, vel sponte illam deseruit, si postea in eam iterum recipiatur, novitiatum iterum inchoare debet, si post egressum novitii intervenit aliqua notabilis mutatio vel quoad mores novitii, vel quoad regulas religionis; secus non debet.

Professio si aliquo defectu invalide emissa sit, novitiatus repeti non debet.

Novitius, qui ante professionem emissam ejectus est e novitiatu,

Digitized by Google

et postea iterum receptus est, debet iterum incipere novitiatum, si juste ejectus fuit; non debet, si injuste.

Novitiatus repeti non debet, quando religiosus ab uno monasterio, in quo professionem edidit, trasfertur in aliud ejusdem ordinis, et observantiae: si vero diversi ordinis sit, repeti debet.

Novitius intra annum probationis libere potest e monasterio exire, et reverti ad saeculum cessante etiam causa, nec petita praelati licentia.

Expensae factae a religione in sustentationem novitii reversi ad saeculum refundi non debent ab ipso, nisi ficto animo ingressus sit,

Privilegia novitiorum sunt. 1. Comprehenduntur nomine religiosorum. 2. Gaudent privilegio canonis et fori. 3. Immunes sunt a tributis et vectigalibus solvendis ex bonis patrimonialibus. 4. Participant indulgentias et alia privilegia religionis. 5. A proprio ordinis sui praelato per se aut per alios absolvi possunt a reservatis. 6. Praelatus ordinis potest cum ipsis despensare in votis, in observatione festorum, jejuniorum, recitatione orarum canonicarum. 7. Possunt recipere ordines ab episcopo in cujus dioecesi situm est eorum monasterium.

Novitius, quamdiu in probatione versatur, ad observantiam regulae et praeceptorum datorum a superioribus regularibus obligatur, si honestas et decentia spectetur, non obligatur autem per se et directe loquendo.

De jurisdictione praelati regularis super novitios, dicendum, quod si hujusmodi praelati sint ordinis *exemptorum*, habere jurisdictionem quasi episcopalem in foro tam interno, quam externo; si vero sint ordinis *non exemptorum* jurisdictionem eorum pendere ex concessione Episcopi, et cujusque ordinis statutis seu consuetudine,

Beneficium a novitio possessum, durante anno probationis omnino non vacat, ideoque novitius retinet eligendi episcopum, vel alium praefatum jus annexum ipsius beneficio, canonicatui, aut dignitati.

In casu vacationis episcopatus, vel praelaturae, si electio facienda sit novi episcopi, novitius vocandus est ad hanc electionem, si haec de *jure speciali* ipsi pertineat ratione beneficii. Contra vero si electio pertineat ad collegium, cujus ipse pars est ratione ipsius beneficii.

Novitius jure novo Tridentini non potest bonis et juribus suis renunciare nisi cum licentia episcopi, vel ejus vicarii intra duos men-

Digitized by Google

ses proximos ante professionem ; et etiam sic facta renunciatio non erit effectum sortitura, nisi secuta professione.

Hoc Tridentino decreto sess. 25 c. 16 irritantur ii contractus, et pacta quibus bona, et jura novitii notabiliter minuuntur; caetera valent. Ideoque validae sunt donationes, et elemosinae pauperibus, piis locis, et ipsi Monasterio factae, si modicae sint, et moderatae, spectata novitii substantia. Valent pariter contractus emptionis - venditionis, locationis, conductionis, permutationis, societatis, et alii similes, quibus non minus recipitur quam datur, et non minor spes lucri quam damni est. Invalidae contra sunt 1. donationes notabilis quantitatis inter vivos irrevocabiliter factae. 2. renunciationes officiorum pubblicorum et beneficiorum Ecclesiasticorum. 3. mutuum. 4. fidejussiones, remissiones, et liberationes. 5. contractus omnes lucrativi, et illi etiam onerosi, in quibus non tantum recipitur, quantum datum est.

Ut renunciatio valide fieri possit a novitio, requiritur 1. ut non fiat ante ultimum bimestre probationis; 2. ut fiat licentia Episcopi, vel alterius, qui jurisdictionem quasi episcopalem habet in clerum et populum; quae licentia debet esse obtenta praecedenter ipsam renunciationem. 3. renunciatio valet vel expressa sit vel tacita, quae postrema habetur ex ratihabitione, modo haec de praesenti detur.

Videtur, quod renunciatio, in casu quo professio ex aliqua causa differtur, possit fieri ultimo probationis bimestre. Dicendum tamen, valide hoc casu fieri renunciationem tempore currente intra mensem undecimum annus probationis usque ad professionem licet ista vel ob defectum aetatis, vel alia justa causa differatur.

Renunciatio tamen valide fieri potest a novitio ultimo bimestri ante professionem, quando ista ex dispensatione Pontificia emittitur ante elapsum integrum probationis annum ex. gr. sexto vel octavo mense; quodque tempus duorum mensium computandum est moraliter, non momento ad momentum, ita ut intret epikeja, et breve tempus non consideretur:

Effectum non habet renunciatio, et si facta fuerit juxta normam Trid. si professio hac secuta ob aetatis vel alium defectum sit irrita.

An vero censeatur ratificata renunciatio, quae emissa sit post professionem invalide emissam, sed postea valide ratificata, respondendum cum distinctione, scilicet si irrita sit ob aetatis de-

fectu, negative tenendum, si vero aliquam ob causam quae intrinsece non afficit validitatem, affirmative.

Donatio aut alia renunciatio facta secundum formam Tridentini omnino corruit, si novitius, qui renunciavit vel donavit moriatur ante professionem. Ex quo sequitur, quod novitius non obstante tali donatione vel enunciatione facta, de bonis suis testari, et mortis causa disponere possit prout voluerit, et si factam a se renunciationem ratificare nolit, nec aliam dispositionem facere, bona ejusdem deferantur ad haeredes ab intestato.

Renunciatio bonorum vel donatio ultimo bimestri facta revocari ab ipso ante professionem non potest si velit perseverare in religione, nisi sibi reservaverit jus revocandi. Res donata, vel renunciata non potest ita a novitio tradi donatario vel cuilibet ante professionem, ut ipsius rei dominium irrevocabiliter acquiratur a donatario etc.

Res cessae, vel donatae non possunt monasterio ita tradi ante professionem, ut ei acquiratur tantum dominium revocabile, quod secus evenit in possessione.

In renunciatione beneficii, quod in saeculo novitius habuit, requiruntur solemnitates a Trid. statutae, sine quibus renunciatio nulla est, et resignans reintegrandus est, si professio non sequatur.

Donationes, et renunciationes, factae ante ingressum novitii in religione non sunt irritae si factae sint alio quam ingressus istius intuitu. Quod si hoc intuitu factae sunt, probabilius videtur esse validas, quamvis ita renuncians, casu quo mutato consilio rediret ad saeculum, vel religionem omnino non ingrederetur, ad beneficium restitutionis in integrum possit recurrere si minor sit, imo etiam major ex clausola generali, *si qua alia mihi justa causa videbitur.*

Renunciationes etiam post ingressum, et susceptam tonsuram monachalem ante habitum susceptum factas, non subjacere conciliari decreto certum est, et cons. validas esse, etiamsi factae non sint cum solemnitatibus illo decreto praescriptis. Fieri tamen debent secundum solemnitates statutas, vel juris comunis.

Professio religiosa *late accepta* est actus religiosus et sacer per quem homo fidelis in religione aliqua approbata post emissionem trium votorum substantialium, paupertatis, castitatis, et obedientiae, voluntarie se Deo tradit, interveniente auctoritate Praelati, qui hujusmodi traditionem Dei et religionis nomine acceptet. *Stricte vero sumpta* est contractus ultro citroque obligatorius quo quis per vota solemnia se Deo et religioni

Digitized by Google

tradit et religio vicissim hujusmodi traditionem acceptat in onere ipsum voventem perpetuo retinendi, alendi, et tamquam filium juxta regulas et institutum religionis tractandi.

Alterutra requiritur ad hoc ut fiat quis proprie dictus religiosus; sufficit autem prima quamvis fiat per vota tantum simplicia.

Circa hujusmodi oblatos notandum. 1. Ita recipi in religione possunt etiam impuberes imo infantes, sed hi nonnisi consensu parentum.

2.° Sic recepti non solum proprie religiosi non sunt, sed nec vere et proprie novitii, nisi post pubertatis annos expletos.

3.° Impuberem filium etiam mater offerre religioni potest, etsi pater vivat; modo non contradicat.

4.° Parentes possunt filium impuberem etiam invitum religioni offerre.

5.° Filii sive oblati sint volentes sive inviti, intra aetatem pupillarem egredi e monasterio nequeunt.

Professio religiosa *proprie dicta* alia est *expressa*, alia *tacita*. Expressa, quae verbo, scriptura, aliisque nutibus consensus sufficienter declarantibus, exprimitur.

Tacita, quae nec voce nec scripto etc. fit, sed per unum vel plures actus professis proprios censetur induci.

Professioni tacitae etiam post tridentinum locus est, modo adsint aliae conditiones necessariae ad professionis validitatem? Excipitur societas Jesu.

Ut per gestationem habitus, et exercitium actus professis proprii inducatur professio tacita, requiritur 1. ut is qui sic profitetur, expleverit annum 16 aetatis. 2. auctoritas praelati, vel alterius superioris, qui eum possit admittere, vel saltem hoc fiat eo sciente, et patiente. 3. ut habitus susceptio, et professio sponte facta sit. 3. ut gestans habitum et exercens actum sciat, eum esse proprium professis, et per eum induci professionem tacitam 5. ut habitum deferat vel actus hujusmodi exerceat cum vero et positivo animo profitendi, nec satis est se habere negative.

Ut valide fiat professio requiritur 1. capacitas in persona: 2. legittima aetas: 3. annus novitiati: 4. animus profitendi: 5. libertas. 6. emissio saltem tacita trium votorum substantialium: 7. religio sit approbata: 8. nulla interveniat conditio substantiae religionis repugnans: 9. professionis acceptatio ab aliquo potestatem habente.

Professio emissa ab eo, qui impedimentum essentiale in examine tacuit, invalida est; valida tamen si non sit essentiale; verum

Digitized by Google

si hoc ipsum fraude suppressum sit a professo, eijci é religione potest, modo deceptio sit in re gravi.

In professione requiritur ut aetas sit omnino completa, nec satis est ut, malitia suppleat aetatem.

Professio irrita est, si vi aut metu gravi injuste incusso extorta sit. Idem dicendum de acceptante professionem propter vim, vel metum.

Emitti professio potest verbis, vel nutibus, vel aliis signis externis consuetudo tamen docet, ut scriptura fiat quae publice legatur coram testibus. Absolute loquendo etiam per procuratorem, in praxi vero hoc non servatur. Conditionata potest esse professio, modo conditio non repugnet substantiae status religiosi.

Ubique emitti potest etiam in lecto, nec non extra monasterium. Pariter quocumque tempore. Denique infirmitas corporis nil obstat.

Novitios ad professionem admittere potest 1. Episcopus, si habeat in monasterio jurisdictionem. 2. Abbas, seu praelatus religionis immediatus. 3. Praelatus regularis mediatus. 4. Abbatissa. 5. Qui ordinariam potestatem habet, potest delegare.

Si invalide emissa sit professio ob defectu potestatis in admittente, satis erit si eam postea ratam ille habeat, cui potestas competit. Si vero invalida professio fit ob aliud impedimentum, necesse est, ut hoc remoto impedimento, professio ipsa expresse vel tacite ratificetur.

Ut ratificata dicatur professio invalida requiritur 1. ut costet de invaliditate, 2. ut impedimento ablato, ponatur novus consensus, qui 3. acceptandus est a religione; quae 4. sciat nullitatem ipsam.

Professus cujuslibet religionis reclamare potest adversus professionem suam intra quinquennium, et etiam ultra, modo impedimentum etiam duret. Religio quoque reclamare potest contra invalide professum in casu tantum, quo professio nulla fuerit ob invincibilem superiorum ignorantiam.

Conditiones ad legitimam reclamationem sunt 1. ut ante eam non deponatur habitus, nec cum eo discedatur a religione sine superiorum licentia, ni justa causa ad hoc habeatur, 2. ut causa nullitatis superiori ostendatur, 3. ut reclamatio fiat intra quinquennium, modo intra hoc tempus sciverit reclamans impedimentum, nec justa adsit causa, qua revclare non potuerit. Etiam vero post quinquennium reclamanti datur remedium restitutionis in integrum, quocumque ex capite professio nulla sit.

Digitized by Google

Invalide professus non tenetur ratificare professionem, si impedimentum invalidans in foro externo probare nequeat.

Effectus celebriores validae professionis sunt. 1. Profitens fit religiosus, ideoque vota servare tenetur. 2. Ligamen indissolubile ultro citroque obligans. 3. Professus transit in potestatem religionis, quae ipsum alere debet etc. 4. Solvitur patria potestas quoad ea quae sunt damnosa religioni, non quoad ea quae professo, et religioni utilia sunt. 5. Relaxat irregularitatem natalium, et facilius obtinet dispensationem in aliis irregularitatibus. 6. Purgat inabilitatem ad actus temporales ortam ex crimine. 7. Abolet notam ingratitudinis. 8. Dirimit matrimonium contrahendum, et contractum, si ratum dumtaxat sit, dissolvit omnino. 9. Inducit divortium post matrimonium cousumatum. 10. Omnia alia vota, et pia juramenta extinguit, nisi facta sint in favorem hominis. 11. Impertit omnem condonationem peccatorum quoad penam.

Hujusmodi effectus habent etiam vota simplicia societatis Jesu cum aliqua modificatione.

Pontifex potest vinculum professionis justa causa solvere.

Promotio ad episcopatum professionis vinculum non solvit, ideoque promotus ad vota tenetur.

Professio emissa ab episcopo, non obtenta facultate pontificia, non valet.

Professione non amittitur ea nobilitas, quae ex sanguine provenit; secus si ex dignitate.

Religiosus non potest praescribere contra professionem a se emissam.

Recessio a religione potest esse voluntaria, necessaria, sacrilega.

Ut religiosus possit ad aliam religionem transire, requiritur 1. ut haec sit strictior, 2. ut professio in prima religione sit temere, et leviter facta, 3. ut non eveniat detrimentum, infamia ipsi religioni, 4. ut petatur licentia a prelato ordinis, a quo etiam dimissoriae petendae sunt.

Religiosus potest transire ad religionem laxiorem, modo, 1. speretur ejus reformatio, 2. si causa sit infirmitatis.

Hujusmodi facultas impetranda est a pontifice, et etiam a Generalibus.

Talis licentia necessario petenda est sub gravi obligatione, et quidem ante transitum ad novam religionem; quae quidem licentia expectanda omnino est, et causae exponendae sunt hujus transitus, quae causae contemni non possunt.

Religioso transire volente ad religionem strictionem sufficit licentia prelati sui ordinis; si ad aliam aeque strictam, sufficit illius, qui jurisdictionem habet in ea a qua descedit. Si ad laxiorem papae, vel episcopo cum cognitione causae licentiam dare pertinet.

Jure canonico religiosi transeuntes ad alias religiones redduntur inhabiles ad officia quaecumque etiam extra religionem, 2. exercere non possunt curam animarum etiam per alios, nec habere beneficia saecularia, 3. nullam habent vocem in capitulo.

Bona religioso delata ante transitum ad aliam religionem, ad eam pertinent a qua discedit: secus de bonis acquisitis post ingressum in novam religionem, quae tamen ad ea jus habet secuta religiosi professione.

Abbas transiens ad strictiorem religionem efficit, ut statim vacet praelatura, ad quam successor eligendus est.

Professus incorrigibilis, et religioni intollerabilis etiam invitus potest expelli.

Professus ejectus in perpetuum ex religione non liberatur a votis substantialibus, etsi liberetur ab observantiis regulae. Ideo sequitur, ut acquirat usum tantummodo rerum, quae acquisivit post ejectionem. 2. Incapax est ad matrimonium contrahendum, 3. Subjectus erit praelato sui ordinis, etsi subjectus etiam sit episcopo loci. 4. Defendi amplius non debet a suo superiore, si habitum dimiserit. 5. Praeter tria vota omnibus religionibus communia, alia servare non debet.

Religiosus ob crimen ejectus per sententiam in perpetuum tenetur se corrigere, et correctus petere ingressum in monasterium, a quo admittendus est, nisi hoc prohibeant justae causae.

Professus a religione ejectus non potest ad aliam transire sine licentia, si ei spes relicta sit iterum ingrediendi post ejus emendationem: si vero ejectus est, ut nunquam recipiatur, potest ad aliam transire.

Bona comparata ab ejecto acquiruntur monasterio a quo ejectus est.

Religiosus fugitivus ille est, qui a monasterio sine licentia recedit ad tempus animo vagandi, vel extra obedientiam vivendi, animo tamen redeundi.

Apostata est ille, qui institutum perpetuo deserit; ex quo sequitur 1. esse apostatam qui recedit perpetuo a religione, etsi habitum teneat; e contrario esse fugitivum, qui habet animum redeundi, etsi dimiserit habitum.

Religiosus, qui discedit ab ordine animo redeundi dum confecerit aliquod diuturnum negotium, habendus est pro apostata in foro externo, non vero in interno.

Contra fugitivos nulla poena statuta est.

Parelati omnes possunt, et debent cujusque religionis fugitivos, et apostatas incarcerare, et compellere ad redeundum.

Monasterium solvere debet debita a fugitivo, ejecto, apostata contra-

cta, si eadem tempore ejectionis quaesita perceperit; secus si contra.

Sponsus, vel sponsa ante consumationem matrimonii ingredi religionem potest intra bimestre post matrimonium celebratum. Hoc bimestre currit a die contracti matrimonii. Stante hoc privilegium in favorem religionis, partes non tenentur vicissim reddere debitum., etsi eis non sit adhuc voluntas ingrediendae religionis.

Si intra bimestre ingrediatur quis ex conjugatis in religionem, debet annum probationis implere.

Bimestre transacto, nec matrimonio consumato, licet ingredi in Religionem,

Si sponsa cognita est a marito durante bimestre propter violentiam, potest ingredi religionem sive ipsa intra bimestre cogitaverit, vel non de hujusmodi ingressu.

Effectus hujus ingressus est dissolutio matrimonii, quae tamen impletur dum emittitur professio.

Post consumatum matrimonium licet ingredi religionem dumtaxat in hisce casibus 1. consensiente altero conjuge; quo casu si conjux in saeculo manens suspectus sit de incontinentia etiam ipse ingredi religionem debet; si contra sufficit ut simplex continentiae votum edat. 2. si alter conjux commiserit adulterium. 3. si unus lapsus sit in haeresim, vel apostasiam a fide.

Consensus conjugis permittentis ut alter ingrediatur religionem, et in ea profiteatur, debet esse 1. liber a gravi metu injusto. 2. absque dolo impetratus. 3. expressus.

Si consumato matrimonio unus conjux, altero invito, profiteatur religionem, invalida est professio, ut professio; valet tamen utpote simplicis continentiae votum, quo petere nequit, reddere debet.

Non obtento consensu conjux professus revocari potest a conjuge relicto, imo ille potest sponte ad saeculum redire professione etiam facta.

Revocationi locus quoque est, si unus conjugum religionem professus est altero non consentiente etsi ab utroque votum continentiae editum sit.

Pariter locus est repetioni si conjuges mutua non obtenta licentia, imo vicissim ignorantia detenti, professi sint ambo religionem; quae ex parte neutrius non tenet. Si vero ambo coscii sint, contra dicendum.

Praeter consensum conjugis permittentis ut alter religionem ingrediatur, requiritur 1. episcopi consensus, 2. ut manens emittat continentiae votum, si incontinentiae periculum non sit; quod si

sit, requiritur, ut et ipse religionem ingrediatur. Hisce vero requisitis deficientibus, valida tamen professio est.

Maritus cum uxoris consensu religionem ingressus post editam professionem revocari ab uxore nequit, si ipsa continentiae votum ediderit. Si vero non ediderit, et nescia sit juris disponentis non posse virum profiteri nisi ipsa quoque ingrediatur religione, vel voveat continentiam, revocare maritum potest; non potest autem si haec juris dispositio ignota ipsi non sit.

Si conjux relictus incontinens sit, non satis est, ut dato consensu ad professionem alterius conjugis, ipse votum continentiae edat, sed necesse est, ut praeter consensum ingrediatur in religionem. Sufficit autem hoc votum, si continens sit. In hoc casu vero si incontinenter vivat cogi potest ad ingrediendam religionem, modo sciverit, incontinenter se vivendo, juris dispositionem esse, eum teneri religionem ingredi.

Infidelis *late* sumptus dicitur, qui a christiana fide alienus est. *Stricte* vero, qui fidem ipsam numquam suscepit, nec baptizatus est.

Statutum est, ut si vir infidelis occidat maritum uxoris fidelis, machinatione uxoris ipsius, parata jam mariti morte, matrimonium sequi non possit inter talem uxorem, et infidelem ipsum etsi ad fidem conversum. Et hoc procedit. 1. etsi ante mortem patratam non intercesserit adulterium. 2. etsi uxor hoc fecerit ut vir infidelis converteretur ad fidem. 3. etsi vir fidelis occiderit maritum infidelem.

Prolis ex genitoribus infidelibus, quorum alter convertatur, huic assignanda est.

Votum est promissio de bono meliore libere Deo facta. Ad hoc requiritur 1. ut non sit aliquod simplex propositum. 2. ut vero fiat, et animo obligandi. 3. ut advertenter et libere fiat. 4. ut Deo tantum, et nequidem creaturae etsi sanctitate praecellenti. 5. ut de re possibili sit et honesta, nec non de meliori bono.

Votum ex parte rei promissae dividitur in *communi*, *et singulare. Commune*, quando materia illius est res omnibus observanda ex necessitate praecepti; *singulare*, cujus materia est abservanda ex consilio.

Votum ipsum dividitur etiam in *reale*, quando res aliqua promittitur; in *personale*, quando actio aliqua, vel omissio; in *mixto* quando res et actio promittitur.

Pariter dividitur in *affirmativum*, *et negativum; in perpetuum et temporale*; *in reservatum*, et non.

Ex parte promissionis dividitur votum in *absolutum*, *et conditiona-*

tum; *in paenale*. et non; *in expressum*, *et tacitum*; *in externum*. *internum*, *publicum*, *et occultum*; *in solemne*, et non.

Omnino certum est, posse voveri, dummodo votum sit de meliori bono ab omnibus viatoribus hominibus, nisi specialiteri mpediantur. Excluduntur furiosi; amentes infantes; impuberes, minoreones; illi defectu voluntatis; isti libertatis. Impediuntur conjuges, religiosi, episcopi si votum officiat ipsorum statui. Ratione aetatis impediuntur novitii non completo anno decimo sexto.

Si vota emissa sint ab extantibus sub alterius potestate. tunc valida erunt, si respicient materiam jam praeceptam ab Ecclesia, vel non absolute interdictam; secus invalida eruot; vel denique respiciant materiam nec praecepta, nec prohibita.

Episcopus de religione assumenda debet sub conditione vovere, idest si pontifex permittat. De peregrinatione facienda vovere potest, si non cedat in praejudicium muneris episcopalis.

Vovens non tenetur manifestare votum suo superiori, dum ab ipso petit licentiam illud implendi, nisi ad hanc manifestationem sese expresse obligaverit.

Votum factum non peccandi mortaliter, validum est; non peccandi mortaliter, nec venialiter, invalidum; non peccaudi mortaliter absolute, et venialiter de aliquo genere peccatorum, validum est.

Etsi res voto promittenda non sit de meliori bono, tamen votum validum erit si agatur de matrimonio in his casibus 1. quando puellae corruptae fides data sit eam nubendi; vel si matrimonium influat in pace componenda, religione conservanda, et aliis publicis, et gravibus malis arcendis, 2. si carnis incontinentia instet; 3. si contracturus matrimonium, inopem puellam ducat.

Faciendi votum nulla est obligatio; facto tamen obligat; quae obligatio aliquando commensuratur gravitati objecti; aliquando intentioni voventis.

Votum, si diligentia adhibita, ut de eo facto recordetur vovens, non obligat, si ipse in dubio remaneat; quod etiam dicendum si certitudo sit facti voti, sed dubium extet, an valide emissum; valet vero, si dubium versetur solum in duratione obligationis.

Qualitas, vel quantitas rei voto promissa Deo si indeterminata sit, restat in arbitrium voventis.

Tempus voto statutum servandum est, nisi legitima causa obstet; nullo vero statuto consulendum est judicium prudentum.

Digitized by Google

Differri tempus potest, 1. si spes sit ut vovens melius postea executusit votum. 2. si impedimentum sit.

Votum dumtaxat voventem adstringit, nec per alios implendum, si personale sit; si vero reale etiam per alios, qui ex eo teneri possunt. Si mixtum sit, vovens tenebitur in eo, quod respicit personam, alius tenebitur in eo quod respicit rem.

Si quis, voto facto religionis, eligatur ad episcopatum, non debet sine peccato electioni assentiri; quod si assentitus sit, tenetur votum implere usque dum non sit confirmatus ac consecratus; secuta vero confirmatione, non tenetur ad votum.

Cessat votum 1. *lapso tempore*, si tempus respiciat obligationem faciendam; secus si pertineat ad executionem obligationis factae. 2. *mutatione materiae*. 3. *cessante conditione*, quae si multiplex sit, videndum erit, an cupulative, an disjunctive emissa sit; primo casu omnis conditio implenda est, secus in secundo. Quod si eventus conditionis maliliosae vovente impeditus sit, obligatio non cessat. 4. *cessante causa finali*. 5. *denique irritatione* ejus a quo aut voluntas voventis, aut materia voto promissa pendet.

Si impubes habeat patrem, vel avum, hi possunt illius vota irritare; si neminem habeat, poterit tutor vota ipsa irritare. Tales vero irritationes erunt omnino indirectae, et solum res respiciunt, non personam. Dominus vero poterit irritare vota servi sui, quae petestati illius denominative prejudicant. Praelati regulares omnia vota religiosorum sibi subjectorum solvere possunt, eo excepto ingrediendi religionem strictioris observantiae. Conjuges invicem irritare possunt, quae mutuae cohabitationi praejudicant, et aeducationi prolis, administrationi familiae etc. 6. Cessat obligatio voti *redentione, et commutatione*; ad commutationem requiritur 1. ut votum non sit superiori servatum. 2. ut fiat justa causa. 3. ut non sit acceptatum ab alio. Denique 7. cessat *dispensatione*, quae a papa, episcopo, vel ab alio a papa delegato fieri potest. Papae vero pertinet dispensatio voti castitatis, religionis, peregrinationis in terram sanctam, Romam ad limina apostolorum, compostellam etc.; requiritur vero ut vota haec siut perfecta.

Paupertatis voto abstringuntur religiosi ita ut nil habeant proprium rerum temporalium. Quod si habeant aliquod peculium ad effectum administrationis dependenter a superiore, non agent contra votum. Contra paupertatis votum religiosus peccare potest 1. si rem aliquam sine expressa, tacita, vel praesumpta superioris licentia accipiat, retineat, absumat. 2. si absque

Digitized by Google

licentia donet, alienet, distribuat. 3. si ex iis, quae ad usum ipsi permissa sunt; aut aliis monasterii rebus absque licentia mutuo aut commodato det alteri. 4. si rem monasterii usurpet absque licentia aut altero usu utatur, quam ad quem a superiore ipsi concessa est. 5. si aliquid abscondat, aut liberae superioris dispositioni subducat, aut si tamquam injuria affectus murmuret dum talia ipsi a Praelato adimuntur. 6. si rem ipsi ad usum concessam culpa aut dolo amittat, destruat.

Licentia superioris excusans religiosum a trasgressione paupertatis debet esse 1. voluntaria. 2. justa. 3. expressa, sed aliquando sufficit tacita, et etiam praesumpta modo appareat, superiorem non futurum esse invitum.

Violatio paupertatis est peccatum ex genere suo mortale; potest etiam esse furtum, si res, de qua disponit, sit in dominio religionis. Poterit esse leve, si materia sit levis.

Pœnae contra violatores paupertatis sunt 1. privatio sepulturae ecclesiasticae. 2. expulsio a conventu. 3. privatio vocis activae et passivae per biennium. Tres vero hujusmodi pœnae incurruntur 1. post sententiam judicis: 2. si res vel pecuniae retentae sint a religioso.

Votum castitatis obligat ad nos abstinendos ab omni voluptate carnali actuque venereo tam interno quam externo, etiam alias licito seu conjugali. Non datur in hisce venialitas, nisi ex defectu plenae advertentiae. Non requitur ut religiosus confitens de peccato carnali dicat se habere votum ex religione, sed tantum habere votum castitatis simplex vel solemne.

Papa potest dispensare in voto solemni ita ut possit contrahi matrimonium. Requiritur vero alia causa publicae, et maximae utilitatis; quae causa si mentita sit, valida quidem erit dispensatio, et validum matrimonium, sed ille qui hanc dispensationem obtinuit reddere debet conjugi, non petere queit. Haec dispensatio fieri non potest ad tempus: Per ipsam habetur quoque facultas non amplius recitandi divinum officium.

Essentia, et obligatio voti religiosae obedientiae sistit in renunciatione propriae voluntatis in omnibus his quae subjecta superiori religionis ipsius esse debent; ex qua violatione sequitur malitia peccati mortalis. Quo voto obligatur religiosus 1. erga suum superiorem mediatum, et immediatum. 2. Pontificem. 3. Episcopum, si ordo, cui religiosus pertinet, sit ipsi subjectus. 4. Abbatissas si obedientia stricta sit monialis.

A superiore precipi ea tantum possunt, quae non sunt extra regulam ordinis, vel in ea sive expresse sive tacite, sive im-

plicite continentur. Praecipi tamen potest observantia actuum internorum religionis; non autem curam et adsistentiam iis, qui morbo infecti sunt, vel peste, dummodo aegroti adsistendi non sint religiosi ejusdem ordinis. Excipe vero, si ordo religionis sit ad hoc officium institutus.

Observantia earum rerum, quae in regula continentur, an sub mortali veniat an veniali peccato, desumendum est ex verbis constitutionis et consetudine.

Religiosus non obligatur ad asperitatem primevae regulae si observantia hujusmodi non includatur in ipsis votis, vel haec vota mutata sint quoad tenorem relate ad primevam istitutionem.

Si regula ad primevum rigorem redacta sit, qui professi sunt ante reformationem, non tenentur ad observantiam, si mitigatio rigoris primevi facta fuit auctoritate pontificis, vel generalis cum capitulo.

Monaci, et alii regulares subjecti sunt episcopo, qui potest eos visitare, corrigere, et punire. 2. recipi non debent pro praetio. 3. nequeunt retinere pecuniam nisi ex licentia.

Concilia provincialia triennio celebrentur, quibus intervenire debent abbates et priores: tractandum erit de reformatione, et quidquid aliud ordini convenies.

Circa receptionem monialium statum est ut non debeant plures recipi, quam patiantur redditus monasterii; excipe vero si dotem sufficientem afferant: Velum benedicendum multiplex est: consecratio alia abatissarum est, alia monialium.

Clausura pertinet ad omnes ordines monialium: ad eam vero tenentur moniales professae, quae dispensantur tantum causa gravis morbi ab episcopo, si ordo sit ei subjectus, a pontifice vero si a santa Sede dependat idem ordo. Violantibus monialibus clausuras imposita est excommunicatio major reservata, et privatio dignitatum sine ulla spe in futurum. Hae penae extenduntur ad eas etiam moniales, quae finita causa commorantur extra claustra. 2. ad eos qui concedunt sine justa causa licentiam egrediendi. 3. ad eos qui recipiunt in suis domibus monialem, quae debeat regrederi in religionem.

Omnibus cujuscumque sexus prohibitum est ingredi monasteria exceptis 1. pueris et puellis. 2. famulae seculares.

Nomine claustri intelligitur omnis locus sive area, sive hortus, sive conclave, in quem monialibus licet ingredi.

Licentia Episcopi ad ingressum in monasteria debet provenire ex magna causa: facilius tamen datur matribus, et sororibus. Haec licentia debet scripta haberi, ni urgeat maxima necessitas.

Non obtenta licentia ingrediens incurrit ipso facto in excommunicationem, quae extenditur etiam ad superiores illos, qui sine causa ingrediantur.
Ingressus vero fœminarum in monasteriis virorum non aequali rigore prohibitus est; possunt enim in illis ingredi 1. imperatrices. reginae, earumque filiae, et aliae fœminae ipsas comitantes, 2. fundatrices in illis Ordinibus in quibus consuetudo est posse ingredi. Hisce exceptis, si aliae faeminae virorum monasteria ingrediantur, excommunicationis poenae non subjiciuntur.
Domus religiosa est quae ad cultum divinum, et pietatis opera exercenda est dicata.
Triplex est; 1. domus sacra: 2. religiosa. 3. pia. Omnes domus subjectae sunt episcopo, ni consuetudo, vel privilegium obstet. Episcopis etiam subjecta sunt hospitalia, et alia hujusmodi loca, modo haec erecta non sint auctoritate principis saecularis. Ea omnia loca, quae subjiciuntur episcopo, possunt ab eo visitari et exigi ab eodem potest ratio administrationis.
Loca pia, et religiosa, quae auctoritate ecclesiastica costituta sunt non possunt profanis usibus deputari absque eadem auctoritate. Si vero costituta sint a viro saeculari, poterunt converti in profanos usus, modo fundator vivat, nec se obligaverit ad eorum fundationem. Si vero mortuus sit, haeres non poterit.
Ecclesiae regulares mutari nequeunt in saeculares, nec monasteria in collegia clericorum nisi in casu, quo reperiri non possint religiosi, quibus illa reformetur, et restauraretur disciplina collapsa.
Ad monasteria aedificanda requiritur licentia Pontificis, et ordinarii. Ordinarius vero investigare debet. 1. si adsit consensus religiosorum in vicino conventu existentium. 2. si sit distantia. 3. si parrochus assentiat, vel capitulus. 4. si consentiant incolae, et habitatores ejusdem loci.
Circa costitutionem novorum ordinum statutum est, 1. ut requiratur expressa pontificis approbatio. 2. ut non possit fundari ordo in quo nulla profitetur obedientia, non renunciatur propriis, non approbata regula habeatur. 3. ut ordo jam damnatus non sit, uti ille fraticellorum.
Capella in qua celebranda sit missa, sine episcopi licentia erigi nequit.
Jus patronatus consistit in jure praesentandi aliquem ad ecclesiam vel ecclesiasticum beneficium.
Jus patronatus neque est mere temporale, nec mere spirituale, sed

spirituali adnexum. Aliud est ecclesiasticum, aliud laicale, aliud mixtum.

In dubio an sit ecclesiasticum, vel laicale attendi solet, an deferatur jure successionis haereditariae.

Dividitur quoque jus patronatus in haereditarium et familiare; in personele, et reale: in passivo, et activo.

Si jurispatronatum fundatum sit ex redditibus ecclesiae erit ecclesiasticum; si fundatum sit a clerico qui poterat libere disponere de bonis beneficii, quibus fundavit juspatronatum, erit laicum; contra si secus.

Si juspatronatus ecclesiasticum transfertur in laicos, cessat esse ecclesiasticum, etiam quando traslatio facta sit titulo lucrativo.

Si princeps vel magistratus saecularis ad ecclesiam, vel beneficium nominat clericos, qui ab episcopo vel ecclesia presentandi deinde sint, hoc jus patronatus erit laicale.

Si laicus presentet etsi cum consilio viri ecclesiastici, jus patronatus erit laicum; secus si contra.

Si juspatronatum laicis, et ecclesiasticis simul et eadem electione competat, erit mixtum; si alternis vicibus, erit ecclesiasticum cum praesentat clericus, erit laicum cum praesentat laicus.

Primis quinque saeculis nullum vestigium habemus de hoc jure. Origo itaque pertinet ad concilium arausicanum, quo per privilegium data fuit facultas laicis uti posse jure patronatus.

Causae, quibus acquiritur, sunt *dos*, *aedificatio*, *fundus*. Qui aliquem ex hisce titulis habet, debet etiam habere 1. animum acquirendi patronatum. 2: debet redditus dare, qui sint sufficientes ad necessaria ecclesiae, et sustentationem ministrorum. 3. debet requirere auctoritatem ordinarii, quo nomine venit episcopus vel alius praelatus jurisdictionem habentes in hujusmodi. Sede episcopali vacante poterit vicarius capitularis suam interponere auctoritatem. Si quis istorum absque justa causa deneget licentiam, adeundus erit Metropolitanus, vel alius superior.

Juspatronatus acquiritur a fidelibus costruentibus, fundantibus, dotantibus ecclesias cum consensu ordinarii, etiamsi tale jus patroni sibi expresse non reservent, modo illud actu contrario non remittant.

Fundatione, costrutione, dotatione acquiritur juspatronatus ecclesiarum earum, quae non sunt collegiatae, seu conventuales; minime in collegiatis.

Si patronus laicus sibi jus reservaverit praestandi assensum circa eligendum clericum, requiri debet talis assensus post factam electionem, et ante solemnem ipsius publicationem.

Quamvis certum sit non sufficere ad acquirendum juspatronatus sola assignatio fundi ad costruendam ecclesiam, sed requiratur ipsa costructio, nec sufficere costructionem, nisi dotetur, tamen costructio, fundatio, dotatio fieri potest per plures, qui ideo possunt juspatronatus habere.

Si dotatio insufficiens sit ad alendos ministros, et alia onera ecclesiae sustinenda, non acquiritur juspatronatus. Acquiritur vero si dotatio fiat etiam post consecrationem ecclesiae, modo sit omnino indotata: secus vero si sit insufficienter dotata.

Si diruta sit omnino ecclesia, vel nulla supersit vetus dos, juspatronatus acquiritur a novo costruente, vel dotante.

Costructa ecclesia in fundo alieno, inscio vel invito domino, juspatronatus pertinet ad costruentem; dominus vero fundi poterit eam destruere ante consecrationem; quod si et dominus fundi velit acquirere juspatronatus, sufficit ut ratam habeat costructionem.

Infideles et judaei incapaces sunt jurispatronatus. Haeretici vero etsi de jure sint incapaces, possunt tamen ex licentia summi pontificis.

Excommunicatus non privatur acquisito jure patronatus, et valida est eius praesentatio, quam tamen episcopus non tenetur admittere.

Laici quamvis illegittimi, et spurii sunt capaces jurispatronatus.

Pupilli, minores, et furiosi gaudent jure patronatus, sed in facto exercent hoc jus tutores, et curatores. Si intra pubertatis annos sint costituti valida erit eorum presentatio, si dignum clericum respiciant. Pubertate adepta omnino praesentare posunt, et per se debent absque tutore.

Faemine quoque capaces sunt jurispatronatus. Si nubant, et jus sit omnino personale, vel adhaereat bonis extradotalibus, ipsis remanet: si vero adhereat bonis dotalibus jus transit ad maritum.

Praesentatio clerici fieri potest a mero possessore jurispatronatus, si sit in bona fide, etsi lis pendeat de proprietate ejusdem juris.

Juspatronatus, et ejus exercitium competit etiam conductori villae aut castri, cui tale annexum est sive locatio conductio ad longum tempus contracta sit, sive ad breve.

Juspatronatus annexum castro aut villae non transit a debitore in creditorem, si debitor castrum aut villam oppignoraverit creditori.

Jura patronorum, et effectus patronatus habentur in his versiculis.

Patrono debetur honos onus, utilitasque
Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus.

Honoris gratia debetur patrono dignior sedes in ecclesia, locus in processionibus, pax, purificatio, oblatio palmarum, candelarum etc. Sedes vero sit extra chorum, et sine baldachino. Thurificatio danda juxta consuetudinem. Pax post eos qui in choro sunt. Etiam extra Ecclesiam aliquis honor debetur patrono.

Onus patroni sistit in cura, defensione, et provisione ecclesiae. Nulla tamen ei pertinet administratio bonorum, nec jurisdictio. Possunt vero petere rationem administrationis. Patrono ad inopiam vergente debet Ecclesia praebere alimenta juxta ipsius conditionem, et facultates Ecclesiae. Ad hoc autem reritur ut 1. vere costet de patronatu. 2. habeat ecclesia unde convenienter provideat sustentationi ministrorum, et cultui divino. 3. egestas verera sit; 4. nec aliorum parentum auxilio succurri possit.

Pensio statui potest a patrono super bona ecclesiae ante fundationem, alias post.

Praesentatio est exhibitio personae idoneae ad Ecclesiam vel beneficium vacans, episcopo, vel alteri, ad quam institutio pertinet, legitime facta. Haec si intra praescriptum tempus sit acceptata tribuit clerico jus ad rem, et actionem pro istitutione.

Praesentia praesentantis et praesentati non requiritur, ideoque suffivit procurator, vel litterae.

Collatio beneficii patronali ab episcopo, contradicente patrono intra tempus quo sibi concessum est praesentare, irrita est. Non sic si a pontifice facta sit.

Si plures sint patroni in solidum debent omnes vocari ad praesentationem clerici; si singillatim hoc jus habeant, possunt singuli praesentare.

Juspatronatus tranferri potest *successione*, idest in omnes haeredes cujusque sexus. Si vero patronatus sistat in re, trasfertur in eo cui res devolvitur sive haeres sit sive non. Dividi tamen non potest hoc jus, etsi usus possit esse ad invicem. Si haeredes patroni mortui sunt, haeredes haeredum succedentes non habent idem jus in capita, sed in stirpes. Si plures patroni unam vocem habeant sufficit ut consentiat major pars.

Si fundator voluit ut juspatronatus pertineat ad illos *tantum* qui de ejus familia sunt, hac extincta; extinguitur jus, et ecclesia fit libera. Si vero generice locutus sit fundator, nec usus sit aliqua particula *taxativa*, etsi familia extinguatur, trasfertur jus ad extraneos.

Ad usufructuarium universale pertinet juspatronatus, saltem reale, etsi finito usufructu redeat ad dominum proprietatis. Idem di-

Digitized by Google

cendum de fidecommissario, si juspatronatus est reale, secus si sit personale.

In divisione haereditatis juspatronatus adjudicari nequit uni ex cohaeredibus.

Si ex tribus, qui jus praesentandi habent, unus succedat alteri, iste habebit votum proprium, et illud quod habuit ex successione.

Monasterium, seu religio succedens in haereditate, quae habeat patronatum, acquirit hoc jus.

Si ob crimen addicentur fisco bona patroni, juspatronatus pertinebit ad fiscum si sit reale, secus si sit personale.

Juspatronatus trasfertur *donatione*. Ecclesia vero vel monasterium hoc jus donare, nec legato cedere potest sine solemnitatibus requisitis ad alienationem. Laicus autem donare poterit jus illud, si sit *reale*, et annexum universitati; quo in casu nulla requiritur licentia episcopi. Si e contra sit *personale*, valida erit donatio sine licentia episcopi, si facta sit clerico nomine ecclesiae, vel dignitatis quam obtinet; erit invalida, si facta sit laico, vel etiam clerico tamquam privato.

Patronus potest cedere vel donare juspatronatus ipsi ecclesiae in qua est beneficium.

Si juspatronatus proveniat *ex privilegio*, an patronus donare illud poterit, nec ne, cognoscendum ex terminis privilegii. Si jus ipsum proveniat *ex fundatione* patronus illud poterit donare cuilibet, modo bona, quibus fundavit patronatum, possint disponi pleno suo jure; secus dicendum, si extra filiorum facultatem disponere nequibat. Denique si *ex dotatione* proveniat patronatus donari a patrono potest cuilibet.

Episcopus non potest extinctum juspatronatus de novo donare alicui laico.

Juspatronatus potest trasferri *venditione* rei, cui jus accessorie annexum est: directe itaque vendi juspatronatus nequit; nec potest vendi pluris res ipsa quam valeat in se absque tali jure. Si venditio rei, in qua est patronatus, fiat hac forma » vendo tibi universitatem cum jure patronatus » valida erit; minime vero, si formula haec sit » vendo tibi universitatem, et jus patronatus » Tamen valida esse poterit, si pretium non excedat valorem rei, nec venditor intenderit vendere juspatronatum.

Juspatronatus trasferri potest *permutatione*; et quidem realis cum re, modo aequalitas servetur; personalis vero cum aliquo jure spirituali, non vero temporali.

Digitized by Google

Permutari juspatronatus non potest a laico cum immunitate ab obligatione solvendi decimas; vel cum jure eas percipiendi, quod alicui monasterio ex fuudis alienis competit.

Juspatronatus trasferri potest *infeudatione*, *emphiteuticatione* predii; sed intellige accessorie, non principaliter, nisi fiat a papa.

Transferri etiam potest accessorie *locatione*, *privilegio apostolico*, *consuetudine* vel potius *praescriptione*.

Praesentatus a patrono debet esse institutionis capax, ideoque legitimus, non neophitus, non servus excommunicatus, non irregularis, neque laicus ni habeat tonsuram, nec sufficit ut eam deinde accipiat. Debet esse dignus sive spectata natura beneficii, sive mente fundatoris. Debet esse persona distincta a patrono, qui semetipsum praesentare nequit nisi episcopus habens et ipse idem jus proprio motu conferat; vel si patronus supplicet episcopo, vel alteri collatori, qui deferat jus supplicanti; vel denique alii compatroni compatronum praesentent. Pater vero praesentare potest filium suum.

Si fundator voluerit ut certa qualitas in presentato requiratur, quae qualitas non observetur a patrono, praesentatio erit valida si respiciat favorem personarum praesentandarum, nec contradicant hi qui reclamare possunt: si vero respiciat favorem ecclesiae nulla erit praesentatio etsi taceant illi qui reclamare possunt.

Proximior consanguineus fundatori praesentandus est; si expressa de hac re sit fundatoris voluntas; secus praesentari potest etiam remotior modo ex hac praesentatione major utilitas ecclesiae proveniat. Propinquitas computanda erit civiliter non canonice.

In aequalitate propinquorum ex gradibus masculino et faemino, praesentandus erit qui ex linea masculina descendit.

Si propinquior illegitimus sit, sed habilitatus dispensatione apostolica valet praesentatio.

Idem dicendum si legitimatio veniat ex rescripto principis saecularis, modo praesentatus dispensatus sit ad beneficia.

Quilibet patronus graviter obligatur ad dignam praesentandam personam; quod si non faciat tenebitur intra tempus utile alium praesentare, modo sit laicus: si enim clericus sit qui inidoneum scienter praesentet privatur pro ea vice jure praesentandi, quo casu is cui pertinet istitutio libere beneficium confert. Quod si ignoranter clericus praesentaverit inidoneum poterit intra semestre alium praesentare.

Dignior prae digno praesentari a quolibet patrono debet. Patronus

Digitized by Google

tamen ecclesiasticus strictius tenetur ad dignam personam praesentandam eo magis si beneficium habeat curam animarum.

Praesentatio duorum, simul tam laico quam ecclesiastico patrono permissa est. Successiva vero permittitur tantum patrono laico, et haeredibus ejus.

Patronus laicus potest pluries variare in praesentatione, modo juramento de non variando suam praesentationem non firmaverit: excipe vero si talis praesentatio fuerit de inidoneo, vel minus digno.

Pariter patronus laicus non potest variare praesentando eum qui a compatrono praesentatus, est modo unus collitigantium jam sit institutus. Si autem nemo praesentatorum istitutus sit, dicendum est, quod patronus laicus lite pendente ita variare non potest, ut duobus collitigantium valeat superaddere tertium; potest vero ita, ut praesentet eum, qui a compatrono praesentatus est, et cum quo collitigatur.

Si plures presentati sunt ab uno patrono dignior instituendus est ab ordinario. Si vero plures a pluribus ille istituendus est qui a majori numero patronorum praesentatus est. Si tandem praesentati gaudeant equali voto patronorum, dignior praeferendus erit; quae dignitas si equalis sit in praesentatis, falsum est quod episcopus possit tertium instituere non praesentatum a patronis.

Si episcopus injuriose, et absque rationabili causa praesentatum rejecerit, et alium instituerit, praesentatus conquerens de jure suo non aufert beneficium instituto, utpote possidente, sed tantum jus habet, ut ab episcopo provideatur, ad quod episcopus tenetur.

Laicus tempus habet ad praestandum quatuor tantum menses. Ecclesiasticus vero sex menses. Hoc tempore ab utroque non observato, jus perimitur pro ea vice ad praesentandum, et episcopo tribuitur. Non perimitur vero tale jus 1. si quilibet patronus vel laicus vel ecclesiasticus ignoraverit vacantiam beneficii: 2. si reipublicae vel alia justa causa erat absens, excommunicatus, incarceratus, vel alio legittimo juris aut facti impedimento detentus erat: 3. si post quadrimestre laicus non praesentavit, modo habeat compatronum ecclesiasticum: 4. si episcopus ex gratia admittat praesentationem patroni etiam post lapsum tempus.

Lite pendente inter patronos, tempus quadrimestrale, vel semestrale currit, si aliquis ex litigantibus sit in possessione jurispatronatus; imo etsi in tali possessione non sit. Excipe 1. si patroni

Digitized by Google

intra tempus episcopo causam definiendam detulerint, et moram episcopus habuerit: 2. si lis vertatur inter patronum et episcopum: 3. si lis inter praesentatos vertat: 4. si lis non sit de jure praesentandi, sed eligendi, conferendi ff.

Tempus a jure statutum ad praesentandum non potest ab episcopo prorogari patronis litigantibus.

Fundator potest prorogare hoc tempus, modo id faciat tempore fundationis; secus postea.

Patrono conceditur novum quadrimestre, vel semestre si praesentatio in tempore facta effectum sortita non sit vel ex actu ordinarii, vel quod praesentatus eam non acceptavit, vel acceptate renunciaverit, vel ante institutionem sit mortuus, vel ipsa praesentatio propter occultum defectum fuerit nulla etc. etc.

Patronus volens admittere praesentatum ad beneficium vacans debet suum jus probare: diverso tamen modo hoc probant privati a magnatibus.

Privati probant suum jus: 1. per istrumentum authenticum: 2. ex multiplicatis nec interruptis praesentationibus: 3. praescripsione quadragenaria cum titulo colorato, quo deficiente, tempore immemorabili: 4. per famam, si cum ea concurrant alia adminicula, praesertim longissima possessio, etiam unico actu inducta: 5. si habeant duas vel plures ordinarii litteras, ex quibus costet, jus praesentandi: 6. si hoc jus costet ex libris visitationis: 7. vel ex sententia, quae in rem judicatam transierit: 8. vel ex antiquis monumentis affixis praesertim in ecclesia, vel cappellae: 9. vel ex honoratiore loco solito patronis concedi, vel pensione percepta.

Magnates vero, et universitates debent probare juspatronatum 1. per praesentationes continuatas ab immemoriali tempore, ita ut non sufficiat primam et postremam probare, sed etias intermedias: 2. ut eae quae a 50. annis usque ad litis motae diem factae sunt, effectum institutionis sortitae sint: 3. ut dicta praesentationum continuatio, et earum effectuatio a 50. annis probetur scripturis authenticis, quae si deperditae sint, testes earum loco admittendi sunt.

Haec autem strictissima probatio non requiritur 1. si semel juxta Trid. facta sit, et institutionem obtinuerit: 2. si juspatronatum probandum sit non adversus ecclesiam, sed adversus alium, qui contendat, sibi juspatronatus competere: 3. si persona juspatronatum denegans sit usurpationi impotens: 4. vel talis ut collator beneficii possit illi facile resistere.

Judex competens in causis jurispatronatus est judex ecclesiasticus. Sac-

cularis vero judex de iis tantum cognoscere potest, quae in quaestionem mere facti consistunt.

S. Pontifex de plenitudine potestatis potest beneficia conferre citra patroni consensum, et derogare juri patronatus sive ecclesiastico sive laico. Ut vero licita sit haec derogatio requiritur 1. ut sit causa rationabilis ecclesiae utilitatem respiciens. Patronatui vero ecclesiastico facilius derogatur, quam laico si causa fundationis, dotationis, costructionis acquisitus sit. 2. Non sufficit clausola generalis, qua pontifex sibi reservat omnia beneficia, sed requiritur derogatio expressa, et in specie, modo tamen juspatronatus non sit secundum suam originem ecclesiasticum, sed laico competat ex speciali privilegio, aut consuetudine legittime praescripta; nam huic censetur derogatum a papa per clausolam etiam generalem. 3. Clausola speciali opus est, ut derogetur patronatui mixto, seu qui simul ad clericum ratione ecclesiae, et ad laicum pertinet saltem si par sit utrinque numerus patronorum. 4. Imo si patronatus spectet ad aliquem principem, ducem, comitem etc. quo in casu requiritur ut pontifex mentionem faciat ipsius principis, ducis ff.

Legatus a latere sedis apostolicae potest derogare patronatui ecclesiastico et reservare collationi suae beneficium patronatum, et hoc conferre alicui irrequisito, et invito patrono. Secus in patronatu saeculari, et mixto, vel tale juspatronatus proveniat ex privilegio, vel consuetudine legittime praescripta; alias dicendum si competat laico titulo fundationis costructionis, dotationis.

Episcopus non potest derogare juspatronatui eo magis laico; nec ecclesiam vel beneficium quod est juris patronatus concedere vel unire alteri ecclesiae vel beneficio sine consensu patroni vel ecclesiastici, vel laici. Non potest qualitates, seu conditiones beneficii in prima fundatione appositas etiam cum consensu patroni successoris mutare: intellige in totum, et in perpetuum, ac sine rationabili causa.

Juspatronatus amitti potest ex delicto, et sine delicto. Sine delicto 1. *voluntaria cessione* facta episcopo, vel ecclesiae ut haec libera evadat: 2. *unione* ecclesiae vel beneficii cum alia ecclesia, beneficio etc. si haec facta sit permittente, aut patiente patrono sine reservatione juris patronatus, 3. *non usu:* 4. *destructione totali ecclesiae*, *aut interitu dotis*: 5. *extinta omni familia fundatoris:* 6. *suppressione vel ablatione papae*.

Ex delicto amittitur patronatus 1. *caede vel mutilatione* rectoris, aut alterius clerici ecclesiae patronatae per se vel alium a patrono

facta: 2. venditione, aut traslatione simoniaca; 3. perceptione illicita fructuum, aut bonorum usurpatione: 4. Haeresi schismate, apostasia, et protectione haereticorum: 5. criminae laesae majestatis, vel alio enormi inducente confiscationem bonorum, quibus juspatronatus accessorie annexum est.

Census est annuum canon, seu pensio quam emphyteuta praestat in recognitionem directi dominii.

Ex praestatione annua census facta episcopo ab aliqua ecclesia non sufficienter colligitur, nec probatur ejusdem subjectio.

Probatio census optima est si ejus praestatio facta sit per tempus immemoriale. Si hoc tempus non poterit attigari videndum an praestatio facta sit *aliqua certa causa* (quo casu si probetur *per veras probationes*, actor petere poterit solutionem census, si vero *praesuntive* tantum probetur, actor petere solutionem ipsam poterit) an facta sit nulla existente certa causa, et hoc in casu non acquiritur juris possessio exigendi census.

Possessor in sua possessione vel quasi sustineri debet, si probaverit longo tempore annuum censum sibi solutum fuisse, etsi titulum ignoret.

Censum imponere ecclesiis, vel beneficiis votest 1. Pontifex. 2. Episcopus tam in limine fundationis, vel dotationis; tam sibi, quam patrono; tam in dedicatione, quam in consecratione ecclesiae. 3. Praelatus qui pleno jure sibi subjectam habeat ecclesiam. 4. Patroni in ipsa fundatione cum consensu episcopi.

Postquam ecclesia vel beneficium jam. costitutum est novus census imponi nequit; quod si fiat, nulla est efficacia, etsi juramentum intercesserit. Episcopus tamen potest novum censum imponere, vel extantem augere, si adsit justa causa, et accedat consensus capituli, et si aliis quam ipsi obventura sit nova pensio vel ejus auctio. Causa justa tunc erit: 1. si unus ex duobus collitigantibus cedere velit, reservata sibi aliqua pensione, 2. si beneficiatus decrepitus aut aegrotus renunciet beneficio, pensione tamen alimentorum loco sibi data: 3. pro erigendo et conservando seminario.

SS. Canones nonnullas requirunt solemnitates ut rector, vel beneficiatus imponere possit censum perpetuum vel diu duraturum.

Si augeatur facultas ecclesiae non potest ex hoc novus census imponi.

Moneta ad pensionem solvenda quaevis esse poterit, nisi specialiter conventum sit. Si valor monetae immutatus fuerit, solvendum est quantum debetur tempore mutatae monetae, seu quantum valet

moneta tempore solutionis faciendae; modo debitor non sit in culpa vel in mora.

Mutatio monetae a principe tantum fieri potest.

Qui voverit se annuatim daturum ecclesiae vel pauperibus certam mensuram ex. gr. tritici, non determinando de qua mensura id intellexerit, satisfacit solvendo minimam mensuram.

Si valor monetae statutae pro legato mutatus sit dum moritur testator, praestandus ille est, qui erat tempore conditi testamenti, dummodo contrarium expresse non constet.

Si pecunia depositata augeatur, vel minuatur, ad depositantes pertinet tum auctio quam diminutio. Secus vero si depositum non sit ad custodiam rei, sed ad istar mutui, in quo depositarius dominus est.

Qualitas materialis pecuniae in mutuo acceptae servanda est, modo de ea conventum sit.

Nomine exactionum veniunt contributiones, et collectae pecuniariae. Aliae sunt *ordinariae*, aliae *extraordinariae*, seu quae ex causa aliqua penduntur. Ad ordinarias pertinent. 1. Portio canonica. 2. Quarta decimarum. 3. Cathedraticum. 4. Subsidium charitativum. 5. Procurationes.

Cathedraticum, seu synodaticum est id quod episcopo solvitur in signum subjectionis, et honoris cathedrae cui praeest. Manente hac subjectione omnino tolli nequit cathedraticum praescriptione, potest autem per ipsam praescriptionem cathedraticum imminui.

Subsidium charitativum dicitur 1. quia ex charitate peti debet, quam per vim extorqueri: 2. quia extante justa causa id a subditis ex charitate erga suos pastores libenter conferri decet.

Ad hoc subsidium subditi compelli nequeunt nisi ex magna causa. Potest tale auxilium 1. exigere pontifex ab omnibus clericis, et ecclesiis: 2. episcopus, et caeteri omnes praelati confirmati ordinis episcopalis, etsi non sit consecrati. Non possunt autem vicarii generales nisi ex mandato speciali episcopi: nec possunt praelati episcopo inferiores, nisi jus hoc privilegio vel consuetudine obtinuerint.

Causa sufficiens ad hoc subsidium exigendum est in genere ea, quam quamquisque bonus et rerum intelligens probare existimat. In particulari vero praecipuae sunt 1. magni sumptus facti in electione episcopi, vel confirmatione, vel consecratione; 2. fabrica cathedralis reparanda, vel alia necessitas per quam debita contracta sint, quibus solvendis non sufficiant ecclesiae facultates. 3. expensae factae pro recuperandis ecclesiae bonis; 4. si episcopus visitare velit limina SS. Ap. Petri et Pauli; 5. si pro-

Digitized by Google

ficisci debeat ad concilium, curiam imperatoris ff. 6. si imperator, rex adventans sit recipiendus. Quaelibet ex his causis, sufficiens est ut episcopus etiam saepius possit exigere subsidium charitativum ab omnibus suae dioecesis ecclesiis, vel clericis beneficiatis non exemptis, nec pauperibus. Liberi vero sunt ab hac praestatione 1. laici: 2. Monasteria omnia: 3. ecclesiae exemptae, praesertim plena libertate gaudentes: 4. Clerici non habentes beneficium ecclesiasticum: 5. et illi qui pauperes omnino sunt etsi beneficium habeant.

Quantitas subsidii addiscenda est ex consuetudine, vel circumstantiis.

Tale subsidium etsi pro una vice possit ab episcopo remitti, non tamen perpetuo. Adversus illud dari nequit praescriptio ordinaria, praevalere tamen potest extraordinaria.

Controversiarum motarum super subsidio charitativo judex potest esse ecclesiasticus tantummodo; ne autem videatur, episcopum judicare in causa propria, relinquet controversiam arbitris.

Exactiones imponendae a magistratibus saecularibus sunt: 1. *capitatio*; 2. *talliae collectae, praestantiae*: 3. *census, et tributum*: 4. *vectigalia*: 5. *guidagia, et pedagia*: 6. *gabellae*. Quae omnes exactiones, si justa ex causa imponantur, et publica auctoritate, juste omnino dicendae sunt. Potest autem eas imponere pontifex, imperator in regnis, et provinciis sibi subjectis; respublicae liberae non recognoscentes superiorem in temporalibus.

Potestatem hanc potest princeps comunicare principibus, statibus, et civitatibus inferioribus, et de facto pluribus est communicata. Praescriptione acquiri etiam potest haec potestas imponendi subditis nova tributa, et exactiones, et antiquitus impositas augendi. Justa autem causa ad hujusmodi impositiones est necessitas, aut utilitas evidens reipublicae: ad quod advertendum 1. ut alias obtineri nequat, effectus, quam per impositionem ipsam: 2. ut major non sit imponenda exactio quam necessaria sit ad finem obtinendum: 3. cessante causa, debet cessare impositio exactionis. 4. ut ad alium finem non sit eroganda.

Formae servandae in impositionibus sunt 1. subditi ultra vires suas non graventur: 2. servetur aequalitas: 3. ei provinciae facienda est impositio, cujus utilitas vel necessitas urget.

Qui sine legittima auctoritate imponunt nova vectigalia de jure civili puniuntur exilio perpetuo; de jure canonico ii incurrunt excommunicationem majorem, a qua absolvi non debent nisi satisfecerint.

Non requiritur ad impositionem hanc consensus subditorum, modo aliter non sit conventum concordatis, et pactionibus.
Ad hasce praestandas exactiones *per se* non tenentur nisi subditi, aliquando tamen etiam extranei, non autem clerici, aliaeque personae ecclesiasticae, nec denique pauperes.
Leges tributorum, vectigalium, et exactionum obligant in coscientia, si constat juste impositas fuisse; contra vero si injuste: in dubio autem praesumptio stat pro magistratu; seu pro justitia.
Procuratio, est sustentatio, sive subsidia et expensae, quae episcopo aliisque praelatis obeuntibus visitationem, ab iis, quos visitant, exhibentur pro congrua sustentatione.
Procurationes ratione visitationis debentur visitanti.
Procurationes hujusmodi debent esse frugales et moderatae secundum ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum, a quibus petuntur, facultates. Hinc episcopis et aliis visitatoribus praecipitur, ut cum modico non inutili et sumptuoso apparatu et comitatu visitationem obeant; et si quis eorum eodem anno pluries ecclesiam visitet, plures procurationes quam binas non exigat.
Nulla episcopo procuratio debetur, si ecclesias et clericos civitatis visitet, in qua sita est ipsius ecclesia cathedralis.
Procurationes solvendae sunt ab omnibus clericis, ecclesiis. ac monasteriis, speciali privilegio non exemptis, etiamsi ecclesiae tales quocumque titulo ad exemptos pervenissent.
Episcopus et alii visitatores, etsi, quando actu visitant, procurationem ob id debitam remittere possunt in speciali, non tamen remittere eas possunt generaliter, et ita, ut hujusmodi remissione subditus omnino eximatur ab onere procurationes solvendi etiam in futurum.
Etsi verum sit procurationis exhibendae obligationi a visitatis praescribi non valere; non tamen omnis omnino vis circa procurationes praescriptioni neganda est.
Nec improbabiliter dici adhuc potest praescriptione immemoriali procurationibus, ratione visitationis debitis derogari posse.
Parochis quoque et aliis curatis per redditus, iis ad congruam sustentationem assignatos, subveniendum est; qui si non sufficiant, per collectas parochianis impositas, parochi congrua sustentatio integrari debet.
Nomine *sustentationis congruae* intelligitur, ut habeat beneficiatus ea, quae ad ipsum, ejusque familiam honeste alendam sunt neces-

saria. Adeoque ad honestam et necessariam sustentationem pertinent.

1.° *Alimenta* tum pro se, tum pro familia. *Alimentorum* nomine intelligitur cibus, potus, vestitus, habitatio, pharmaca, libri necessarii. *Familiae* nomine veniunt famuli, et ancillae; parentes, fratres et sorores egentes pro statu: item filii ex legitimo matrimonio ante beneficium obtentum suscepti: imo et spurii.

2.° Ea, quae necessaria sunt ad moderata convivia, pro beneficiarii qualitate, consanguineis, et amicis exhibenda, et ad hospites excipiendos.

3.° Quae requiruntur ad praestandas donationes etiam mere liberales.

4.° Quae requiruntur ad honestas animi et corporis relaxationes: In omnibus vero persona et officii qualitas, tum redditruum copia et qualitas attendenda.

Rectoribus ecclesiarum, seu parochis ex redditibus earum assignari debet congrua, et sufficiens portio pro sustentatione eorumdem, non obstante quacumque contraria consuetudine.

Praelati regulares, et monasteria etc. redditus ecclesiarum sibi sufficienti authoritate incorporatarum possunt percipere, ita tamen, ut portionem assignatam parochis, vicariis, aut capellanis propria authoritate mutare aut minuere nequeunt.

Si redditus annui, quos ex parochia sua rector percipit adeo sint exigui, ut ex iis ipse congruam sustentationem habere et debita onera supportare nequeat id, quod ejus congruae sustentationi et ecclesiae necessitati deest, supplendum ab episcopis est per unionem beneficiorum saecularium, cui si locus non sit, per assignationem primitiarum et decimarum. Si supplementum hoc a decimis haberi nequeat, deveniendum ad collectas, vel alia, si quae appareat, ratione eis de congrua sustentatione est providendum.

De congrua vicarii perpetui sustentatione providere debent, qui decimas et alios parochiae proventus percipiunt, puta patroni, monasteria, hospitalia, seminaria etc. quibus ea per unionem quoad temporalia incorporatae sunt.

In dubio, an assignata portio sit sufficiens, ad episcopum pertinet id determinare, nec ante quam defectus sit suppletus, sibi a monasterio praesentatum instituere, et praesentationi consentire nequit, imo portionem assignare negligentes, ad id per censuras ab episcopo compelli possunt.

Nomine sustentationis tantum olim assignandum erat vicario parochiali, ut quartam quartae h. e. decimam sextam fructuum par-

tem non excederet quae pensio cum admodum tenuis fuerit, hinc successu temporis introductum est, ut trebellianicae instar quarta, ista aliquando major vel minor portio penderetur, arbitrio ordinarii. Porro arbitrium hoc s. Pius V. restrinxit ita ut ordinariis in assignatione pensionis pro vicario non liceret aut centum scuta excedere, aut infra quinquaginta descendere.

Quod si ecclesiae unitae fructus 50. scuta secundum verum annuum valorem non excedunt, omnes relinquendi sunt vicario.

Quod si nec 100. scutata ob rerum pretium extraordinarie adauctum non sufficerent, tunc major potest vicario quantitas assignari.

Nomine proventuum ecclesiae, ex quibus congrua portio vicario perpetuo est assignanda veniunt etiam incerti redditus, quos vocant *pedem altaris*, item quae dantur stolae nomine, si reduci possint ad certam summam.

Portio semel constituta non mutatur pro varietate clericorum, etsi vicariam obtineat clericus nobilitate, vel gradu litterario praecellens, ei major portio non per hoc est assignanda.

Coram judice ecclesiastico, scilicet in specie episcopo, et capitulo sede episcopali vacante congruae portionis assignatio et redintegratio petenda est.

In congruae portionis causis procedendum est summarie, et appellatione remota.

Spectato jure comuni, decedente beneficiario, omnes fructus pendentes, ac nondum a solo separati, et redditus inexacti ad beneficii successorem pertinent.

Meliorationes factae in rebus ecclesiae a clerico beneficiario ad eum dum vivit pertinent. Post ejus autem mortem si eae sunt factae ex bonis patrimonialibus clerici, emolumentum hoc cedit haeredibus; si ex redditibus beneficialibus ejusdem, jure comuni quod clericis potestatem testandi adimit, meliorationes illae ad ecclesiam spectant, nisi vero consuetudo vel privilegium potestatem testandi clericis dederit. Si tandem ex bonis ipsius ecclesiae factae sunt cedunt ecclesiae.

In tribus maxime differt beneficiarius ab usufructuario.

1.° Merus usufructuarius reficere, et restaurare quidem potest, de novo tamen facere nihil potest: at vero beneficiarius potest de novo facere e. g. plantare vineam etc.

2.° Usufructuarius facit fructus perceptos ita suos, ut libere de ipsis tam inter vivos quam mortis causa disponere possit in quo-

cumque casu; sed beneficiarius non potest ita libere disponere de reditibus beneficialibus sustentationi suae superfluis:

3.° Usufructuarius tenetur satisdare, sive cautionem idoneam praestare; beneficiarius non item.

Ut divina officia in ecclesia celebrari possint, necesse est, ut non tantum costructa illa sit, sed etiam ut cum altaribus consecrata, vel saltem benedicta sit per ceremonias solemnes ecclesiae.

Triplex est significatio istius nominis *ecclesiae*, nam 1. si etymologiam ejusdem species, significat *convocationem populi*: 2. ex recepto usu eo nomine venire aliquando solet *coetus fidelium in Christum credentium*: 3. tandem hoc loco significat *aedem sacram* in qua fideles ad rem divinam audiendam et percipienda sacramenta congregantur.

Ecclesiae *consecratio*, vel *dedicatio* pro eodem sumuntur; hinc definiri *consecratio ecclesiae*, *vel altaris* potest quod sit *ecclesiae vel altaris dedicatio*, *facta a legittimo ministro*, *interveniente debita materia*, *et forma cum intentione canonica.*

Ritum consecrandi, et dedicandi templa ecclesia sumpsit ex veteri testamento. Estque ritus iste in ecclesia ab ipsis apostolorum temporibus observatus. Ceremonias instituit s. Sylvester papa, qui peculiariter sanxit ut templa legittime erecta, vel per signationem, et unctionem parietum cum oleo sacro ab episcopo consecrentur, vel saltem per ablutionem parietum exterius, et interius cum aqua benedicta, vel aspergillo ex hyssopo benedicantur juxta ceremonias. Ex quo sequitur, ad hoc ut divina valeant in ecclesia aliqua celebrari, non requiri necessario, ut illa sit consecrata, sed sufficere, si locus, in quo divina fiunt, sit Deo dicatus, in usus profanos, non convertendus. Extra locum autem, ab episcopo vel alio jurisdictionem quasi episcopalem habente deputatum, celebrari divina *regulariter* non possunt, licet pluribus exceptionibus locus sit.

Ecclesia consecranda est ab episcopo, et quidem illo, in cujus dioecesi erecta est, non ab alieno, nisi cum licentia proprii, excepto privilegii a pontifice indulti casu: neque ab episcopo committi simplici sacerdoti ea potest.

Aliud est de benedictione ecclesiae, inter quam et consecrationem ecclesiae hoc discrimen interjacet, quod consecratio adhaereat parietibus, benedictio pavimento.

In consecranda ecclesia haec observare episcopus debet 1. providere, ut consecrandae ecclesiae facta sit dotis competentis assignatio.

2.° Consecrari non debet ecclesia, quam quis non *pro devotione*, sed *pro quaestu cupiditatis* aedificat.

3°. Tam ipse episcopus consecrans, quam patroni ecclesiae consecrandae sint jejuni tempore consecrationis, et pridie quoque ejus diei jejunent.

4.° Facienda est consecratio ecclesiae per signationem, et unctionem parietum cum oleo sacro, et alias ceremonias praescriptas in pontificali romano; specialiter autem praescribitur ut fiat inter missarum solemnia.

5.° In ecclesiae consecratione poni in illa debent reliquiae.

6.° Quamvis consecrans ab his, qui indigentes non sunt, et procurationes canonicas licite possit accipere, exigere tamen prohibetur.

7.° Decet, ut consecratio ecclesiae fiat die dominico, aut festo, et ita etiam solet: de jure tamen fieri potest omni tempore, et qualibet die.

Consecratio ecclesiae regulariter quibusdam exceptis praecisis casibus iterari nequit.

Nova consecratione opus est, quando ecclesia prius diruta ex eadem prorsus materia de novo extruitur. Non autem de novo consecranda est ecclesia; quando ejus parietes successive reparantur, ita ut nunquam major pars destruatur. Idem dicendum quando ecclesia ampliatur, et minor pars de novo accedit majori veteri.

Inter ea quae in sacrificio missae adhibentur, et consecrari solent, sunt. 1. *Altaria*. Haec duplicis esse solent generis, videlicet *fixa et portatilia*. *Fixa* dicuntur, quod stabilia sint, et ut in ecclesia firmiter perseverent, consecrantur. *Portatilia* autem, quia consecrantur, ut ex uno loco in alium portari possint. Ad sacrificium celebrandum quodcumque sufficit.

Altaria debent esse formae hujusmodi, nempe

1.° Debent esse lapidea, saltem quoad partem superiorem, super quam reponitur sanctissimum corpus, et sanguis Christi.

2.° Ex consuetudine recepta praedictum altare lapideum non ex duplici lapide colligato sed ex uno integro constare debet.

3.° Figura ejusdem debet esse quadrangularis, tamquam accomodatior ad sacrificium peragendum.

4.° Debet esse tantae magnitudinis, ut super eo commode collocari possit calix cum patena, vel saltem eorum major pars absque periculo dilabendi.

5.° Sepulcrum quoque, et sigillum omnia altaria habere debent, i. e. cavitatem aliquam in qua sanctorum reliquiae recludantur.

Digitized by Google

Omnia altaria debent esse consecrata, ut sacrificium missae fieri super iisdem possit, idque verum est, sive fixa illa sint, sive portatilia. Estque mos iste consecrandi altaria antiquissimus et concorditer receptus tam in lege naturae, et scripta mosaica, quam in lege gratiae.

Ex quo inferunt DD. quod consecrans absque altari consecrato gravissimum peccatum committat, utpote committens contra praeceptum in re adeo gravi.

Altaria de jure communi consecranda sunt ab episcopo, non a simplici sacerdoti, cui ab alio, quam a summo pontifice privilegio apostolico committi nequit.

Altaris, ut ecclesiae, consecratio regulariter iterari nequit. Casus quibus repeti potest et debet sunt.

1.° Quando in ejus consecratione non est adhibita forma ab ecclesia praescripta.

2.° Quando ignoratur, vel dubitatur an aliquo conseeratum sit.

3.° Quando altare exsecratur.

Porro altare exsecratur 1. quando enormiter laesum aut frac tum est.

2.° Quando altaris sepulcrum, sive locus reliquiarum, et ut vocatur, lapidis sigillum tollitur, aperitur, frangitur, diminuitur.

3.° Quando altaris fixi mensa, seu lapis superior removetur a basi seu structura, cui ea est affixa, vel columnis quibus lapis illa seu mensa conjuncta, aut firmiter innixa est.

Ecclesia iterato consecranda uon est, quando altare fuit exsecratum; et vicissim altare non est de novo consecrandum, quaudo ecclesia fuit exsecrata.

Aliter vero dicendum de pollutione.

II. Praeter ecclesias et altaria consecrari debent etiam *calices*, et *patenae*.

Animadversis singulis prohibitionibus, quas sancta mater ecclesia non adeo primis ecclesiae saeculis pronunciavit relate ad materiam ex qua calices et patenae eonstare debent, videtur dicendum solummodo superesse ut in materia calicis et patenae apta, sit aurum vel argentum; stannum vero ecclesiis pauperibus tantum permittitur.

Calices et patenae debent cousecrari ab episcopo et chrismate uncto. Potest tamen consecratio haec ex privilegio, et communicatione privilegiorum vel ex immemoriali consuetudine inferioribus praelatis etiam competere.

Consecratio calicis et patenae amittitur per amissionem formae et usus, dummodo ea sit notabilis, nec calix sit e. g. ex natura sua tornatilis.

Digitized by Google

Conveniunt satis DD. quod consecratio calicis, et patenae non amittatur, quando diuturnitate temporis interior deauratio absumpta est; saltem, si non denuo deauretur. Probabilior sententia pariter est, quod nec consecratio amittatur, quando noviter deaurantur; sufficit si aqua benedicta abluantur.

III. Consecrari solent *campanae*, antequam in campanile transferantur. Nullum autem dubium est quin bene eisdem ab ecclesia adhibeatur consecratio haec, quae ritus in sacramento baptismi uti solitos, quodammodo imitatur, atque inde nomen trahit. Unde haereticorum calumniis praevalet et praevalebit semper mos hic ecclesiae antiquissimus cujus prudentissimus sacerque finis est.

Campanae suspendi etiam in oratoriis privatis nequaquam possunt, utique in publicis,

Campanae sonitu, exclusis *necessitatis* et *pietatis* casibus, populus convocari ad arma non potest.

IV. Benedici quoque debent *vestes sacrae*, et *paramenta* ad sacrificium missae deservientia.

Hujusmodi paramenta, in quibus chrisma non intervenit, benedicere possunt etiam praelati regulares, quamvis usum pontificalium non habeant; sed pro usu ecclesiarum suarum tantum.

Vestimenta, et paramenta sacra benedictionem amittunt, et nova indigent quando ita franguntur, ut non sint apta ad usum, ad quem destinabantur, aut quando non amplius figuram priorem retinent; secus non.

V. Denique consecrari, vel benedici solent, et debent cœmeteria.

Pollui in genere tunc ecclesia dicitur, quando manente integra illius forma, et consecratione, si eam habuit, in ea accidit aliquid, quod a loci sanctitate maxime est alienum, et in fidelium animis horrorem generat, ut in illius detestationem celebrari in tali ecclesia Ss. canones prohibuerint, donec sacris ritibus reconciliata fuerit.

Si contingeret, pollutionem evenire durante missa ante consecrationem abrumpenda missa esset.

In specie polluitur ecclesia hisce modis.

1.° Sepultura infidelis, vel nondum, cujuscumque sexus, aetatis, baptizati.

2.° Sepultura fidelis excommunicati.

3.° Homicidio voluntario et injusto, intra ipsam ecclesiam perpetrato.

4.° Vulnere in illa cum sanguinis effusione inflicto.

5.° Fornicatione, aliave illicita copula carnali, et quacumque

voluntaria, sive cum, sive sine complice humani seminis effusione intra ecclesiam facta.

Cœmeterium polluitur iisdem modis ac ecclesia.

Distinguendum autem est, an coemeterium sit contiguum ecclesiae, an vero ab ea remotum, et sejunctum. *Si primum*, polluta ecclesia, etiam ipsum polluitur, reconciliata, reconciliatur, non tamen vicissim. *Si secundum* iisdem ritibus quibus ecclesia, etiam ipsum reconciliandum est.

Si duo sint coemeteria, quae sibi quidem cohaereut, sed intermedio pariete sejunguntur, tunc violato uno, alterum, licet ab uno ad alterum per portam intermediam aditus pateat, non propterea reputabitur violatum.

Ecclesia vel coemeterium non polluitur per sepulturam cathecumeni, juxta communiorem sententiam; item per sepulturam infantis mortui in utero matris fidelis, nec non progeniti ex parentibus fidelibus sed ante baptismum mortui.

Pariter ecclesia vel coemeterium neque polluitur per sepulturam excommunicati tolerati, et non vitandi.

An etiam per sepulturam interdicti polluatur ecclesia, dubium moveri potest: sed tenenda est negativa.

Ad hoc ut occisione hominis polluatur ecclesia, vel coemeterium, tria requiruntur, videlicet.

1.° Ut occisio sit voluntaria.

2.° Ut sit injuriosa vel personae, vel loco.

3.° Ut fiat in ecclesia vel coemeterio.

Ut per sanguinis effusionem polluatur ecclesia requiritur. 1. ut sit effusio sanguinis humani. 2. ut ea effusio sit voluntaria. 3. ut sequatur ex percussione secundum se gravi. 4. ut non aliquot tantum guttae sanguinis, sed notabilis quantitas effundatur. 5. ut effusio haec fiat in ecclesia, licet non opus est ut ecclesiam ipsam contingat.

Ut per seminis humani effusionem polluatur ecclesia requiritur 1. ut sit sufficienti quantitate. 2. ut sit voluntaria: 3. ut sit illicita: 4. ut intra ecclesiam facta sit, quo nomine hic venit interius corporis ecclesiae consecratae, vel benedictae.

Ecclesia non polluitur ejusmodi caede, vel sanguinis, aut seminis emissione etiam occulta: sed requiritur, ut ejusmodi actus sit publicus, et aliquomodo notorius.

Praeter caedem, et hanc sanguinis, vel seminis effusionem, spectato jure communi dicendum, aliis criminibus, quamtumvis atrocibus, ecclesiam nequaquam pollui.

Ecclesia polluta est reconcilianda, nec antequam istud fiat, myste-

ria divina in ea peragenda. Quoad modum reconciliationis si ecclesia cum pollueretur solum benedicta, nondum erat consecrata reconciliari per sacerdotem simplicem aspersione aquae lustralis posset, etiam mandato, seu licentia episcopi non expectata. Si vero consecrata erat, reconciliari debet a proprio episcopo vel de ejus licentia ab episcopo extraneo.

Ecclesia polluta sola celebratione missae non reconciliatur.

Ecclesiae pollutae reconciliatio fieri debet expensis illius qui eamdem violavit, si sciatur quis sit, et si ille solvendo sit; secus recurrendum ad consuetudinem, vel statutum loci; quibus deficientibus in rectorem seu parochum, vel, si pauper hic sit, in parochianos, tandem omnium defectu in ipsum episcopum hoc onus rejicitur.

In consecrata ecclesia sacrificium, et alia officia divina celebrantur.

Eucharistiae nomine venit ipsa incruenta Hostia, in ss. missae sacrificio oblata, sive Christus sub speciebus panis, et vini, quorum substantia per consecrationem in ipsius corpus, et sanguinem convertitur, et Patri Aeterno offertur principaliter quidem ab ipso Christo, ministerialiter vero a Sacerdote.

Sacramentum Eucharistiae inter omnia sacramenta excellentissimum, maximeque divinum est. Definiri potest quod sit *Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini, ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum.*

Materia, ex qua sacramentum istud conficitur, est panis triticeus, et vinum de vite, cui ex perpetua traditione ecclesiae pauxillum aquae est admiscendum. Cujus rei duplex est significatio nam 1. ea commixtio significat sanguinem et aquam, quae ex latere Christi profluxit: 2. indicat fidelium in Christum credentium cum ipso adunationem.

Ut valida sit panis consecratio tria requiruntur. 1. ut farina, ex qua panis pro consecratione conficitur, sit ex tritico, late accepto omne nempe genere frumenti comprehenso. 2. farina triticea debet esse aqua elementari tantum, non alia quacumque mixta vel arte facta aqua peracta. 3. debet esse igni tosta, non oleo, aut butyro frixa, vel aqua elixa vel massa cruda.

Relate ad vinum materia consecrationi apta est solum quod de vite exprimitur, atque inde non uvae, non vinum agreste, non acetum licite consecrari possunt.

Formam hujus sacramenti essentialiter constituunt verba illa; *hoc est corpus meum, et hic est calix Sanguinis mei*: reliqua verba sine peccato gravi omitti non possunt, per eam tamen omissionem valor consecrationis non destruitur.

Minister sacramenti istius quoad confessionem ex divina institutione est solus sacerdos ; quoad dispeosatiooem ex officio est idem sacerdos; couceduot tamen DD. commuuiter juro divino permitti et initio ecclesiae commissam esse diaconis non solum saoguinis sed etiam corporis Christi dispeosationem ; quod postremum deinde restrictum ad solum casum extremae necessitatis jubente episcopo vel sacerdote: Aliis clericis diacono inferioribus (quod multo magis procedit de laico) extra casum extremae necessitatis facultas haec a nullo praelato , papa inferiore , committi potest.

De *subjecto* sacramenti istius dicendum

1.° cathecumenos capaces ejus non esse ,

2.° parvulis ante usum rationis hodieroo more ecclesiae laudabiliter oegari : si tamen detur, ex ea fructum percipiunt.

3.° Perpetuo amentes cum parvulis computari. Qui vero post usum rationis in amentiam lapsi sunt , nisi graviter peccasse , neque doluisse constet , in articulo mortis sed non prius ad s. comunionem sunt admittendi.

4.° Semifatuis qui cibum sacrum , tamquam utilem sibi et necessarium ad salutem a profano distinguunt , non solum in articulo mortis , sed etiam tempore paschali sacram comunionem esse praebeodam.

5.° Energumenis redeuote per iotervalla corporis et animi quiete, etiam soepius eucharistiam concedendam.

6.° Pueris , quamprimum apti suot ad peccatorum confessionem licite praeberi posse etiam eucharistiae sacrameotum.

Ut quis sacramentum istud rite suscipiat duplex requiritur dispositio, uoa ex parte aoimae , altera ex parte corporis.

Ex parte animae per se necessaria est immuoitas a peccato mortali , seu status gratiae per confessionem determinate acquisitus.

Ex parte corporis duplex requiritur dispositio : uoa necessitatis, ut scilicet communicans sit jejunans; altera decentiae , ut non fuerit eo die pollutus.

Jejunium debet esse naturale , et perfectum a media nocte usque ad tempus , quo sumitur hoc sacramentum : adeoque sumptionem hanc impedit cujuscumque rei , quae cibi , potusve rationem habet , etiam mioimae.

Casus , quibus licitum est eucharistiam sumere non jejuno quinque maxime enumerantur.

1.° Ob necessitatem sacrificii perficiendi

2.° Si post sumptam ablutionem adhuc supersint reliquiae in corporali , vel patena repertae

3.° Si eucharistia, nisi statim sumatur, vel incendio absumenda sit, vel in manus infidelium, aut haereticorum deventura.

4.° Si grave scandalum oriturum sit nisi aliquis comunicet, aut sacrificet, qui jejunus non est.

5.° In articulo mortis. Toties autem, ut tutior fert sententia, infirmo non jejuno iterari comunio potest, quoties extra infirmitatem comunicare solebat.

Plures DD., licet alii affirment, probabilius negant licere sacerdoti non jejuno sacrificare in casu necessitatis, ut alium moriturum comunicet, pro quo hostia consacrata in promptu non adest.

Sacrificium in genere definiri potest, quod sit *oblatio rei permanentis, cujus mutatione per legittimum ministrum facta, recognoscitur Deus, ut supremus omnium dominus, vitaeque et mortis author.*

Nomine *missae* usu a primis ecclesiae temporibus jam recepto, venit incruentum sacrificium quod Deo offertur in eadem celebranda. Essentiam hujus sacrificii TT. in sola consecratione constituunt: sumptio tamen probabiliter quodammodo spectat ad integritatem et complementum ejusdem.

Minister in hoc sacrificio principaliter est ipse Christus, secundarie sacerdos legittime ordinatus.

Considerari sacrificium missae potest vel ut propitiatorium, vel ut impetratorium est.

Prout est *propitiatorium*, effectus illius est remissio peccatorum tam mortalium quam venialium, nec non poenae temporalis adhuc debitae pro peccatis condonatis.

Ut *impetratorium* est, habet vim impetrandi quidquid per illud recte petitur.

Quidquid in contrarium adducatur, dicendum, quemlibet sacerdotem ratione ordinis et officii sui sacerdotalis assumpti ad sacrificium hoc aliquoties offerendum graviter obligari; non ita ad quotidie celebrandum, quamvis hoc per se loquendo valde decens et consultum appareat. Parochi vero et alii curati ex officio suo obligantur praecepto ecclesiastico per se, vel per alios singulis saltem dominicis et festis diebus missam celebrare.

Eadem die saepius sacrificare olim sacerdos ob eorum paucitatem proesertim in majoribus anni festis poterant Postquam tamen numerus sacerdotum crevit, et favor remisit, cautum est ut singulis diebus procter diem natalis Domini et alios casus qui locum vix hodie habere possunt, semel dumtaxat singuli sacrificarent.

Die parasceves non licet missam celebrare ex antiqua ecclesiae traditione.

Similiter in sabato sancto olim prohibitum erat sacrificare cum missa resurrectionis ipsa nocte celebrabatur, postea vero missa anticipata fuit ad tempus autemeridianum sabbathi, quo tempore nunc missas privatas celebrare omnimode *s. congr. rituum* et ubicumque vetuit.

Feria 5. in coena Domini in singulis ecclesiis non fit nisi missa unica, et omnes praesbyteri communicant de manu praepositi.

Quoad horam, qua sacrificium missae celebrari debet, constat ex consuetudine, et praxi ecclesiae, definitum esse generaliter loquendo spatium ab exortu aurorae usque ad meridiem.

Locus, in quo missae sacrificium offertur, debet regulariter esse consecratus, vel saltem benedictus. In sacellis et oratoriis privatis requiritur privilegium apostolicum aut saltem licentia episcopi.

Circa modum celebrandi advertendum in genere est, ut ritus omnes observentur et rubricae tum relate ad vestes, tum ad altare, ministrum etc. quas romanum missale praescribit.

Sacerdotes regulares ab ordinariis, vel aliis impediri non possunt, quin missas, et officia divina in propriis ecclesiis celebrent; et in alienis quibuscumque, de rectorum tamen, et eorum ad quos spectat, consensu.

Si saeculares praesbyteri in ecclesiis regularium ex propria devotione voluerint, celebrare in iis possunt, et benigne recipi debent, maxime si aliquo titulo teneantur.

Exteri et peregrini a regularibus admitti non debent ad celebrandum in propriis ecclesiis nisi servata forma *decreti s. congr. inquis.*

Nomine *divini officii* veniunt horae canonicae, quae definitis horis in choro publice, vel privatim a clericis et religiosis recitantur.

Horae canonicae definiri possunt, quod sint *certa quaedam Deum voce laudandi, et deprecandi formulae quae ab ecclesiae ministris ejus nomine quibusdam certis per diem, et noctem temporibus juxta SS. PP. canones observantur.*

Septenario definiuntur numero: cujus numeri congruentia multiplex est.

Ex his horis compositum officium divinum dividitur in nocturnum et diurnum, in quo imitata primitiva ecclesia est morem antiquorum.

Ad recitandum divinum officium tenentur

Digitized by Google

1.° clerici constituti in sacris, si ordines sponte susceperint.

2.° religiosi professi utriusque sexus ex generali consuetudine, si ex religionis suae instituto ad chorum deputati sint.

3.° clerici quicumque obtinentes dignitatem, vel beneficium ecclesiasticum, si illud sponte susceperint, sive curatum id sit, sive simplex.

Juxta probabiliorem sententiam ad horas canonicas tenetur etiam clericus obtinens beneficium tenue, seu tale, cujus fructus ad moderatam sustentationem non sufficiunt. Juxta vero in scholis et in praxi receptiorem non tenetur qui beneficii ecclesiastici titulum habet sine ejus possessione.

Canonici, qui in possessionem beneficiorum suorum quidem missi sunt, sed fructus ex illo nullos percipiunt vel quia nullos beneficium habet annexos, vel quia ab iis quos habet percipiendis aliqua fraude canonicus impeditur, vi aliove modo injusto absque sua culpa, aut etiam statuto peculiari ecclesiae vi cujus ii fabricae sint applicandi, vel alteri piae causae, hisce casibus ad horarum quotidianam recitationem verius non tenentur. Tenentur tamen si beneficii sui fructus sua culpa non percipiunt, aut si ex ecclesiae statuto fructus illi accrescunt beneficiatis et canonicis antiquioribus vel ex consuetudine ad canonicorum sepulturam et expungenda debita reservantur.

Is qui plura habet beneficia, quorum quodlibet inducit obligationem recitandi officium ei obsolute loquendo satis facit semel quot diebus persolvendo divinum officium.

Beneficii nomine, ut ratione illius exsurgat obligatio ad dicendas horas canonicas non intelligitur

1.° *coadjutoria*

2.° *capellania simplex*: secus *collativa*

3.° *commenda et vicaria* temporalis tantum, non perpetua.

4.° *praestimonia*, *et praestimoniales portiones* haud concessae in titulum, neque habentes aliquod spirituale obsequium annexum.

5.° *pensio* solum laicalis.

Ad horarum canonicarum recitationem privatam sub gravi tenentur religiosi in sacris non constituti, et moniales a choro absentes; atque hujusmodi obligationem per se retinent etiam religiosi ejecti, fugitivi, et damnati ad triremes, nec non qui extra monasterium vivendi, vel ad tempus, vel perpetuo dispensationem accepit.

Supremus superior cum religiosis suis ex justa causa potest dispensare circa obligationem recitandi privatim horas canonicas.

Tempus, locus, et modus quo recitandae sunt horae canonicae ità definiuntur.

1.° quoad tempus, publice psallendum est horis competentibus: in privata recitatione, ut peccatum mortale vitetur, sufficit si horae dicantur intra eumdem diem naturalem, etsi tempora praescripta pro singulis horis non observentur.

2.° quoad locum, cum publice dicuntur in ecclesia dici debent: privatim dici possunt in quovis loco, modo decens ille sit, et talis qui attentionem non impediat, aut aliis offensionem pariat.

3.° modum praescribit Innocentius III: *districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum officium nocturnum pariter, et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote.*

Septem omnino sunt capita, ex quibus a lege dicendi horas clericus absolvi potest.

1.° *Oblivio, et incogitantia naturalis.*
2.° *Ignorantia.*
3.° *Infirmitas* gravis.
4.° *Coecitas oculorum.*
5.° *Carentia breviarii* sine culpa.
6.° *Repentina, et necessaria occupatio* ex officio, vel charitate suscepta.
7.° Denique *dispensatio pontificis.*

Poena pro clericis et religiosis beneficiatis negligentibus divina officia a jure decreta, si culpabiliter id accidat, duplex est.

1.° jubentur fructus perceptos restituere:
2.° si postquam ab episcopo moniti fuerint, intra quindecim dies, non bis saltem recitaverint horas jubentur excommunicari, suspendi et beneficio privari.

Excusantur tamen, qui bona fide, vel naturali oblivione, aut ex alio legittimo impedimento divinum officium non recitarunt.

Fructus sacrificii triplicis est generis

1.° *generalis*, quem ecclesia applicari, et participari vult ab omni-us Christi fidelibus vivis ac defunctis, praesert immissae sacrifi- assistentibus et cooperantibus.

ecialis sive *personalis*, quem ex sacrificii celebratione per- ipse sacerdos, et aliis applicare non debet nec potest ex communi sententia.

3.° *medius* qui sacerdoti committitur, ut applicetur ei, pro quo sacrificium sive ex obligatione, sive ex libera voluntate offert.

Ratione hujus fructus tantum exigi et accipi valet pecunia vel alia

Digitized by Google

res temporalis, non vero tamquam ejusdem aestimatio, sed solummodo tamquam stipendium debitae sustentationis.

Stipendium tale justum dicendum melius videtur illud, quod vel lex vel consuetudo loci taxavit.

Exigere illud et acceptare nequeunt parochi et alii curati saltem pro iis diebus, quibus ad missarum celebrationem ex officio obligantur.

At exigere et accipere ratione applicati fructus eleemosynam manualem possunt sacerdotes alii obtinentes beneficium, cui sacrificandi obligatio non est annexa.

Idem accidit si beneficiatus obligatus quidem sit ad certas missas ex vi fundationis, ita tamen ut eidem in hac fundatione expresse permissa sit libera intentio.

Clerici, qui capellanias, et his similia beneficia sacerdotalia obtinent tenentur, missarum, in fundatione praescriptarum fructum juxta piam fundatorum intentionem applicare saltem quando haec expressa est, ita, ut pro talibus missis stipendium accipere nequeant.

Casu, quo missa ex fundatione vel constituentis voluntate celebranda est certo. loco et tempore aut alia similia onera specifice expressa sunt, non tamen facta mentio intentionis vel applicationis, hoc casu, non obstantibus quae in contrarium plures putant, sacrificii fructum libere applicari posse cui sacerdos volucrit, etiam accepto stipendio, dicendum est.

Idem sacrificium, quod a sacerdote religioso fieri debet pro defuncto, accepto stipendio, applicari etiam non potest pro vivo, exhibente stipendium.

Sacerdos, quantumvis pauper, pro una missa et applicatione fructus ex eo plura stipendia accipere non potest, quae simul sumpta congruae sustentationis stipendium non excedunt, sed tenetur solventi stipendium dimidium, applicare totum fructum sacrificii.

Soli parochi, et alii beneficiati, qui ratione capellaniae, vel beneficii ad plura sacra legenda adstringuntur, si pro missa abundantius stipendium accipiant possunt ejus celebrationem alteri, justo stipendio exhibito, concedere et residuum sibi reservare Contra alii sacerdotes non possunt, et si faciant mortaliter peccant, atque restitutioni obligantur.

Missae dici non possunt anticipate pro eo, qui primo stipendium dederit, vel quem Deus vidit primo daturum, vel sub conditione in futurum contingente.

Quando certus missarum numerus a fundatore, vel benefactore est

praescriptus, tot celebrandae sunt, quot *ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint.*

Missae pro quibus stipendium acceptum est, intra *breve tempus moraliter* judicio prudentum relinquendum, sunt celebrandae.

Administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus non possunt eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, nisi de consensu eorum qui eleemosynas tribuant. Consensus hic requiritur pariter ut missae pro quibus in certa ecclesia celebrandis obtulerunt fideles, celebrari possint in alia.

Missarum onera perpetua, relicta in certa ecclesia, vel capella transferri alio nequeunt nisi de licentia sedis apostolicae.

Episcopus, si non habet speciale privilegium, non potest compellere regulares ad exhibendos libros sacristiae in quibus notantur celebrationes missarum.

Onera missarum et officiorum ecclesiae imposita omitti possunt, si proventus pro iis assignati absque ecclesiae vel monasterii etc. culpa omnino perierunt; hisce tantum diminutis, et missae minui possunt. Ad quam taxationem et reductionem opus est potestate ecclesiastica. Unde

1.° haac reductionem potest facere summus pontifex saltem justa causa interveniente.

2.° eadem intercedente facere possunt in synodo diocesana episcopi, et in suis capitulis generalibus abbates et generales ordinum.

3.° extra synodum dioecesanam iidem episcopi etiam post trid. moderari onera missarum possunt praecipuae in aliquo certo casu, et in iis provinciis in quibus synodi dioecesanae nunquam aut rarissime habentur.

4.° eadem circa reductionem facere possunt quae episcopi, ii etiam praelati episcopo inferiores, qui certum territorium habent, in quo jurisdictionem quasi episcopalem exercent.

5.° coeteris reductio dumtaxat concessa est in capitulo seu congregatione spirituali.

Ut haec anniversariorum, missarum, et officiorum divinorum reductio fieri possit necessarium est

1.° ut redditus pro his relicti sint admodum tenues, et pro iis debite celebrandis insufficientes.

2.° ut omnium benefactorum, quorum anniversaria, vel missae adjunctae vel conjunctae, cum tenuitas proventuum ita exigat, aliis sint, in his commemoratio fiat.

3.° ut ejusmodi anniversaria reducantur si possit, in totidem mis-

sas, vel in unum alterumque anniversarium, aut missam singulis mensibus aut hebdomadis legendam pro benefactoribus.

4.° ut alia officia divina potius in missas, quam haec in illa commutentur.

Ne hujusmodi autem reductiones nimis saepe sint faciendae pluribus cautelis s. congr. prospexit.

Sacramentum omnium maxime necessarium est baptismus. Hic late acceptus triplex dividitur baptismus aquae, flaminis, et sanguinis: ex his solus baptismus aquae est sacramentum, cujus defectum ceteri dumtaxat supplent.

Baptismus graecum nomen *ablutionem* significans, definitur quod sit *sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitae.*

Certum est, sacramentum hoc, ut cetera, immediate institutum esse a Christo.

Controversia inter DD. de tempore quo institutum. Sed longe communior et verior sententia docet baptismum a Christo institutum ante mortem suam; quo tempore autem ante ipsam incertissimum est.

Baptismus est in nova lege ad salutem necessarius omnibus hominibus praecepto divino, et de necessitate medii, tam parvulis quam adultis sed diverso modo; nam parvulis, extra casum martyrii, necessarius ad salutem est baptismus in re susceptus. Contra adultis ratione utentibus, si baptismi reipsa suscipiendi non habeant copiam, vel baptizatos se, cum revera non sint, bona fide credant, ad aeternam salutem consequendam ejus suscipiendi votum sufficit.

Adulti, si in fide sufficienter instructi sint, divino Christi praecepto obligantur ad sacramentum baptismi suscipiendum quamprimum commode possunt.

Quoad infantes conveniunt DD. quod eorum parentes, et alii qui curam illorum gerunt, sub gravi culpa praecepto ecclesiae non scripto sed consuetudine introducto, obligentur, ne differant diu filiis parvulis baptismum, licet nullum mortis eorum periculum sit.

Materia baptismi duplex est, remota, et proxima. *Remota* est omnis et sola aqua elementaris, seu naturalis apta ad abluendum. *Proxima* est ablutio per aquam juxta illud, *mundans lavacro aquae. Ablutio* valide fieri potest per immersionem, infusionem, et aspersionem, si haec notabilis sit et cum successivo aquae allapsu. Ut tamen licite ministretur servanda est ecclesiae dioecesanae consuetudo, cui etiam quoad numerum ablutionum standum est.

Etsi omnino deceat prae caeteris membris ablui caput, utpote quae

est praecipua pars hominis, communis tamen DD. sententia est, quod sufficiat, si in baptismo abluatur etiam alia pars principalis.

Valide quidem, sed illicite confertur baptismus per immersionem absque emersione, ut si infans projiciatur in flumen et ejus aquis suffocetur, aut si abluatur aqua fervida, et sic occidatur.

Baptizandus infans nondum in lucem editus, saltem si pars aliqua corporis extra uterum extendatur.

Casu vero, quo intra uterum totus continetur, aquam per fistulam, vel aliud instrumentum infusa in uterum perfici vicino et desperatu partu baptismus potest, licet si post talem baptismum infans salvus editus fuerit repetendus baptismus sit.

Forma baptismi, qua utitur ecclesia latina, haec est, *ego te baptizo in nomine patris, et filii, et spiritus sancti*, quibus ex consuetudine subjungitur *amen*. Graecae ecclesiae quae *baptizatur*, *vel*, ut alii exponunt, *baptizetur servus Christi in nomine patris etc.* Utramque legittimam esse certum est. Debet autem haec forma retineri, et adhiberi invariata quoad substantiam.

Ut baptismus valide conferatur, quatuor in forma baptismi sunt exprimenda.

1.° Persona baptizans tum principalis quae significatur in voce *Filii*, tum ministri, quae satis exprimitur per verbo *baptizo*.

2.° Persona baptizanda.

3.° Actus ablutionis.

4.° Unitas, et trinitas divinitatis cujus invocatio essentialis est.

Baptismus collatus sub hac forma, *ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, et procedentis ab utroque* invalidus verius habetur.

Subjectum baptismi ut valide conferri possit est omnis homo viator, qui eumdem positive velit, si sit adultus ut licite et cum fructu, omnis rite dispositus per fidem, spem, propositum servandi praecepta, et penitentiam, si habeant peccatum mortale. Parvulos ante usum rationis valide, et fructuose baptizari posse definitur a conc. trid. habetque ecclesiae usus et praxis.

Utrum monstra baptizari possint ambigitur. Ea de quibus difficultas esse potest, sunt duplicis generis. *Primum* est eorum de quibus dubitatur, utrum homines an bestiae sint. Alterum illorum, de quibus quidem sufficienter constat, quod habeant naturam humanam, ambigitur autem, an ejusmodi monstrum sit ex gemellis concretum, et cons. duobus baptismis baptizandum.

Si primis generis nascatur monstrum, sique innotescat partes ejus principales hominis figuram referre, baptizari debet saltem sub conditione, secus non.

Digitized by Google

Si secundi generis, et satis constet duos esse homines, baptizari debent distinctis formis; et satis non constat differendus baptismus, vel si periculum in mora sit, una pars potest simpliciter, altera sub conditione baptizari.

Amentes, qui nunquam rationis usum habuerunt baptismi capaces, non minus quam infantes sunt; qui vero aliquando habuerunt, et tunc temporis baptismum petierunt iterum baptizari possunt: non tamen ii qui cum ratione utebantur, baptismum admittere renuerint, vel saltem nunquam petierint.

Liberi infidelium adhuc infantes tunc tantum baptizari, etsi valide, licite regulariter loquendo invitis ambobus parentibus non possunt, cum ad eos spectent qui nunquam ecclesiasticae potestati fuerunt subjecti.

Minister baptismi, ut valide conferri possit, est quivis homo viator, qui sit distinctus a baptizato, etiam extra necessitatis casum: ut licite vero extra casum necessitatis conferatur, est solus sacerdos, imo nulla urgente necessitate, solus parochus, et eo superior episcopus.

Parochus, ut licite baptismum conferat, debet esse domicilii, in quo degit baptizandus, nisi aliter obtentum sit consuetudine, vel praescriptione.

Potestas baptizandi etiam solemniter delegari potest diacono ex gravi causa.

Infideles ad fidem conversi degentes in terris christianorum ab episcopo baptizari principaliter debent; hoc autem impedito a parocho domicilii: baptizandi in partibus infidelium, in quibus nec episcopi nec parochi sunt, a missionariis etiam solemniter et extra casum necessitatis ex privilegio ipsis concesso baptizantur, quod verius non licet eis, si parochus et episcopi illis partibus adsint.

Unius baptismi plures ministri esse possunt, si plures simul absolute, et nulla inter se constituta dependentia baptizandum abluant, et formam proferant, eamque perficiant, eodem puncto, et istanti.

Ad valorem baptismi juxta probabiliorem sententiam sufficit, si moraliter, i. e. secundum humanum agendi, et loquendi modum concurrat actio ministri videlicet ablutio cum pronuntiatione formae, etsi una arteri succedat.

Baptismus non est conferendus in privatis domibus, sed dumtaxat in ecclesiis, ubi sunt fontes baptismales ad hoc specialiter deputati.

Baptismi valide suscepti effectus triplex praecipue est 1. tollit non so-

Digitized by Google

lum peccatum originale, sed omnia personalia tam mortalia, quam venialia: 2. simul cum culpa aufertur totus reatus poenae: 3. praeter gratiam, et characterem quem indelebiliter imprimit animae, confert dona, et virtutes, atque praeterea auxilia specialia ad jugum Christi suaviter ferendum.

Iiqui sunt casus, quibus baptismus, licet ordinarie non possit, repeti queat, quando videlicet vel certum vel dubium est aliquid vel essentiale omissum in priori baptismo, vel non rite applicatum susceptumve, vel omnino non administratum, et cetera hujusmodi interveniant.

Causa autem sufficiens repetendi baptismum non est, quod ille coellatus sit ab haeretico qui materiam et formam ab ecclesia praescriptam adhibeat, et nulla alia causa rationabile dubium faciat.

Casu, que infans ob necessitaium baptizatus est ab obstetrice, cessante periculo, ad ecclesiam deferri debet, ut suppleantur solemnitates, vel ipsa substantialia repetantur, si rationabilis suspicio sit, baptismum non fuisse legitimo modo collatum.

Adultus ex fidelibus parentibus natus et inter fideles educatus, quamvis de ipsius baptismo non certo constet adeoque dubitetur, nihilominus baptizatus praesumitur, et si revera forsan baptizatus non esset per baptismum flaminis salvatur habens verum baptismi desiderium. Aliter sentiendum de iis qui ex parentibus infidelibus nati sunt.

Baptismus collatus vi absoluta, et omnino nolenti, invalidus est cons. repeti debet: secus, si vi conditionali tantum, seu metu adactus consensum baptizatus praestiterit.

Sicut baptismo ad coelum, sic per eumdem ad caetera sacramenta via aperitur, cum ad utrumque janua sit.

Unde ad ordines, et cetera sacramenta percipienda necessarius est baptismus fluminis, nec solus flaminis sufficit.

Actus, qui ab ordine vere suscepto, ac proinde a baptismo non pendent, gesti a praesbytero non baptizato, qui communi errore pro praesbytero habetur propter utilitatem publicam subsistunt: e contra actus qui a sacramentis illis jure divino pendent verius pro irritis ab illo exercitii putantur.

Valida est, licet tamen illicita ordinatio, cui non fuit sacramentum confirmationis praemissum.

Eucharistiam in ecclesiis asservandi ritus firmiter a catholicis utpote bonus et licitus retinetur, eumque a tempore concilii Nicaeni usitatum fuisse recensent PP. conc. trid.

Digitized by Google

Causae ex quibus mos hic in ecclesia receptus hodie tres praecipue antiquatis ceteris, adnumerari possunt.

1.° Ut, quando petitur, vel necessarium est, ministrari petentibus, praesertim infirmis possit.

2.° Ut fideles semper habeant Christum praesentem etiam quoad humanitatem, ad implendam ipsius promissionem.

3.° Denique pro adoratione publica, in altari eucharistiam exponendo, et in processionibus circumferendo.

Is qui sacrosanctam Eucharistiam apud se retinet ob finem illicitum, de haeresi suspectus haberi, et puniri debet a tribunali s. Officii; poena autem minuitur si non illicitus finis est. Quod si id fecit ex simplicitate et mera devotione, non ex alio fine is non erit suspectus, et per cons. illius causa non spectat ad s. Officium a quo dimitti debet.

Modus, quo asservari in ecclesiis sacramentum eucharistiae debet, ut eidem debitus honor, et reverentia exhibeatur, est hujusmodi.

1.° Asservari debet in tabernaculo, ad id decenter ornato.

2.° Claudi debet in ciborio, quod argenteum et inauratum esse debet, et quandoque gemmis distingui solet.

3.° Ne tempore corrumpatur, frequenter, et saltem singulis septimanis semel renovandum, ita, ut antiquae species sumantur, novae conserventur.

4.° Sacerdos illam, et sacrum chrisma habere sub clavi, et fideli custodia debet.

5.° Ante altare, vel tabernaculum, in quo eucharistia deposita custoditur die nocteque debet ardere lampas.

6.° Ipsae ecclesiae, et altaria, in quibus haec sacra mysteria peraguntur, decenter ornanda, curandumque sacerdotibus, et ceteris ecclesiae ministris est, ut vasa, vestimenta, et ornamenta sacra sint munda, et nitida.

Sacrum chrisma et oleum infirmorum ab episcopo benedictum, ne a laicis aliis usibus, praesertim impiis, et ad maleficia ut soepe fiebat applicetur, constitutum est, ut illud sub fideli custodia clavibus adhibitis conservetur.

Vasa, in quibus chrisma et oleum asservatur, debent esse argentea, vel saltem stannea bene cooperta et cum inscriptione sua.

Asservari chrisma et oleum benedictum debent in loco honesto, et decenti, non tamen in tabernaculo s. Eucharistiae.

Eucharistia asservari 1. potest et debet in ecclesiis parochialibus actu talibus: 2. in ecclesiis cathedralibus: sed in his collocari de-

Digitized by Google

bet extra altare majus in alia capella decenti: 3. in ecclesiis regularibus.

Contra sine apostolica dispensatione asservari nequit 1. in conservatoriis mulierum: 2. in grangiis, seu domibus ruralibus regularium: 3. in ecclesiis collegiatis saecularibus non actu parochialibus: 4. In ceteris non parochialibus ecclesiis.

Si consuetudo concurrat eucharistiam asservandi in alia ecclesia parochiali, id continuari potest, etsi non constet de indulto apostolico, dummodo neque constet ab initio titulum fuisse infectum.

Praestatio olei, et conservatio lampadis coram venerabili ardentis, ubi nulla alia in aliquo loco consuetudo observanda sit, ex fructibus quibusvis ecclesiae etiam iis, si sit opus, pertinentibus ad patronos aliosque desumi debent: horum defectu parochiani ad praedicta cogendi. Tandem episcopo remedium ponere spectat.

Claves tabernaculi, in quo eucharistia custoditur in parochialibus ecclesiis retinere privative quoad alios debet parochus: in non parochialibus capellani seu rectores, nunquam autem, nisi contraria consuetudo obtineat, moniales et laici.

S. Eucharistia, cum ea in viaticum aeternitatis muniendus est infirmus, deferri debet a parocho, vel ejus cooperatore cum decentia reverentia, et quae par est devotione.

Canonizatio est ritus, quo aliquis sanctus per papam albo sanctorum adscribitur, et publice, ac solemniter, et regulariter declaratur, definitur ,ac statuitur ut tamquam sanctus ab omnibus honoretur, et de ipso certa die quot annis solemne officium celebretur.

Ut pro sancto coli aliquis publice possit necessarium est, ut is canonizatus, vel beatificatus sit ab ipso summo pontifice, cui privative potestas haec competit.

Cultu privato venerari licet aliquis, cum sanctitatis publica existimatione defunctus, sed in ss. vel beatorum numerum nondum a papa relatus.

Ad hoc ut aliquis a romano pont. titulo beati decoretur, et in sanctorum numerum adscribatur duo debent concurrere quorum unum sine altero non sufficit, nempe ut 1. de ejus excellentia vitae, 2. de miraculis per probationem plenissime constet.

Tum vero utrumque constare censetur, cum constet

1.° de integritate fidei.

2.° de ceteris virtutibus tam theologicis, quam moralibus, quae debent esse charitate formatae in gradu excellenti et heroico.

3.° Miracula probari per duos saltem testes de visu,auditu proprio,

et juratos, eaque esse supra vires naturae, saltem quoad modum. Horum sic probata miracula duo saltem ad beatificationem, alia duo ad canonizationem requiruntur.

Martyrem canonizare, aliud non importat, quam actum declarationis martyrii.

Ut sufficienter constare dicatur *de martyrio materiali*, necesse est, ut probatio mortis sit concludens, cons. plena, vel in se vel ex aliis adminiculis.

Ut constet *de martyrio formali*, quod in eo consistit, quod servus Dei passus sit mortem ex odio fidei; vel alterius virtutis, quatenus haec habet ordinem ad Deum, duo probari debent 1. quod tyrannus mortem intulerit vere ex odio fidei, aut virtutis supernaturalis: 2. quod martyr sponte et alacriter mortem subierit propter Christum, et perseveraverit in charitate et fortitudine usque ad extremum spiritum.

Si haec adeo plene non constet etiam miracula in canonizatione martyrum requiruntur. Iis vero plene probatis sanctitatis etiam praebebit indicium incorruptio corporis defuncti, suaveolentia odoris in aperitione arcae, urnae, vel sepulchri percepta, quae tunc solum supernaturalis est judicanda.

Forma procedendi ad beatificationem, vel canonizationem sanctorum in decretis plurium pontificum praescripta haec est

1.° Congregatio rituum procedere in causa canonizationis vel beatificationis non potest, nisi post 50. annos ab obitu servi Dei.

2.° Intra hos annos processus fieri valent super fama, virtutibus, miraculis servi Dei. Si agatur de martyre loco discussionis virtutum, disputatur dubium, an constet de martyrio, et ejus causa. Ante omnia vero alia quoque discutiuntur, sine quibus non est locus introductioni causae.

3.° Facti ab episcopis processus transmittendi sunt ad sedem apostolicam in forma praescripta, et una producuntur instantiae petentium canonizationem vel beatificationem servi Dei.

4.° His gestis, sequitur commissio super introductione causae, quae tamen non est assignanda nisi post decem annos a die praesentationis processus.

5.° Facta commissione s. congr. rituum procedere potest ad aperitionem processuum juxta ordinarias facultates et ritus servari solitos.

6.° Apertorum fit deinde relatio processuum, et eorum validitas discutitur.

7.° Si sint validi clauduntur, obsignantur, nec aperiuntur nisi post lapsum 50. annorum ab obitu servi Dei.

8.° Eo lapso in variis congregationibus discutitur dubium an constet de virtutibus celerisque annexis in gradu heroico, quo discusso,

9.° Discutitur coram papa dubium *an constet, et de quibus miraculis etc.*

10.° Post miracula approbata posset quidem ad canonizationem procedi ordinarie tamen solum papa impartitur licentiam venerandi servum Dei ut beatum.

Post beatificationem decretam, ad canonizationem non devenitur nisi percrebrescente, continuante fama sanctitatis, devotione, cultu populorum, et superventu duorum saltem miraculorum. Novae insuper requiruntur instantiae, novi aperiuntur processus, nova dubia discutiuntur. Celebratis tandem congregationibus et consistorio semipublico, praemissis precibus, jejuniis, aliisque piis operibus, solemni, qualis convenit, apparatu rituque sanctum declarat papa, et sanctorum catalogo adscribit.

Honores, qui ex vi decreti et ipsorum sanctorum jure exhibentur canonizatis, sunt: 1. jubentur publice coli; 2. in ecclesiae precibus invocantur, 3. templa et altaria Deo in eorum honorem eriguntur; 4. sacrificia, et officium divinum Deo in honorem illorum offeruntur; 5. dies festi celebrantur; 6. imagines eorum certo quodam addito lumine pinguntur; 7. eorumdem reliquiae publice in ecclesia proponuntur; quae omnia fere etiam conveniunt beatificatis.

Reliquiarum nomine intelliguntur sanctorum corpora, et quaelibet ipsorum particulae, et quaecumque aliquo modo ad ea pertinent.

Certa est catholicorum sententia approbata a s. Synodo trid. recte coli sanctorum corpora et reliquiae, eosque jure damnari qui adversus hunc cultum insurgunt.

Ut privatae reliquiae sanctorum coli possint satis est viri probi authoritas qui eas tradidit, vel alia quaelibet prudens conjectura unde judicari prudenter possit sic esse.

Ut publicae venerationi exponi possint reliquiae omnino novae alicujus sancti sedis apostolicae authoritate opus est. Quod si antiquae sint, sed de novo inventae, et ex scriptura, vel instrumento publico cum ipsis reperto, vel aliunde certo constet eas alicujus sancti antiquitus approbati esse, sufficit authoritas episcopi eas recognoscentis, et approbantis; non sufficit tamen ubi illud dubium sit, sed rursus ad pont. recurrendum.

Praeterea circa reliquiarum approbationem notandum est; quod nempe 1.° fieri debet modo quem praescribit conc. trid. ut scilicet epi-

Digitized by Google

scopus reliquias approbaturus theologos consulat, aliosq. probos et doctos viros.

2.° si gravis aliqua suboriatur quaestio, cogendum erit concilium provinciale.

3.° Approbationem episcopus potest, etiam extra dioecesim existens facere, et licentiam dioecesi concedere.

4.° Semel legitime approbatae, cum in aliam ecclesiam reliquiae transferuntur non debent iterum ab hujus episcopo approbari, sed examinari an eaedem sint.

5.° Supposita approbatione legitime facta, reliquiae coli possunt absolute, et sine conditione.

Reliquiae non approbatae ne si quidem cum approbatis misceantur, coli et publicae venerationi proponi possunt.

In ostensione reliquiarum observandum

1.° quod reliquiae antiquae dum populo ostenduntur non debent extrahi ex capsa, seu loculo quo reconduntur.

2.° In earum exhibitione vitanda est omnis avaritiae species.

Pro sanctorum reliquiis pretium pecuniarium ratione sanctitatis defuncti, ratione benedictionis, aut alicujus fructus spiritualis percipiendi ex ipsis, sine simoniae vitio non potest peti: non item si ratione ornamentorum, et expensarum quae factae sunt in iis asportandis, aut ornandis.

Corpora et reliquiae sanctorum ab una ecclesia in aliam transferri ab episcopo possunt, etiam postquam tradita sunt in sepulturam perpetuam, sine sedis apostolicae authoritate, ut melior tenet sententia.

Ut tamen rite translatio ista fiat, praeter consensum episcopi opus est justa causa, et consensu capituli.

Reliquiarum furtiva subtractio, est peccatum sacrilegii, nisi essent in locis infidelium conditae.

Inter actus, qui celebrari in ecclesia solent, est etiam promulgatio vigiliarum et jejuniorum.

Jejunii vox abstinentiam significat et duplex jejunium ea voce significatur: unum *improprie* quod est abstinentia *ab iniquitatibus*: alterum proprie dictum, quo significamus abstinentiam a cibis sive parsimoniam, et moderationem victus in quantitate et qualitate.

Jejunium hoc secundo sensu acceptum dividitur in naturale, morale, liberum, et ecclesiasticum.

Naturale est abstinentia ab omni cibo et potu in stomacho transmisso.

Morale consistit in moderatione cibi et potus, secundum leges prudentiae mediocritatem in illis sectantis.

Liberum quod secundum rectam rationem, ex motivo alicujus virtutis, sine praecepti obligatione suscipitur.

Ecclesiasticum, quod secundum formam ab ecclesia praescriptam instituitur, et definitur, quod sit *abstinentia a carnibus etc.*, *et prandii, ac post coenam cujuslibet cibi subtractio*, *usque in diem sequentem.*

Ex quo sequitur tria ad tale jejunium requiri. 1. delectum ciborum: 2. unitatem refectionis: 3. tempus coenae.

Delectus ciborum consistit in abstinentia a carnibus, et ab iis quae sementinam carnis originem trahunt.

Delectus potus proprie talis non requiritur: nisi potus cibum habeat admixtum.

Quorum animalium carnes die jejunii prohibentur disputatum inter DD. est. Sed ista in re prae oculis habenda est mens ecclesiae, quae carnes prohibendo intendit subtrahere fidelibus alimenta quae multum nutriunt, viresque reficiunt. Deinde attendenda communis hominum existimatio et usus.

Praeceptum unicae refectionis, ad jejunium ecclesiasticum requisitae introductum videtur ex universali antiquissima, et apostolis coaeva consuetudine.

Qui in hac refectione comedendo excedit limites temperantiae, huic quidem virtuti adversatur, non peccat tamen adversus legem jejunii., si unica contentus refectione sit.

Refectio, ut dicatur impleta praecepti hujus substantia, debet esse unica eo sensu, ut sit continuata moraliter, licet physice nonnunquam quavis causa interrumpatur.

Cui ob infirmitatem judicio medici, aut vi privilegii, vel dispensationis licitus est esus carnium, etiam permissa est secunda refectio, et esus ceterorum ciborum qui diebus esurialibus alias prohibentur.

De hora temporis, qua refectio die jejunii sumenda sit, nil positivum statutum et quidquid ad rem inquiunt DD. ad substantiam jejunii non pertinet, sed vel accidentarium vel saltem secundarium esse hodie praesertim dicendum, cujus praetermissio nonnisi culpa venialis censeri debet.

Collatiuncula vespertina, quae sumi in diebus jejuniorum solet sicut consuetudine introducta est, ita etiam consuetudine regulari, et secundum quantitatem et qualitatem sumendorum definiri debet.

Non desunt tamen qui certam quantitatem assignant; ex quorum sententiis probabilior practice, et tutior apparet ea quae pro regu-

Digitized by Google

la quantitatis adhibendae assignat quartam aut quintam partem cousuetae comestionis.

Jure plures DD. a culpa saltem veniali non excusant eos qui ordine mutato, refectiunculam vespertinam sumunt circa meridiem, coenam ad occasum solis differunt.

Dies anni, quibus jejunium fidelibus ab ecclesia praeceptum est hi adnumerantur

1.° Jejunium quadragesimale ab Apostolis ad exemplum Christi institutum.

2.° Feria quarta, sexta, et sabbato quatuor temporum ex usu perantiquo.

3.° Vigiliae praecipuarum festivitatum: et 1. quidem nativitatis Domini, et Pentecostes, 2. assumptionis B. V. et ss. Apostolorum.

4.° Cum abstinentia a carnibus singulae feriae VI. ob memoriam passionis Domini, et sabbatum in honorem tum sepulturae Christi, tum B. V.

5.° Olim Romae adventus: hodie nulla hujus de praecepto obligatio.

Olim vetitum die dominica jejunium: hodie prohibitione cessante, privata saltem devotione observari potest.

Obligatio jejunii observandi diebus ab ecclesia praeceptis ex unanimi DD. sententia est gravis, adeo ut violatores jejunii, si clerici sint, jubeantur deponi, si laici excommunicari.

Causae, quae ab obligatione praecepti istius eximunt complures sunt

1.° *Aetas* viginti, et uno annis minor, et sexaginta, vel septuaginta annis major.

2.° *Corporis infirmitas.*

3.° *Necessitas* proveniens ex paupertate.

4.° *Labor corporalis* et etiam animi.

5.° *Pietas.*

6.° *Consuetudo.*

7.° Denique *dispensatio.* Dispensare autem in lege jejunii potest. 1. Summus pontifex, etiam sine justa causa, saltem valide. 2. Episcopus, vel capitulum sede vacante, et ex utriusque commissione vicarius generalis, et parochus ex justa tamen causa.

Ob reverentiam festivitatum jejunia indicta sunt, purificatio post partum ob reverentiam templi per legem mosaicam, vi cujus mulier si masculum peperit, quadraginta, si foeminam, octoginta diebus immunda censebatur, atque ut se mundaret aliqua die a domesticorum et ipsius etiam viri consuetudine, coeteris a sanctuario tantum remota, domi se continebat. Purificationis diebus ex-

pletis, puerpera ingressa, et consistens in atrio immundorum deferebat agnum anniculum offerendum Deo in holocaustum, et pullum columbae, vel turturem pro peccato, sive liberatione ab immunditia legali, a qua purificata offerebat infantem Deo, eumque redimebat.

Subjectum istius legis erant mulieres veteris testamenti, quae *suscepto semine* pepererant.

Ubi consuetudo contrarium non praescripsit, regulares in suis ecclesiis non possunt admittere puerperas pro benedictione post partum, sed quoad ipsos soli parocho id privative competit.

Ad ecclesias maximopere spectat necessitas eas continendi et reparandi.

Novarum ecclesiarum costructio indiget authoritate ecclesiastica, pontificis quidem, si in loco exempto, episcopi dioecesani autem si in loco non exempto ecclesia sit construenda.

Non tamen requiritur consensus episcopi expressus, sed sufficit tacitus.

Consensum hunc petitum episcopus negare sine justa causa non potest.

Causae justae intra fines ecclesiae parochialis erigendi aliam parochialem novam sunt complures, quae tamen ad unicam reducuntur, estque parochianorum magna difficultas adeundi ecclesiam parochialem pro percipiendis sacramentis, et audiendis divinis officiis.

Praeter episcopi consensum, et justam causam ad parochiae novae intra fines alterius erectionem requiritur.

1.° competens parochianorum numerus.

2.° dos congrua;

3.° citatio rectoris parochiae matricis, intra cujus fines nova est erigenda;

4.° consensus patroni.

5.° ecclesiae matrici pro facultate loci servari debet competens in ea honor.

Jure antiquo requirebatur etiam capituli consensus; jure novo non requiritur si ecclesia parochialis intra cujus fines nova adstruitur, sit exempta a potestate episcopi.

Ecclesiae novae dos tanta ab episcopo assignari debet, ut ex ea luminaria, ceteraque ad sacrum ministerium necessaria haberi, et omnia onera supportari valeant.

Dos ista de jure ex redditibus ecclesiae matricis sumenda est.

Si novae ecclesiae erectionem causa juxta exigat, et rector, vel patronus citati contradicant, iis etiam invitis, procedi ad novae erectionem potest.

Jus patronatus ecclesiae novae constructae in fundo et ex proventibus matricis aedificatae aut dotatae, rectori ipsius ecclesiae matricis acquiritur: si vero sumptus ad illud suggessit alterius aut aliorum liberalitas jus istis tribuendum est.

Episcopus in loco ecclesiae construendae debet crucem dominicam figere, designare atrium, et lapidem primarium ponere.

Ecclesia erigenda ex more antiquo est in formam navis oblongam.

Ex apostolica traditione quantum situs loci patitur templa ita construenda essent, ut summum altare collocetur versus orientem.

In reparatione ecclesiae parochialis, vetustate, vel alio casu collapsae, aut ruinam minitantis, ante omnia servanda est recepta loci consuetudo et particularia statuta, vel conventiones si quae adsint, unde colligatur ex cujus bonis ea facienda sit.

His seclusis, ordo et regula ea de re servari solita, hac lege ut unius ob inopiam aliamve causam defectu, onus, de quo sermo, alteri proxime incumbat est hujusmodi.

Reparatio facienda 1.° De portione proventuum et reddituum ad fabricam deputata.

2.° De bonis rectoris ipsius aliorumque, qui beneficia ecclesiastica in illa habent

3.° De fructibus, quos patroni, et omnes alii ex ipsa ecclesia provenientes, percipiunt

4.° De contributionibus quas facere coguntur parochiani laici, qui a tali ecclesia sacramenta percipiunt.

Denique casu, quo ob notoriam paupertatem nemo ex praedictis contribuere valet, nec aliis etiam tentatis ab episcopo mediis spes est reparationis, ecclesia ruinosa omnino destrui poterit, ac ejus jura, et fundi dotales ad aliam per episcopum transferri.

Ad reparationem ecclesiae cathedralis, seclusa consuetudine tenetur solus episcopus ex quarta reddituum suorum, quae ni sufficiat tenebuntur canonici contribuere; neque his sufficientibus, etiam alii inferiores clerici ad contributiones ad fabricam compelli possunt.

Episcopus virtute arbitrii ipsi commissi circa reparationem ecclesiae parochialis ampliare illam sumptibus eorum qui ad reparationem tenentur tunc tantum posse cum ampliatio necessaria ad populi multitudinem agnoscitur.

Ecclesia parochialis reparari debet in capite, et in membris. In specie obligatio ista complectitur

1.° Ipsam ecclesiam cum parietibus, tecto, ac suppellectili ad cultum divinum in ea peragendum necessaria.

2.° Sacristiam, turrim cum campanili, et coemeterium.

Digitized by Google

3.° Aedes, rectori habitationi destinatas.

Conveniunt DD. ab obligatione quam habent ecclesiae parochialis rector, et clerici in ea beneficium obtinentes ad illius reparationem concurrendi, libera esse bona patrimonialia clericorum, sed suggerendos ex ea obligatione tantum sumptus pro ecclesiae reparatione ex bonis, et redditibus ecclesiasticis,

Ad ecclesiae reparationem non tenentur concurrere patroni, quibus jus patronatus competit ex fundatione, constructione, dotatione.

Decimatores qui simul sunt patroni, et qui tales non sunt, sed decimatores tamen ecclesiastici, tenentur concurrere ad reparationem ecclesiae parochialis.

Ordo quo ex decimarum fructibus ecclesiae reparandae succurrendum, hic est.

1.° ex decimis novalium; ni sufficiant haec.

2.° ex iis quae postremo ab ecclesia sunt avulsae et aliis locis applicatae.

3.° demum ex iis quae in manibus laicorum sunt.

Parochiani tunc ad concurrendum pro reparatione ecclesiae parochialis vocandi sunt, quando recepta consuetudo exigit. Contributio hujusmodi facienda est a parochianis, attentis eorum facultatibus, ita ut ad plures conferendum teneatur dives, quam pauper, vel alius mediae conditionis.

Ut sanctior sit ecclesiarum, et ecclesiasticarum personarum honor, plura tam his, quam illis privilegia concessa sunt. Praecipuum ex istis est immunitas.

Immunitas in genere nihil aliud est quam *exemptio et libertas a munere, et onere, quo reliqua communitas premitur.* Unde ecclesiastica immunitas, definiri solet quod sit, *jus quo loca, res, vel personae ecclesiasticae a communi onere, seu obligatione liberae sunt, et exemptae.*

Data immunitatis definitio innuit triplicem esse immunitatem ecclesiasticam, videlicet personalem, realem, et localem quarum significatio per eadem verba patet.

Onera a quibus ecclesiastica immunitas loca, res, vel personas ecclesiasticas liberat, triplicia sunt quae imponi possunt et solent scilicet vel personalia tantum vel mere realia, vel mixta.

Onera mere personalia sunt quae personis tantum sine respectu ad bona patrimonialia imponuntur, et aliquando in labore personae, aliquando in solutione certae alicujus pecuniae consistunt.

Onera mere realia sunt quae sine respectu ad personae qualitatem

sunt imposita ipsis rebus seu bonis tantum eisque jure perpetuo secundum se inhaerent.

Onera mixta alia sunt quae tam corporis ministerio, quam gerentis sumptu sustinentur, alia sunt quae personis subditis imponuntur sed cum respectu ab bona quae possident.

Hic sermo est de oneribus dumtaxat saecularibus quae ab imperatore, rege, aut magistratu temporali imponuntur.

Personalis immunitas clericorum et aliarum personarum ecclesiasticarum consistit praecipue in quinque sequentibus.

1.° in privilegio canonis.
2.° in privilegio fori
3.° in exemptione ab obligatione legum civilium
4.° in exemptione ab oneribus personalibus
5.° in exemptione ab oneribus patrimonialibus, ut tributa sunt vectigalia, talliae etc.

Tributa personalia sunt capitationes: munera et obsequia vero personalia sunt triplicis generis; aliqua *sordida* ut mundandae cloacae etc. alia *honorabilia* ut regendae civitatis etc. alia *indifferentia* ut officium tutoris etc.

Quod clerici et personae ecclesiasticae immunes sint a *tributo capitationis* imposito a principe saeculari decisum habetur in utroque jure.

Munera sordida clerici nec obligari possunt, nec ea acceptare debent.

Munera et obsequia secundi, et tertii generis suscipientes clerici excusantur, nisi velint illa ultro suscipere.

Unde clerici 1.° cogi non possunt ut hospitium militibus praebeant in domibus suis

2.° non tenentur per se ire ad bellum ut pugnent contra hostes
3.° ordinarie cogi non possunt ad murorum custodias, et vigilias agendas.

Praeterea res, et personae ecclesiasticae eximuntur

1.° ab angariis, et parangariis aliisque hujusmodi servitiis personalibus,
2.° a vectigalibus et praestationibus teloniorum.
3. ab omnibus oneribus personalibus, et mixtis; nam si realia sint, et rei connexa, ab his non eximuntur.

Res et bona ecclesiastica triplicis maxime generis distingui possunt

1.° aliqua sunt consecrata, benedicta, vel certe ad cultum divinum, tamquam instrumenta illius ab episcopo deputata.
2.° res et bona temporalia ipsarum ecclesiarum, monasterio-

Digitized by Google

rum etc. a fidelibus in earum conservationem augmentum ornatum etc. oblata.

3.° res et bona clericorum; et haec iterum sunt duplicis generis; aliqua ex titulo temporali et *patrimonaialia*, aliqua ex spirituali et *ecclesiastica* appellantur.

Nemo facile dubitat de bonis primi generis, quod immunia sint ab omni prorsus saeculari onere.

De reliquis dicendum et tamquam certum retinendum est, aliquam bonis ecclesiasticis a tributis et oneribus laicalibus exemptionem deberi. Sed quaenam praecise bona, et a quibus tributis sint exempta in specie videndum est.

Bona ecclesiarum quae ad fundationem, vel dotationem ecclesiae pertinent immunia sunt ab omnibus prorsus oneribus, et tributis laicalibus, si cum consensu dominorum, quibus tributaria erant, in ecclesiam translata sunt.

Bonis, quae ex aliis titulis ad ecclesiam, vel ecclesiasticos pervenerunt, imponi *nova onera* non possunt.

Pariter bona ecclesiastica exempta sunt ab *oneribus antiquis* impositis rebus antequam transirent ad ecclesiam vel ecclesiasticos a principe vel magistratu saeculari ex vi jurisdictionis. At praestari debent, si ex vi dominii et pacti praecedentis' imposita sint in perpetuum, et invariabiliter.

Bona clericorum proprie dicta *ecclesiastica* èxempta sunt ab omnibus oneribus et tributis, ut patet, sive titulum intueamur sive personam.

Convenit inter DD. quod illa onera, et tributa realia quae ipsis rebus, seu bonis *patrimonialibus* clericorum inhaerent ipsisque imposita sunt ex vi alicujus pacti, seu contractus priusquam in potestate clericorum venirent, etiam ad clericos aliasque personas ecclesiasticas transeant.

Tandem, non obstantibus rationibus contrarium dubitandi, clericos etiam secundum bona patrimonialia eximi a tributis, et aliis oneribus non mere realibus, quae non ex vi solius jurisdictionis lege publica, et ordinaria a principibus saecularibus imponuntur, dicendum est.

Pro reparatione pontium, murorum, viarum, et in aliis necessitatibus quae totius reipublicae utilitatem et commoda respiciunt clerici in particolari, secluso consensu pont. vel si hic adiri nequeat, episcopi, et cleri, contributiones pro rata solvere non tenentur. Tenentur autem si ea necessitas et utilitas respicit privatorum commoda.

Tempore famis et caritatis annonae, ad frumentum, et alia victualia

justo pretio vendenda, cogi clerici a potestate saeculari non possunt, exceptis casibus, quibus authoritate pontificia, aut extraordinaria potestate magistratus saecularis uti posset.

Idem dicendum quando pestis grassatur; nam regulariter tunc princeps saecularis non potest adstringere clericos ad observanda ipsius banna, pro bono publico, et pro tuenda sanitate promulgata; sed debet episcopos pro dictorum executione rogare.

Probabilius est, quod impositio gabellae in venditione carnis, frumenti, vini etc. extra casum necessitatis illicita sit, et libertati ecclesiasticae adversetur, nisi statuatur modus, quo ecclesiasticis refectio fiat.

Plures conditiones copulative requisitae ad licitam contributionem clericorum ad sublevandam pubblicam necessitatem a DD. praescribuntur

1.° Ut necessitas illa, vel utilitas sit communis laicis et clericis.

2.° Ut necessitas illa sit valde gravis, vel utilitas evidens.

3.° Ut eidem necessitati relevandae laicorum facultates non sufficiant.

4.° Ut prius episcopus, et clericus simul deliberent, an, et quantum contribuendum sit.

5.° Ut desuper consulatur etiam summus pontifex.

6.° Ut contributiones ab ecclesiasticis fiant sponte, et absque ulla coactione, vel exactione.

Ad conditiones istas in praxi observandas tria sunt animadvertenda

1.° Tunc censentur laicorum facultates non sufficere, quando non sufficiunt facultates etiam ipsorum particularium, demptis iis, quae necessaria ipsis ad statum sunt.

2.° Tunc requiritur etiam pontificis consensus, quando adiri commode pontifex potest. Si vero non possit, et periculum sit in mora, pro prima gabellae, et onerum ejusdem impositione, et modica etiam duratione, dum pontifex adiri possit, sufficit consensus episcopi et cleri.

3.° Quid nomine cleri hic veniat variae sunt sententiae. Probabilior ait nomine cleri intelligi capitulum cathedrale, et sufficere, si consentiat consilium officialium episcopi, vel clericorum, qui ad hoc deputati sunt, ut episcopus cum iis negotia dioecesis graviora expediat.

Tres maxime casus referuntur, quibus seclusa necessitate publica, collectae, contributiones etc. hujusmodi a principe, vel magistratu saeculari imponi possunt ecclesiis, vel personis ecclesiasticis

1.° Si princeps, vel dominus saecularis ex speciali privilegio, vel

cum licentia expressa summi pontificis jus eas clericis imponendi habeat.

2. Si bona quae ecclesia, vel personae ecclesiasticae possident a principe vel domino saeculari sint data ipsis in feudum.

3.° Si bona immobilia etiam non feudalia, ecclesiae ab initio in prima fundatione a principe aliquo saeculari donata fuerint non libere, sed cum reservatione jurisdictionis et juris imponendi et exigendi ratione talium bonorum collectas et contributiones.

Principes saeculares efficere tributaria non possunt praedia omnia, sita in suo territorio, ita ut cum postea ad ecclesias pervenerint, sint obnoxia collectis postea imponendis.

Immunitate hactenus declarata, de jure gaudent 1. *ecclesiae*, *monasteria*, ceteraque *sacra et religiosa loca*. 2. *regulares utriusque sexus* 3. *clerici* etiam solum prima tonsura initiati.

Coloni etiam *partiarii* ecclesiae vel personarum ecclesiasticarum licet controversia hac de re fieri soleat, tamen verius ad collectas et similia onera laicalia non possunt compelli etiam ratione portionis suae colonicae, pro qua agros colunt.

Ecclesiarum et ecclesiasticorum immunitas constituta est ordinatione Dei, imo jure naturali originaliter, quatenus divinum et naturale jus dictat ecclesias, et ecclesiasticas personas, tamquam res Deo specialiter consacratas cum rebus suis a saeculari potestate eximendas; humano autem perfective, quatenus hoc privilegium immediate a papa, et imperatoribus constitutum est.

Poena statuta violantibus immunitatem est excommunicatio major. Et hanc ipso jure et facto incurrunt:

1.° qui et collectas et exactiones exigunt, vel imponunt ecclesiis, aut personis ecclesiasticis, nolentes postquam commoniti desistere.

2.° etiam successor in officio, nisi satisfecerit intra mensem.

3.° constitutiones, et sententiae, quae a collectantibus ecclesiasticos et clericos, ac compellentibus ad contribuendum, etiam pro necessitatibus communibus, sunt editae, ipso jure sunt irritae.

4.° Similiter excommunicationem ipso facto incurrunt judices saeculares, ac domini temporales, et alii qui eos, qui ita volunt, impediunt, ne super causis, quae ad forum ecclesiasticum de jure vel consuetudine pertinent, litteras a sede apostolica impetrent, vel super ipsis coram ordinariis, vel delegatis litigent.

5.° Denique incurrunt ii, qui temporale dominium obtinent, si suis subditis prohibeant, ne praelatis aut clericis, seu per-

sonis ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliqoid ab eisdem, vel bladum seu frumentum molant, panem coquant, aut alia obsequia exhibeant.

Ratione immunitatis localis duo ecclesiis, et ceteris locis sacris privilegia competunt: *primum* est, quod ob reverentiam, hujusmodi locis debitam, certi quidam actus in iisdem exerceri prohibeantur. *Alterum*, quod ad se confugientibus asylum praebeant. Actus, qui in ecclesia fieri prohibentur, sunt duplicis generis; nam alii sunt actus peccaminosi, ut homicidium, effusio sanguinis etc. quibus polluitur ecclesia secundum supra dicta. Alii vero sunt actus per se liciti, sed qui in ecclesia ob specialem ejus sanctitatem exerceri prohibentur.

Ex communi fidelium praxi absolute negari posse videtur ullum actum profanum in templo factum, etiam peccaminosum, seclusa formali intentione operantis, ex natura sua opponi sanctitati loci, sed siqua actio speciem sacrilegii aliam, quam ex intentione operantis habet, eam accipere non ex natura sua, sed ex positiva lege ecclesiae, actum illum specialiter prohibentis dicendum est.

Tribus modis furtum contingere in ecclesia potest 1. si fureris sacrum de loco sacro. 2. si sacrum de non sacro. 3. si non sacrum de sacro. *Secundo modo* non inhonoratur locus sacer, et propterea quaeri non potest an modus ille sacrilegii nomine prohibeatur. *Primo modo* cum res sacra aufertur de loco sacro, sacrilegium committi nemo dubitat, et decisum utroque jure est. Pro tertio casu jura in utramque partem allegari et variae sententiae DD. insurgere solent. In harum vero diversitate certum imprimis videtur sacrilegium committi cum quis rem furatur ad custodiam depositam in loco sacro, quia per ejusmodi traditionem quodammodo fit ecclesiae, et cons. res sacra efficitur.

Poena furantium in loco sacro primum ferenda per sententiam judicis est juxta DD. arbitraria pro conditione furti, et qualitate personarum. Jure vero in fures sacrilegos poenam excommunicationis latam non esse, nisi simul ecclesiam effringant tutior sententia videtur.

Actus qui alias liciti, in ecclesia tamen prohibentur, sunt qui sequuntur.

Et 1.° quidem placitum in ecclesiis vel domibus ejus fieri non potest sine sacrilegii crimine a judicibus laicis, nisi in favorem causae piae.

Placiti nomine intelligitur quidquid ad strepitum judicialem pertinet.

2.° Etiam mercatus, contractus, et negotiationes in ecclesia, licet validi sunt tamen prohibiti.

3.° Prohibentur universitatum, et societatum quaelibet concilia, conciones, et publica parlamenta, quibus res, et negocia mere profana, et politica pertractantur.

4.° Prohibentur ludi theatrales, et spectacula, nisi ad pietatem sint comparata.

5.° Prohibetur, ne in ecclesia admittantur supellectilia tam clericorum, quam laicorum custodienda, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eas oporteat habere refugium.

6.° Prohibetur, ne in ecclesiis, vel coemeteriis illarum exerceantur alii actus profani, uti sunt triturare segetes, celebrare convivia etc.

7.° Multo magis probibitum est, ne ecclesia convertatur ad usus belli, ut in illa munitio constituatur, et aedificetur in modum castri.

8.° Tam ecclesiae, quam monasteria, et clericorum domus immunes esse debent ab onere hospitandi.

9.° Denique prohibentur ab ecclesia extrahi confugientes ad illas, quod est maximum privilegium quod ecclesiae ratione immunitatis localis habent et *jus asyli* dicitur.

Jus asyli sive *asylia* est *securitas*, sive *privilegium inmunitatis ab extractione, et omni alia violentia externa, quam ejusmodi locus ad se confugientibus praestat.*

De eo dicendum cum ceteris orthodoxis DD. optimo jure sacram asyliam, etiam in ea latitudine, prout nunc est spectatam, constitutam esse.

Verior prae aliis sententia originem asyliae in nova lege tribuit juri humano tum ecclesiastico, tum civili, vim habenti in universo orbe christiano.

Probabilius nonnulli DD. affirmant hoc asyliae jus per consuetudinem tolli, vel diminui posse.

In expositione jurium immunitatem spectantium non quidem recedendum est a propria et communiter usitata significatione verborum; si tamen omnibus consideratis, dubium sit, an reus asylo gaudeat, praeferenda est interpetratio lata, et favorabilior reo, ad hujusmodi loca sacra sese recipienti.

Cum jus civile, et canonicum in casu immunitatis non concordant, juxta melioris notae DD. plures, jus canonicum in hac mate-

ria ubilibet servandum, et secundum illud occurrentes controversiae in foro utroque decidendae sunt.

Si dubium aliquod oriatur super interpretationem juris canonici, illa interpretatio sequenda est, quae cum jure civili convenit.

Jus istud asyliae principaliter compelit

1. *Ecclesiis*, episcopi auctoritate erectis.

2.° *Coemeterio*

3.° *Hospitali*

4.° *Monasteriis*, *conventibus*, *et collegiis regularium*

5.° *Oratoriis* etiam privatis.

6.° *Domui*, seu *palatio episcopi*.

7.° Denique competit etiam omnibus aliis locis, quae jure canonico religiosa censentur, etsi sacra non sint.

Jus hoc asyli habent etiam ecclesiae nondum consecratae, nondum plene constructae; ecclesiae in quibus divina nondum sunt celebrata, interdictae, pollutae quoque, vel tandem destructae absque superioris auctoritate, vel cum illa quidem, sed cum spe reaedificationis.

Casu, quo agitur de immunitate ecclesiae (et monasterii) nomen accipiendum late est, prout non solum ejus corpus, et spatium, sive ambitum templi interiorem, sed totam ejus fabricam, eique exterius conjuncta, et ad id spectantia aedificia omnia complectitur.

Atque hinc sequitur 1. securum esse, qui ad ecclesiam confugit, et qui portas ejusdem clausas reperiens, vestem, seu ansam portae manu apprehendit, et retinet.

2.° Eadem immunitate gaudet, si quis existat supra tectum ecclesiae.

3.° Tutus est confugiens ad scalas ejusdem.

4.° Qui evadit in ejus murum, vel in hoc consistit.

5. Extendi privilegium immunitatis debet ad omnia loca, et habitacula, ecclesiae quomodolibet adhaerentia, ut sunt sacristia, porticus, atrium etc.

6.° Simili, quia ipsa monasteria, immunitate gaudere debent etiam horti, areae, et domus familiarium, stabula etc. si tamen intra monasterii septa contineantur.

7.° Denique nonnulli privilegium hoc extendunt ad 40. passus in ecclesia cathedrali, in aliis inferioribus ad 30. per circuitum; verum id non satis probatum videtur, praesertim si usus spectetur.

Jus asyli non habent oratoria erecta non auctoritate publica episco-

pi, sed privata, etiamsi talia sunt, ut in ipsis de licentia episcopi in altari mobili missae celebrari possint.

Domus et palatium episcopi etiamsi ultra 40. passus ab ecclesia distet, et cappellam non habeat, juxta probabiliorem sententiam, jus habet asyliae.

Intelligendum autem hoc est de palatio episcopi, sito intra dioecesim ejusdem.

Palatiis S. R. E. cardinalium de jure comuni jus asyli non competit: igitur sicuti ejusmodi immunitatem habent, illam habent ex privilegio, vel consuetudine, quae tantum procedere potest respectu palatiorum, quae extra urbem habent.

Multo minus immunitate gaudent palatia oratorum supremorum principum, Caesaris, et regum.

Non jure, sed consuetudine nititur sententia communis DD. qui docent. siquis reus vel ad tabernaculum, vel ad sacerdotem, sacrum viaticum ad aegrotum deferentem fugiat, aut se misceat populo illud comitanti, hunc non minus tutum fore a ministris justitiae, quam si ad ecclesiam confugisset.

At nec jus, nec consuetudo favet reo, qui fugit ad sacerdotem, sacrum oleum deferentem ad infirmum.

Spectato jure, et praescindendo a contraria consuetudine, si tamen illa est uspiam, confugiens ad altare portatile, aut istud gerens immunitate ecclesiastica non gaudet.

Pariter de jure comuni ille, qui ad crucem, extra ecclesiam, vel loca religiosa positam, confugit, a ministris justitiae non defenditur, sed sine immunitatis laesione inde abstrahi potest. Quod etiam dicendum de confugiente ad sanctorum reliquias. Coeterum consuetudo locorum in his observanda.

Immunitas statuis principum hodie non competit, et si competeret non sacra, sed civilis esset.

Regula est, de personis, extra casus infra excipiendos, privilegio asyli gaudere christianos baptizatos omnes, saltem laicos, nulla sexus, aetatis, et conditionis habita ratione.

Proceditque hoc 1. etiamsi banniti, et condemnati sint 2. excommunicati. 3. interdicti. 4. haeretici sint, modo rei non sint criminum exceptorum inter quae haeresis numeratur.

An etiam judaei, sarraceni, et alii infideles asylo gaudeant disputatur inter DD. Sententia probabilior quae medio passu inter alias incedit putat, etiam infideles gaudere immunitate ecclesiastica, si ad eam confugiant, et velint converti. Hoc autem praesumendum est, quando ante patratum delictum, et conce-

plum judicis timorem signa conversionis dederint; at si post, simulata baptismi petitio praesumenda.

Clerici, et religiosi gaudent hac immunitate respectu judicum saecularium, non vero respectu judicis ecclesiastici iu criminibus exceptis. Dubium procedit solum de non exceptis, et quidem respectu judicis ecclesiastici tantum. Variant DD. Tutior via videtur uti distinctione, et fateri extrahi ab ecclesia clericos, et religiosos posse a magistratu suo ecclesiastico, ut puniantur causa disciplinae, et correctionis ecclesiasticae; non vero extrahi ab eodem posse, ut tradantur judici, et brachio saeculari, nisi in criminibus exceptis.

Etiam debitores fugientes ad ecclesiam, alias carceri, mancipandi, gaudent asylo, ne inde abstrahi ad carcerem possint.

Proceditque hoc etiam 1. in mercatoribus, et campsoribus, 2. in debitoribus tributorum 3. in obligatis ad ratiocinia respectu alicujus administrationis. 4. in fraudulento decoctore suae substantiae.

Ei etiam prodest immunitas, qui cum jam esset a potestate saeculari comprehensus, et carcere conclusus, isto effracto, ad ecclesiam fugit.

Immunitate quoque universim gaudet, qui fide data custodi, et juramento praestito, quod redire velit, e carcere dimissus, se recipit in locum sacrum, nisi reus incarceratus sit pro crimine excepto.

Regula igitur est, immunitate locali defendi omnes, et quoscumque reos; nisi specialiter a jure excipiantur.

Excipiuntur autem 1. latrones publici: 2. publici grassatores viarum: 3. depopulatores agrorum: 4. committens homicidium, vel mutilationem membrorum in ecclesia, vel hujus coemeterio: 5. homicidia proditoris: 6. assassini: 7. rei criminis haereseos: 8. rei criminis laesae majestatis in ipsam personam principis.

His Innocentius XIII. addidit 1. Interficientes proximum suum animo praemeditato, et deliberato. 2. Falsificantes litteras apostolicas. 3. Ministros montis pietatis, vel alterius telonii aut banci pro depositis destinati, falsitatem aut furtum in praedictis locis committentes. 4. Monetarum falsarios. 5. Illos demum qui nomine curiae sese introducunt in alienas domos ibiq. rapinas perpetrant cum homicidio aut mutilatione alicujus ex domesticis earumdem.

Latro publicus ille dicitur qui palam, et in via publica per insidias, aut per violentiam in domibus privatorum aggrediuntur homines, eos spoliant, et resistentibus vulnera aut etiam caedes inferunt.

Digitized by Google

Ut propter latrocinium aliquis privetur immunitate opus est, ut illud pluries commiserit, aut si semel tantum, ut de illo certo constet.

Ex quo sequitur asylo protegi et defendi 1. fur simplex, imo et qualificatus modo non adhibeat violentiam, 2. ille qui per insidias, clam, et in via privata est depraedatus aliquem, 3. ille qui in via, publica hominis depraedationem at tentavit, 4. qui hominem palam in via publica depraedatus est semel.

Grassatores viarum illi dicuntur, qui quasi cum impetu gradiuntur, ut viatores quibus insidiantur in viis publicis, spolient.

Ut privatio immunitatis ex crimine hoc inducatur communiter DD. requirunt 1. ut fiat cum violentia, 2. ut obsideat vias frequentatas, 3. ut pluries tanti sceleris fuerit reus.

Depopulator agrorum nocturnus ille dicitur, qui de nocte ex proposito ignem apponit segetibus, aut fructibus agrorum vel arborum, aut alio modo eos diripit, vel devastat.

Probabilius etiam diurnus talis depopulator ab immunitate asyli excluditur.

Coeterum dicendum est aliorum criminum, etiam gravissimorum, in ecclesia commissorum, reos ab asylo non excludi.

Qui vulnerat in ecclesia si mors vel mutilatio non sequatur, vel sequatur quidem sed per accidens, gaudet asylo quamvis magna sanguinis effusio sequuta sit.

Eadem immunitas patet illi, qui post delictum deprehensus a satellite cum ipso per vim intrat in ecclesiam, et ut si de illius manibus eximat, eumdem cum magna sanguinis effusione vulnerat.

Immunitate non privatur qui mutilat vel occidit per modum necessariae defensionis, quod plures extendunt etiam ad eos qui mutilant vel occidunt in ecclesia ex subita ira, non ex proposito. Qui vero ex proposito delinquunt in ecclesia, asylo excluduntur etiamsi ex praesumpta spe consequendae immunitatis delictum non admiserint.

Immunitate privatur, qui existens extra ecclesiam sagitta, sclopo, vel alio instrumento occidit existentem intra ecclesiam, vel viceversa.

Probabilius asylo defenditur, qui eaedem, vel mutilationem committit prope ecclesiam, in ejus atrio, scalis etc. saltem si post crimen perpetratum ad ecclesiam fuga se recipiat. Non tamen damnanda est praxis contraria.

Privationem immunitatis non incurrit qui mandat aliquem occidi, vel mutilari in ecclesia. Incurrit tamen, qui vi vel fraude, ac dolo extrahit aliquem ab ecclesia, et extractum occidit vel mutilat.

Delictum in ecclesia factum solum privat immunitate pro se, ita, ut pro aliis delictis reo stet immunitas illibata.

Qui in una ecclesia deliquit, et postea fugit ad aliam, non gaudet hujus immunitate.

Si delictum in ecclesia commissum sit ecclesiasticum, aut saltem delinquens sit ecclesiasticus solum a judice ecclesiastico puniri potest. At si delictum sit saeculare, et delinquens laicus, utrumque forum sortitur.

Homicidii proditorii acceptio duplex est, quarum una lata et impropria, altera stricta est et propria. *Priori* proditorie occidisse dicitur quicumque proximi, etiam inimici, vitae claudestina ejus circumventione, vel occulta machinatione quacumque insidiatur, cumque nihil mali praecaventem, adeoque impotentem aggreditur et necat. *Posteriori* ille dumtaxat; qui sub specie amicitiae, nullo praecedente rancore, nihil mali suspicantem occidit.

Crimen hoc utroque modo acceptum gravissimum est; asylo tamen solum secundo modo acceptum excludit.

Assassini hodie proprie vocantur quicumque tam fideles, quam infideles, qui pecunia aut alia re pretio aestimabili data, vel promissa conducti, aliquem cujuscumque status, vel conditionis christianum, non praecaventem occidunt, vel etiam occidi mandant; utrique enim asylo privantur, quod ad eos quoque extenditur, qui assassinum receptaverint, vel defenderint, vel occultaverint, ut haec vere causa fuerint necis per illum illatae.

Ut asyliae privatio incurratur per assassinium, et verus assassinus dici aliquis possit requiritur 1. ut interveniat pretium, vel alia res pretio aestimabilis, 2. ut promissio pretii facta sit ante scelus patratum, et pro ipso scelere, 3, ut promissio sit certa, et specifica, 4. ut promissio, et praestatio sit in notabili, 5. ut pretii datio sit in potestate promittentis.

Probabilius, spectato juris rigore, ab eo qui pretio conductus occidit infidelem non committitur assassinii crimen, saltem tale, quod asylo privet.

Non privatur asylo, qui pecunia conducitur non ad occidendum, sed ad vulnerandum, deformandum, mutilandum dumtaxat.

Ex causa assassinii *mandans* privatur asylo etiamsi mors non sit secuuta, *mandatarius* non privatur.

Privatur asylo tamquam assassinus ille, qui pecunia conductus falsum deponit in judicio, vel judex, qui similiter pecunia, vel alio aequivalente corruptus innocentem ad mortem damnat, et is mortem consequatur.

Digitized by Google

Ut propter *crimen laesae majestatis* aliquis privilegium asyli perdat requiritur,

1.° ut crimen tale patratum sit in personam principis ipsiusmet.

2.° ut delinquens sit principi, cujus personam laesit, subjectus vel ratione originis, vel ratione domicilii.

3.° ut persona principis laesa fuerit a delinquente, actionem aliquam positivam in ejus damnum vel offensam exercendo, quamvis haec effectum non sortiatur.

Coeterum praeter casus adhuc positos dicendum, nisi per contrariam consuetudinem, videntibus, et consentientibus praelatis ecclesiae, aliud constet, nullum esse aliud crimen, quod immunitate ecclesiae delinquentem privet.

Atque hinc immunitate ecclesiae gaudent 1. *raptores virginum*, *et adulteri*, 2. *Sodomitae*, 3. *rei furti sacrilegi*, *vel alterius sacrilegii*, 4. *Blasphemii*, 5. *Simoniaci*, 6. *perjuri et falsi testes*, 7. *incendiarii*, *et violatores ecclesiarum*.

Quare instar regulae esse debet quod immunitate locali defendi debeant omnes, et quicumque rei cujuscumque criminis, si hoc specialiter in jure non sit exceptum.

Effectus quos secum trahit immunitas localis sunt privilegia, quibus rei ad sacra loca confugientes gaudent; cujusmodi non pauca, nec contemnenda sunt. Nam

1.° Rei ad ea confugientes recipiendi sunt, nec repelli possunt.

2.° Rei recepti, nisi criminis excepti rei sint, extrahi inde, vel extrudi inviti nequeunt.

3.° Ad ecclesiam confugiens nequit in illa capi, incarcerari, ligari vinculis, aut alia vis eidem inferri.

4.° Magistratus saecularis prohibere vel impedire non potest, quominus victus, vestitus, et reliqua vitae necessaria ad reum in ecclesia deferantur.

5.° Bona, quae delinquens ad ecclesiam secum tulit, si propria ejusdem sint, auferri eidem nequeunt.

6.° Non potest reus, dum in ecclesia existit, per sententiam judicis damnari ad mortem, vel aliam poenam corporalem, et gravem.

7.° Si reus ab ecclesia extra casus exceptos extractus fuit, ante omnia restitui ecclesiae debet.

8.° Exactio, et totus processus post extractionem a judice saeculari institutus nullus omnino, et irritus est.

9.° Denique judici volenti reum extrahere e loco sacro, ultra casus permissos, resistere potest et reus, et ecclesia.

Cum reo confugiente ad ecclesiam ita procedi debet

1.° rectoribus ecclesiarum incumbit servare vitam et membra confugae.

2.° Clerici tamdiu servare debent reum, nec eum ad examen judicis saecularis tradere prius, quam ipse etiam jurato de impunitate rei promiserit.

3.° Judices saeculares non tantum salva justitia poterunt, sed etiam tenebuntur confugae, si crimen exceptum non sit, poenam corporalem remittere.

Si reus sponte et nulla causa cogente, vel blauditis absque dolo, vel dolo alicujus privatae personae inscio judice saeculari inductus, asylum deseruerit beneficio illius non amplius munitur, adeoque capi, inquiri et puniri a judice potest.

Quod si vel ex necessitate naturali egressus sit vel per metum injuste illatum et non vanum, vel fraude aut dolo ipsius judicis, aut hujus auctoritate ad egrediendum inductus sit, immunis a saeculari jurisdictione est confuga, ac si adhuc existeret in ecclesia.

Hodierno jure spectato, probabilius, reus criminis non excepti invitus consignari curiae saeculari, illum exposcenti, non potest sine licentia papae, vel alterius ab eo habentis potestatem ejusmodi licentiam concedendi pro casibus, quibus eidem videatur justa et rationabilis adesse causa permittendi extractionem.

Reus consentiens ex asylo quidem egredi sponte potest, et sic egressus apprehendi a magistratu saeculari; at vero extrahi ipse non potest sine consensu ecclesiae.

Reus ligari, vel alia via custodiri interim a judice saeculari non potest, dum ab ordinario examinetur causa, an gaudere immunitate debeat.

Rector ecclesiae, ad quam confugit reus, casu quo dubitatur, an ille asylo gaudeat tenetur aliquo modo confugientem custodire, ne fugiat; vel saltem interea reus potest transferri ad carcerem juris ecclesiastici.

Reus ad asylum confugiens non corporali sed pecuniaria poena potest affici.

Curiae saeculari reum criminis non excepti asylo extrahere volente resisti potest tum a reo laico vim vi repellendo, tum ab ecclesia fores claudendo et adhibendo alia media idonea, et ab ecclesiastico statu non aliena: quae si non sufficiant, pastores ecclesiae interdum uti auxilio laicorum ad ecclesiam defendendam poterunt.

Judex, qui reum ab ecclesia violenter extraxit 1. ante omnia illum debet restituere ecclesiae, 2. tenetur judex reparare reo omnia

damna inde consequentia. 3. omnes actus judiciales postea facti circa hujusmodi reum ipso jure sunt nulli.

Reus in asylo bonis propriis alendus est; si haec praesto non sunt, tenebitur quidem supplere defectum ecclesia, cujus tamen sumptus factos in alimenta manet confuga obstrictus compensare. Quod si hic bona propria non habet, ad ejus sustentationem tenentur consanguinei, et si hi non possint, ecclesia.

In casu non excepto non potest confuga extradi judici saeculari ad poenam. Et extradens, si mors, vel mutilatio rei sequatur, incurrit irregularitatem.

Modus tenendus, cum delinquens in casibus exceptis tradendus est curiae saeculari praescribitur *a const. Innocent.*

Eo modo judices laici confugientem ad ecclesiam in casibus exceptis extrahere ab ea non possunt, non requisita prius licentia episcopi, aut hujus officialis, qui si culpabiliter recusent delinquentem tradere extrahi ipsis invitis potest. Sed tunc tria observari debent,

1.° ut casus sit clare exceptus.

2.° ut delinquens minori quo fieri potest scandalo extrahatur.

3.° ut ad carcerem curiae ecclesiasticae non saecularis deferatur quousque per superiorem cognoscatur, quod ipse non debeat immunitate gaudere.

Cognitio, an casus sit exceptus vel non ab immunitate ad judicem ecclesiasticum pertinet, cui quoque pertinet cognoscere, an locus quo se recipit confuga, privilegio immunitatis gaudeat, et num confuga asylo gaudeat.

Cognoscere, an crimen, quod confuga commisit sit exceptum, potest 1. episcopus: 2. capitulum sede episcopali vacante: 3. vicarius generalis utriusque. Alii praelati episcopo inferiores non possunt.

Ut episcopus confugam ex asylo extradere possit, ut consignetur curiae saeculari, ex merito delicti puniendus, requiritur, ut cognoscat quod delictum sit exceptum, per probationem concludentem, nec sufficit, si praesumptionibus et conjecturis probabilis fiat.

Casu, quo constat ex processu facto a judice saeculari, an crimen sit exceptum, vel non, judex ecclesiasticus stare non tenetur processu isto in hujus causae cognitione.

Modus quo procedere in cognitione causae episcopus debet, est hujusmodi

1.° Citanda est ecclesia, seu nomine illius promotor fiscalis, cui jura ecclesiae defendere competit.

2.° Audiendus etiam est reus.
3.° Concedendae tum ecclesiae, tum delinquenti sunt dilationes, quae necessariae ipsis fuerint ad defendenda jura sua.
4.° Testes examinati in processu informativo, postea citato, et audito fisco ecclesiastico, et ipso reo, sunt repetendi, nisi forsan habeatur pro repetitis.
5.° Facto processu, publicatio fieri ejusdem debet, ut defensioni sit locus.

Libellus et litis contestatio hoc casu non est necessaria.

Si aliquando episcopus sententiam tulerit in favorem fori saecularis, non admittitur ab hac appellatio: at si lata sit in favorem rei plures existimant appellationem competere.

Extrahentes reum invitum, extra casus jure aut consuetudine exceptos, ex asylo per vim, committunt culpam gravissimam sacrilegii et injustitiae.

Qui reum indebite extrahit e loco sacro, jure civili incurrit poenam capitalem; jure canonico propter hoc delictum imponitur poena pecuniaria; et publica poenitentia.

Denique sic extrahentes incurrunt poenam excommunicationis majoris, a qua absolvi non possunt, nisi extractum restituant.

Olim censura ista erat ferendae sententiae, nunc dicendum est esse latae sententiae, eons. facto ipsa incurrenda.

Excommunicatio ista extendi debet ad omnes, qui extrahunt, vel extrahi faciunt rem, non observata praescripta forma, atque adeo eam incurrunt.
1.° Ministri curiae saecularis, si extrahant reum absque licentia episcopi, vel absque interventu personae ecclesiasticae.
2.° Judex qui extractionem mandat, vel a privatis personis; etiam eo inscio, extractum, in carcerem conjicit, vel non restituit.
3.° Quaelibet aliquae personae privatae, si reum aliquem ab ecclesia extrahant, vel ad id aliquo modo juvent.
4.° Multo magis qui de mandato judicis occiderent in ecclesia reum.

Contra excommunicationem hanc non incurrit, qui solum ratam habet extractionem rei.

Ut excommunicatio haec incurratur ab extrahentibus, vel extrahere attentantibus non requiritur ut extractio effectum habuerit sed sufficit attentatio: attamen 1.° requiritur ut ea in opus externum et consumationi proximum digressa fuerit.
2.° Requiritur pro foro saltem conscientiae, ut extrahens, vel attentans vere sciat se per hujusmodi opus incursurum censuram.

3.° Juxta aliquos DD. requiritur ut praeter haec extrahens vel attentans neget ecclesiae satisfactionem, et rei restitutionem.

Tutior in praxi sententia est eorum qui contendunt absolutionem ab hac excommunicatione reservatam esse summo pontifici, quamvis aeque probabilis videri possit quae tribuit talem facultatem etiam episcopis, et de horum licentia cuilibet alteri confessario.

Sicut in ecclesiis, quia domus Dei sunt, profani actus exerceri non possunt a personis ecclesiasticis, quod in sortem domini vocatae curis longe sublimioribus occupentur; et ideo non deceat illas negotiis saecularibus implicari.

In latiori sensu *negotia saecularia* appellantur omnia illa quae mundum, et carnem magis sapiunt, quam spiritum.

In strictiori sensu eo nomine veniunt ea quae etsi secundum se licita sint, ecclesiasticis personis tamen interdicuntur, quod ad reipublicae statum saecularem potius quam ecclesiasticum spectent.

Plura sub hoc nomine personis ecclesiasticis prohibentur, praesertim vero *negotiatio*, quae hic accipitur prout idem cum commercio est, quod juxta Ulpianum est *emendi vendendique jus invicem.*

Negotiatio sic accepta *alia* est rerum absolute, sive dominii, et proprietatis rerum acquirendarum vel transferendarum; *altera* non rerum absolute, sed usus, et fruitionis ipsarum rerum.

Dividitur negotiatio in oeconomicam, politicam, et lucrativam. *Prima* est, qua quis emit res ad sui, et familiae suae sustentationem necessarias, vel utiles, et superfluas eo pretio, quo tempore illa valent, divendit. *Secunda*, qua idem facit ad politiae, sive civitatis necessitates. *Tertia*, qua lucri capiendi causa res aliqua emitur et carius venditur.

Negotiatio *oeconomica* clericis et religiosis est licita: illicita autem *negotiatio politica*, et aperte prohibita *lucrativa*, nisi parvitas materiae, et ratio necessitatis excuset.

Clerici et religiosi possunt res, quae sint fructus fundorum propriorum, per artificium, laborem, industriam in aliam formam immutatas carius licite vendere, et distrahere. Idem facere possunt circa res quae non fundis propriis, sed aliunde coemptae et comparatae sint non lucri faciendi studio, sed alio honesto fine.

Religiosi licite vendunt pharmaca, quae ipsi sua industria et arte conficiunt.

Clerici et religiosi negotiationem sibi prohibitam exercentes per

Digitized by Google

alios effugiunt quidem poenas in clericos negotiatores per jus sancitas, sed inconvenienter suo statui semper agunt et peccatum veniale, aliquando usque ad mortale ingravescens committunt, saltem, si potiorem partem curae et sollicitudinis in negotiando sibi, extra casum necessitatis sibi reservent.

Omnibus omnino clericis *negotiatio* est interdicta nullis a ss. canonibus exceptis: idem de religiosis inter quos nonnisi novitii excipi possunt.

Qui probationem istam transgrediuntur hisce poenis onerantur.

1.° Incurrunt in excommunicationem majorem ferendae sententiae.

2.° Perdunt immunitatem a vectigalibus et portoriis.

3.° Clerici possunt suspendi ab officio: imo etiam deponi a gradu, et ordine clericali; religiosi gravius puniendi.

4.° Omnia bona, per hujusmodi negotiationem acquisita, quae post ipsorum obitum extant, etiamsi facultate testandi accepta, testati fuerint, tamquam spolia ad fiscum ecclesiae, sive cameram apostolicam pertinent.

Praeter negotiationem alii quoque actus personis ecclesiasticis prohibentur nempe

1° *Agitatio judicii sanguinis.*

2.° *Ordinatio aciei*, et directio militum in pugna.

3.° *Exercitium artis chirurgicae.*

4.° *Procurationes, et administrationes* in rebus laicorum.

5.° *Officium tabellionis.*

6.° *Officium vice comitis* et praepositi saecularis.

Prima prohibitione intelligitur, quod a judicio criminali, in quo non imponitur poena sanguinis, sed alia tam episcopus quam alius ejus vice clericus cognoscere potest: circa judicium criminale autem ubi sanguinis poena imponitur, immediate et per se clericus nihil potest omnino, sed illud alteri potest delegare eique injungere ut veritatem exquirat, et justitiae debitum exequatur.

Altera prohibitio complectitur omnes clericos beneficium habentes, et perseverare in clericatu volentes.

A tertia prohibitione excipiuntur tantum clerici et religiosi artem chirurgicam ob causam pietatis exercentes.

Procurationem et administrationem pro laicis in se personae ecclesiasticae suscipere tantum possunt coram judice ecclesiastico, saltem in causis ecclesiasticis; coram judice vero saeculari, et extra judicium nonnisi ex charitate et amicitia possunt, sed ad unum vel alterum negotium solummodo.

Officium tabellionis exercere probabilius possunt clerici etiam con-

Digitized by Google

stituti in sacris si competens ab ecclesia beneficium non habeant, nec aliunde ex quo commode vivant.

Clerici vero beneficium tale habentes exercere officium tabellionatus possunt 1. favore fidei in causa haeresis. 2. in curia romana et tamquam papae notarii. 3. in iis locis in quibus ea vigeat consuetudo pro causis ecclesiasticis.

Religiosus, qui in seculo tabellio fuit inchoatum tunc temporis instrumentum, etiam post professionem complere potest.

Novum instrumentum a jam *religioso* sine licentia abbatis confectum ipso jure nullum est.

Si clericus saecularis instrumentum confecit, antequam ipsi saltem publice interdiceretur officium tabellionatus, instrumentum licet illicite factum, tenet tamen et fidem facit.

Gubernationem civitatis, provinciae etc. sine dispensatione pontitificia gerere ne possunt quidem clerici non sacerdotes, qui tamen gerentes, excommunicationem non incurrunt sicut sacerdotes.

Praelatus, vel alius clericus, docente praxi, potest esse consiliarius principis saecularis: vitare tamen debet, ne consilium suum dicendo circa causam criminalem irregularis fiat.

Clericis et religiosis prohibetur studium medicinae et juris civilis, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae neque possunt ad hoc superiores regulares iidem religiosis suis dare licentiam.

Prohibitio haec comprehendit clericos tantum dignitatem vel personatum obtinentes, et praesbyteros quoscumque.

Ut religiosi poenas his juribus statutas incurrant, tria debent concurrere. 1. ut talis sit vere religiosus, seu adstrictus votis substantialibus. 2. ut vel hac intentione egrediatur e monasterio, vel ex alio fine egressus, extra illud perseveret animo navandi operam medicinae et juri civili: 3. ut postquam e claustro suo egressus religiosus est, et ad disciplinarum illarum studium adjecit animum, intra duorum mensium spatium ad monasterium suum non sit reversus.

Ut poena excommunicationis incurratur a clericis saecularibus, sufficit, ubivis audiant leges vel medicinam etiam in propriis domibus.

Immunes inter clericos saeculares a poena sunt 1. rectores ecclesiarum parochialium. 2. clerici presbytero inferiores. 3. ii qui a papa licentiam obtinuerunt audiendi jus civile et medicinam.

Doctrina magis recepta est quae monet posse clericos, et regulares per se, et spectato jure comuni docere medicinam et jus civile.

Posse ad gradus doctoratus in praedictis disciplinis clericos et religiosos, si scientias has ante clericatum, vel professionem didicerint, istos quidem cum licentia suorum praelatorum, illos vero etiam sine licentia sui ordinarii communi voto DD. concedunt. Gradus autem hujusmodi susceptus a religioso absque licentia superioris validus quidem est, quamvis religiosus illicite operetur.

Quidquid sit de jure scripto, summa legum utilitas, vel necessitas, ad rite intelligendos ss. canones occasio fuit pluribus universitatibus concessi privilegii apostolici, quo audire leges in iisdem etiam clerici, et religiosi possunt.

Hujusmodi privilegiis seclusis, excommunicationem latam incurrit etiam religiosus qui ad leges, vel physicam audiendam egressus est monasterio, sed ob interveniens impedimentum disciplinis illis non vacat; aliud est si propositum egressus mutaverit.

Doctores et magistri, qui religiosos, habitu dimisso, leges vel medicinam audientes, scienter docent, aut in scholis suis retinere praesumunt ipso facto incurrunt excommunicationem, quae vero ut incurratur requiritur. 1. ut religiosi tales audiant leges vel medicinam. 2. ut habitu dimisso his studiis vacent. 3. ut magistri scienter religiosos doceant, vel retineant. 4. ut doceant, vel retineant positive concurrendo ut religiosus in scholis permaneat. 5. ut religiosos ejusmodi qui retinent, in scholis retineant. 6. ut qui sic retinentur vel docentur vere sint religiosi.

Qui habitum regularem dimittunt, incurrunt excommunicationem ipso facto. Ad quod requiritur

1.° Ut religio, quam profitetur talis religiosus, habeat certum habitum.

2.° Ut religiosus exiens e monasterio habitum deponat.

3.° Ut tempus, ad quod habitum deponit non sit admodum breve.

4.° Ut habitus totus dimittatur.

5.° Ut dimissio habitus sit temeraria.

Monachi, qui saeculariter vivunt, et alios exemplo suo corrumpunt, ad observantiam regularem, appellatione remota, compelli debent. Quod si ausu temerario restiterint, illis ejectis, fratres alterius ordinis (si non potest monasterium ex religiosis ejusdem ordinis reformari) in illud inducendi sunt, ut vel in perperpetuum ibi maneant, si priores monachi in perpetuum sint expulsi; vel ad tempus solum donec illi qui ob incorregibilita-

Digitized by Google

tem ejecti sunt, rubore tandem perfusi ad sui ordinis observantiam revertantur.

Sponsalia a *spondendo* dicta sunt, et quamquam plures significationes hoc nomen sub se contineat, tamen magis proprie pro *futuri matrimonii promissione* accipitur; et aliquoties additur *de futuro* ad distinctionem matrimonii rati, quae appellantur *sponsalia de praesenti*.

Primum et principale discrimen inter sponsalia de futuro, et illa de praesenti est, quod sponsalia de futuro multis modis dissolvi possunt; contra sponsalia de praesenti non nisi duobus, professione religiosa, et dispensatione pontificia.

Contrahentes sponsalia de futuro vocantur *sponsi*; contrahentes sponsalia de praesenti secundum communem, et frequentiorem usum *conjuges*.

Sponsalia stricte accepta, seu de futuro sunt *mentio et repromissio futurarum nuptiarum*.

Generatim loquendo ab illis solum contrahi sponsalia possunt, inter quos *aliquando* matrimonium consistere licite et valide potest.

Specialiter prohibentur contrahere sponsalia 1. infantes, 2. amentes et furiosi; non autem muti et surdi et coeci.

Ad sponsalia contrahenda ea rationis advertentia et voluntatis libertas requiritur, quae sufficit ad moraliter peccandum.

Regulariter loquendo valida sunt sponsalia, quae ira vel alia simili passione impellente contracta sunt, quia tales animi affectiones communiter hominem non ita perturbant, neque adeo rationis usum, et voluntatis libertatem tollunt.

Tunc dicitur fictionem tollere valorem sponsalium, cum is qui spondet non habet animum promittendi, sed verba solum pronuntiat, positive excludens animum se obligandi. Secus autem tenendum est, si promittens habet quidem animum promittendi, non tamen animum adimplendi; quum hoc contradictionem implicet.

Qui spe futuri matrimonii virginem defloravit tenetur vel ad defloratam ducendam, vel ad satisfaciendum alio modo, nempe costituendo vel augendo ei dotem.

Id autem intelligendum cum fictio facile deprehendi non potuit, non vero, cum fallax animus ob nimiam inaequalitatem conditionis, vel ex aliis circumstantiis non difficulter adverti posset.

Quemadmodum matrimonia contrahi non possunt, nisi cum una, eaque certa et determinata persona; ita nec sponsalia; hinc sequitur, non obligari illum, qui promittit se unam ex tribus soro-

ribus ductorum; nisi vero cum una trium supervenerit copula carnalis.

Et quemadmodum matrimonium, utpote contractus, exigit acceptationem promissarii; ita etiam in sponsalibus necesse est, ut accedat acceptatio alterius partis; et antequam haec emittatur, revocari a promittente potest.

Insuper non tantum sufficit acceptatio promissionis matrimonii, sed etiam requiritur *repromissio* ex altera etiam parte; quae tamen aliquoties colligitur ex circumstantiis adfuisse.

Promissio sponsalitia nequit esse interna, sed signis externis exprimi debet; etiam per procuratorem et internuntium quia, ut dictum est, dirigi debet ad alterum, a quo ipsa intelligi, acceptarique, et repromissio fieri debet.

Porro de validitate sponsalium decisio principaliter desumenda est ex circumstantiis et mente contrahentium.

Taciturnitas sponsi vel sponsae ad oblatas sibi nuptias tunc solum praesupponit consensum, cum quis taceat ad sponsalia contracta ejus nomine à parentibus.

Contractus sponsalium de futuro probari potest non solum per testes, et scripturam authenticam desuper confectam, sed etiam per epistolam; quia haec contra scribentem plane probat.

Primus effectus sponsalium est obligatio inde orta, quae nempe impedit quominus contrahere licite matrimonium possit cum alia, qui uni per sponsalia est obligatus.

Fornicatio sponsi aut sponsae cum altera persona non solum inducit intemperantiae peccatum, sed etiam adversatur justitiae. Non autem adulterium censendum est.

Si sponsus absque justa causa obligationem suam adimplere non vult, is censuris, aliisque poenis ecclesiasticis compelli potest; dummodo tamen aliter hoc impetrari non possit.

Impedimentum publicae honestatis nuncupatur illud ex sponsalibus, vel matrimonio rato ortum, et definitur *quaedam quasi affinitas ex inchoatione matrimonii per conjunctionem non corporum, sed animorum orta inter sponsos, et conjugio cum ipsorum consanguineis contrahendo obstans.*

Hoc impedimentum jure antiquo dirimebat usque ad quartum gradum inclusive, nullo habito discrimine inter sponsalia *de futuro*, et illa *de praesenti*. Hodie vero post Tridentinum concilium non nisi sponsalia de praesenti dirimunt usque ad quartum gradum; nam illa de futuro solum ad primum gradum sese extendunt.

Et hoc impedimentum est *perpetuum*, ita ut non cesset, etsi sponsalia ex quaecunque causa dissolvantur.

Sponsalia a copula carnali subsequuta olim ante concilium tridentinum pro matrimonio habebantur; hodie vero minime.

Pactum spousalibus quandoque appositum inhabitaadi in certo loco, communi fere sententia, tenetur obligatorium.

Arrhae vocantur illa munera, quae sponsae a sponso, aut vicissim huic ab illa in contractorum sponsalium signum, et matrimonii contrahendi pignus dantur, ita ut si nuptiae fuerint sequutae, repeti possunt; si vero secutum non fuerit matrimonium, injuste resiliens suas amittat, et si quas ipse accepit, duplicatas, hoc est, acceptas et alterum tantum, sive acceptarum aestimationem teneatur reddere.

Arrhae differunt a poenis, quae sponsalibus adjici solent, duplici ex ratione;

1.° quod ut arrha sit, necessario debet accedere traditio, secus si promissa tantum sit, potius habent rationem poenae

2.° quod arrhae plerunque in exigua quantitate tradantur; poena vero, cum solum promittatur facile ad majorem summam adscendit.

Arrhae constitui possunt etiam utrinque; et poenae adjici possunt ita, ut solvi debeant etiam a juste resiliente.

Sponsalia, ut alii humani contractus, dissolvi possunt, non solum morte naturali alterius sponsosum, sed etiam utroque superstite. Causae autem complures sunt.

1.° Si ab impubere contracta sint, solvuntur solo ejusdem pubertatem adepti dissensu.

2.° Si contracta sint inter puberes, vinculum eorum solvit mutuus contrahentium consensus.

3.° Solvuntur susceptione ordinis sacri

4.° Professione religionis a sede apostolica approbatae

5.° Fornicatione carnali alterius sponsi: 6. Sponsorum altero lapso in haeresim vel apostasiam. 7. Superveniente vel postea primum cognita notabili circumstantia ex parte alterius sponsi, qui illum deteriorem, et matrimonii contractum difficiliorem reddat. 8. Deficiente, vel non impleta conditione, sub qua sponsalia fuerunt inita. 9. Lapsu termini matrimonio ineundo praefixi. 10. Discessu sponsi in remotas partes, sponsa inscia, aut invita, secundum communem sententiam. 11. Legitima dispensatione superioris nempe summi pontificis.

Sponsalia a puberibus contracta, mutuo consensu dissolvi possunt, si justa aliqua causa urgeat.

Per fornicationem cum alio solvuntur sponsalia ex parte tantum in-

nocentis; nulla adhibita distinctione an masculus fornicaverit vel femina.

Casu, quo uterque sponsus fornicationem commisit, verior sententia est utrique sponso permissum esse recessum.

Fornicatio commissa ante sponsalia tunc solum sufficiens causa est resiliendi a contractu, cum fornicatio commissa sit a femina, non vero a masculo sponso.

Etiam notabilis mutatio seu circumstantia sponsalibus superveniens, aut ea praecedens, sed post contractum sponsalium primum cognita justam resiliendi a sponsalibus causam praebere potest.

Mutationes hujusmodi ad tria capita reduci possunt.

1.° Ex parte corporis ex. gr. deformitas magna superveniens alteri sponso, praesertim feminae: et gravis infirmitas, vel assiduus morbus

2.° Ex defectu animi, ex gr. quando unus illorum passus est gravem jacturam famae ex haeresi, veneficio, latrocinio etc. ortam; si ebrietati et rixis inveniatur deditus: si morum asperitas vel potius saevitia primum cognita sit

3.° Ex defectu fortunae; ex. gr. notabilis amissio bonorum, ubi distinguendum an unus solum jacturam hanc fecerit, an uterque. Si unus, alter solum qui similem jacturam passus non est resilire a sponsalibus potest. Si uterque, uterque habebit justam resiliendi causam, minus enim apti sunt ad onera matrimonii sustinenda.

Contra vero si post contracta sponsalia alteri sponsorum superveniant insperatae divitiae, nobilitas, dignitas etc. iste a sponsalibus resilire de jure non potest.

Sponsalia solvi possunt etiam dispensatione, sed a solo pontifice.

Matrimonium a matre dicitur, quia praecipue spectat procreationem prolis, prolis autem certa parens est mater, pater vero incertus; vel juxta alios, quia matris onus gravius est, cum illa prolem in utero et ex substantia sua alat.

Matrimonium duobus modis accipi potest 1. pro actuali contractu, in quo legitimae personae consensu verbis expresso se invicem obligant ad vitae societatem et generationis usum. 2. et frequentius, pro permanente et quasi perpetuo jugo viri et feminae idem est matrimonium ac conjugium. In utroque sensu accepto matrimonio accomodari potest definitio, quam ex canonibus DD. communiter sumunt, scilicet quod *matrimonium sit legitima conjunctio viri et mulieris individuam vitae, consuetudinem continens.*

Digitized by Google

Tripliciter dividitur matrimonium scilicet in *legitimum ratum et consummatum.*

Legitimum tantum illud est quod legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est, non tamen ecclesiae ratificationem, aut rationem sacramenti habet, quale olim in lege naturae et mosaica, ac hodie initur inter judaeos et gentiles.

Ratum, sive ecclesiae ratificatione approbatum, est quod secundum leges divinas et ecclesiasticas sanctiones contrahitur a fidelibus seu baptizatis, inter quos tamen post illud contractum nondum intercessit commercium, seu copula carnalis.

Consummatum denique, quod accedente carnali copula perfectum atque completum est.

Dividitur etiam matrimonium in verum, praesumptum et putativum *verum* est quod in veritate et cum valore contractum, atque ut tale probatum est uno ex modis, quo cetera negotia probari solent. *Praesumptum* quod a jure praesumitur. *Putativum* quod putatur legitime contractum esse, cum tamen ob latens aliquod impedimentum a parte rei sit nullum.

Matrimonium probari potest. 1. per attestationem parochi. 2. per duos testes etiam feminas, bonae famae. 3. ex libro matrimoniorum etc.

Casus, in quibus jura praesumunt matrimonium initum tres maxime sunt. 1. quando post sponsalia inter duas personas habiles absolute inita, secuta est copula carnalis inter easdem. 2. quando post sponsalia inita sub conditione; ante hujus eventum inter sponsos intercesserit carnale commercium. 3. quando post sponsalia de praesenti ab impuberibus contracta, inter eosdem, ubi pubertatem adepti fuerint, interveniunt signa ratificati consensus, qualia sunt non tantum carnis copula, sed etiam oscula, amplexus, munera, cohabitatio etc. et hoc ante Concilium tridentinum.

Dividitur etiam matrimonium in canonicum et politicum. *Canonicum* est, in quo concurrunt ea, quae a ss. canonibus ad matrimonium praescripta sunt. *Politicum* in quo concurrunt etiam illa, quae civiliter et politice requiruntur ad matrimonium, variae nimirum solemnitates, pacta dotalia etc.

Matrimonium ad *morganaticam*, seu *conscientiae* nihil aliud est, quam legitima conjunctio viri cum femina inferioris conditionis eo pacto inita, ut uxor et liberi inde nati dono nuptiali, vel alia certe portione, tempore sponsalium destinata, contenti sint.

A contrahendo matrimonio prohibentur. 1. *ob defectum judicii* in-

fautes, furiosi, amentes etc. 2. *ob vitium corporis* muti, surdi et coeci simul: item impotentes, seu inepti ad copulam conjugalem. 3. *ob defectum aetatis* impuberes; senes qui ad actum conjugalem inhabiles sunt: 4. *ob personae conditionem ac statum* clerici in sacris constituti, et religiosi professi. 5. ob impedimentum quodcunque sive impediens sive dirimens, nam prius matrimonium reddit illicitum, posterius, si revera subsit, invalidum.

Matrimonium etiam nunc per procuratorem valide contrahi potest.

Essentia matrimonii consistit. 1. in mutuo consensu, 2. in traditione corporum mutua; 3. in vinculo quodam ex hoc consensu et traditione orto; 4. in obligatione mutua ad reddendum debitum, quae nascitur ex isto vinculo; 5. jure reciproco ad hoc petendum; 6. denique in usu et consummatione matrimonii.

Consensus ad matrimonium requisitus debet esse liber, verus, mutuus, simultaneus, expressus voce vel aliis signis.

Matrimonium validum haberi debet etiamsi non servata fuerit lex et consuetudo loci, seu regionis; ratio est, quia matrimonium oritur ex institutione divina.

Matrimonium, prout contrahebatur in lege antiqua, conveniunt omnes quod fuerit contractus tantum naturalis, et non sacramentum, nisi late et improprie, quatenus scilicet aliquo modo figurabat conjunctionem Dei per gratiam, et Christi cum Ecclesia per carnem.

Sed matrimonium novae legis proprie et vere sacramentum est; et quoad hunc sensum definiri potest c conjuncio maritalis spiritualis gratiae collativa.

Materia hujus sacramenti sunt ipsa corpora conjugum, *forma* sunt verba vel alia signa consensum utriusque contrahentis exprimentia.

Ministri hujus sacramenti sunt ipsi contrahentes matrimonium, quod fidelis cum infideli ex apostolica dispensatione init, non est sacramentum ne quidem ex parte conjugis fidelis.

Matrimonium ab infidelibus contractum, etiamsi isti convertantur ad fidem non transit in sacramentum, ut probabilior sententia habetur.

Effectus matrimonii sunt triplicis generis, nam aliqui communes sunt utrique conjugi, alii marito, alii uxori proprii.

Effectus communes utrique conjugi sunt quinque, scilicet, 1. *gratia*, 2. *vinculum conjugale*, vi cujus obligantur ad individuam vitae societatem; 3. *fides conjugalis;* 4. *bonum prolis:*

Digitized by Google

3. *mutua rerum et bonorum communio* non quoad proprietatem, sed promiscuum usum.

Effectus singulares matrimonii ex parte mariti praecipue eminent duo, scilicet potestas *maritalis* et *patria*; illa se ad uxorem intendit, quam viro, tanquam capiti, in ordine ad gubernationem et administrationem domesticam subjicit juxta ordinationem divinam. *Ista* circa liberos occupatur, vi cujus maritus personas illorum regere, actiones ipsorum in bonum familiae dirigere, et res eorum (servata peculiorum distinctione) ad utilitatem propriam applicare conceditur.

Effectus matrimonii uxori proprii tres praecipue sunt.

1.° Quod participet dignitatem et nobilitatem mariti; 2. quod pleraque viri, veluti fori, sessionis, immunitatis etc. privilegia participet: 3. quod acquirat domicilium mariti. Addi potest etiam quartus, scilicet jus alimentorum, quae ipsi et familiae subministrare maritus debet.

Impedimentum matrimonii in genere describi potest quod sit *obstaculum morale*, seu *inhabilitas faciens ut matrimonium pro desiderio et voluntate contrahi nequeat.*

Sunt autem duplicis generis impedimenta matrimoniorum; nam aliqua sunt *impedientia* tantum, quia solum obstant nuptiarum justitiae et honestati, cum efficiant ut illicite contrahantur. Alia vero sunt *dirimentia*, quia obstant etiam illarum valori, et faciunt, ut non solum illicitae sed etiam invalidae sint.

Dirimentium septemdecim numerantur, et memoriae gratia in quatuor sequentes versus coguntur « Error, religio, triplex cognatio, crimen » Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas « Raptus, clandestina fides, impos coeundi, aetas, affines solvunt sponsalia cuncta »

Impedientia in hoc altero versu complectuntur; scilicet « Interdico, dies, votum, sponsalia, crimen »

Post tridentinum concilium indubium est, quod in ecclesiae potestate sit inducere impedimenta non solum impedientia, sed etiam dirimentia. Et *haec* soli tantum pontifici competunt; illa etiam *episcopis*.

Probabilior sententia est quod consuetudo etiam non specialiter a papa approbata, modo rationabilis et legitime praescripta sit, habeat facultatem introducendi nova impedimenta *impedientia.*

Impedimentis, quae jure divino et naturali inducta sunt, afficiuntur omnes plene homines. Et hinc sequitur, quod etsi apud aliquam gentem infidelium consuetudo sit ut jungatur matrimonio pater cum filia, mater cum filio etc. dissolvenda esse hu-

jusmodi matrimonia, si ita juncti ad fidem christianam transeant; quia nulla lex humana, vel consuetudo praevalere adversus legem divinam vel naturalem potest.

Impedimentis, quae introducta sunt solo jure ecclesiastico, afficiuntur soli fideles, seu baptizati, iique omnes, ubicumque degant, non vero etiam infideles.

Summus pontifex ex causa justa potest inter duas privatas personas matrimonium ita prohibere ut matrimonium contra hujusmodi prohibitionem contractum sit omnino irritum *vis* est *majoris rei impetus qui repelli non potest.*

Dividitur in vim absolutam et conditionalem. *Absoluta* liberum consensum omnino tollit, *conditionalis* dumtaxat minuit, dum involuntarium imperfectum seu conditionatum admiscet.

Porro metus multiplex est, nam *ratione causae* dividitur in eum qui infertur a causa necessaria, et in eum qui infertur a causa libera; ratione *modi* in eum, qui infertur juste, et in eum qui infertur injuste; ratione *qualitatis* in metum levem et gravem.

Metus est impedimentum dirimens, et quidem non infimi loci, nam per illud matrimonia nulla declarantur et irrita.

Metus levis non irritat matrimonium, gravis tunc solum irritat, cum injuste incussus sit; et hujusmodi matrimonium non solum nullum est jure naturali, sed etiam jure ecclesiastico.

Matrimonium metu contractum nec ratificari potest adjecto etiam juramento.

Solum matrimonium gravi metu extortum, et propterea nullum firmatur per copulam, quae libere et affectu conjugali habita sit.

Qui metu injuste incusso extorsit nuptias, per se loquendo non obligatur cum eo qui metum passus est, si iste vellet purgato metu, vere contrahere matrimonium; nisi tamen metum passo grave et aliter, quam per conjugium irreparabile, damnum illatum fuerit.

Mulier, quae dicit se in matrimonium consensisse metu gravi injuste illato audienda quidem erit, si ad hoc probandum prompta sit; cum enim ejus illatio quid facti et delicti sit, sine probatione nunquam praesumitur.

Quando, consideratis omnibus, dubium sit, utrum metus injuste ad matrimonium contrahendum incussus gravis sit censendus, an non, adeoque utrum matrimonium irritum an validum sit, judicandum pro valore matrimonii.

Quanquam error stricte sumptus distinguatur ab ingnorantia et sub

Digitized by Google

hoc sensu a D. August. dicatur *errare* idem esse ac *unum pro alio putare*, tamen hic late accipitur, pro ut etiam ignorantiam includit, cum in ordine ad inducendum impedimentum in matrimonium perinde sit, an ignorantia, an error positivus intervenerit.

Error in contractu connubiali dupliciter contingere potest, scilicet vel circa *substantiam*, ut loquuntur, aut individuum personae, cum qua matrimonium initur; vel circa *qualitatem* et accidentia ejusdem.

Error circa qualitatem aliquando redundat in substantiam et individuum personae, quod evenit cum qualitas, circa quam ille versatur, est omnino singularis et certum individuum denotans ex. gr. quod is, cum quo matrimonium initur, sit certi regis filius, vel filia; aut cum qualitas aliqua est unicus finis matrimonii, ita ut hoc unice eligatur, tanquam medium ad finem; v. g. si juvenis opibus pollens, sed non nobilis ut ornet familiam suam aliunde adscito splendore, inducatur ad contrahendum matrimonium cum puella, quae se illustri sanguine procreatam dolose mentitur.

Error quoad substantiam personae matrimonium reddit invalidum; perinde ac in omni contractu observatur.

Et hujusmodi error vitiat omnem contractum ac proinde etiam matrimonium, sive sit antecedens, sive concomitans.

Error quoad qualitatem, nisi in substantiam et in individuum personae redundet, nunquam valori matrimonii obest.

Quando vero error qualitatis involvat errorem personae quaestio est facti, circa quam etiam ipsi DD. discordes sunt.

Si alter, vel uterque contrahentium per errorem credat se laborare impedimento dirimente, quod revera non subest, probabilius tenendum est hujusmodi matrimonium esse validum.

De desponsatione impuberum, circa aetatem tria tractari solent 1.° Quaenam aetas requiratur ad sponsalia. 2. Quae requiratur ad matrimonium contrahendum; 3. an ad sponsalia, et matrimonium contractum a liberis requiratur etiam parentum consensus.

Aetas, quae requiritur ad contrahenda sponsalia de futuro est septennium; et hoc circa sponsalia procedit tam in mare, quam in femina, nulla distinctione adhibita, secus ac in contractu matrimonii.

Sponsalia contracta a minore septennio regulariter irrita sunt jure naturali.

Promissio matrimonii a pubere infanti facta antequam ab isto ratio-

Digitized by Google

nis usum adepto ratificetur valet saltem in vim simplicis promissionis, ita ut a promittente ante acceptationesu ejus revocari nequit.

Sed si usus rationis septenninm antevertat, sponsalia ante istud impleta certum est subsistere saltem de jure naturali, quia hoc jure ad sponsalia plus non requiritur quam consensus; Imo multi doctores etiam de jure positivo contendunt subsistere.

Valent etiam sponsalia in quacumque aetate malitia aetatem praeveniat et quocumque modo, ordinario vel extraordinario per miraculum.

Probabilius videtur ad sponsalia contrahenda sufficere eum rationis usum, qui satis est ut puer talis nondum septennis possit peccare mortaliter.

Quando malitia, seu prudentia aetatis defectum non supplet, septennium ad sponsalia requisitum debet esse completum physice, non moraliter, ut scilicet desint aliqui dies.

Si uterque impubes fuit, cum sponsalia contraxit, antequam pubertas adveniat, neuter a sponsalibus jam contractis resilire potest, ant consensu etiam mutuo illa dissolvere. Si autem pubertatem adepti siut, resilire pro libitu suo possunt, etiam sine alia ratione.

Quod si autem pubes cum impubere septennio major contraxit sponsalia, resilire quidem impubes pubertatem adeptus potest, pubes tamen non potest, si impubes stare velit sponsalibus.

Pubertatem adeptus debet statim resilire a sponsalibus; porro *statim* resilire censebitur, si circiter triduo ante, vel post pubertatem adeptam a sponsalibus resiliat.

Si impubes ante pubertatem resiliat a sponsalibus et postea non mutet eum dissensum, nec amplius recordetur post pubertatem dicendum est dissolvi sponsalia.

Aetas legitima ad matrimonium contrahendum est pubertas, sive annus 14 in masculo, et 12 in foemina; quae aetas jure ecclesiastico tantum requiritur, nam summus pontifex ex justa aliqua causa potest ab aetate dispensare; imo ex causa urgengentissima etiam episcopus.

Matrimonium ante annos pubertatis contractum, nulla praevia dispensatione, validum est, si malitia aetatem praeveniat.

Casu, quo non constat, quod malitia aetatem suppleat annus 12 in femina, et 14 in mare debet esse completus; ut contrahi matrimonium possit, non tamen debet aetas ista et annus esse completus physice omnino, sed sufficit si moraliter.

Matrimonium initum inter puberem et impuberem vel duos impu-

beres, in quibus malitia aetatis defectum non supplet valet saltem in vim sponsalium si haec expresse non excluserint per intentionem suam contrahendo matrimonium; secus autem si expresse excluserint.

Si puella impubes desponsata fuit et traducta domnm viri, et illa pubes facta petat licentiam nubendi alteri, audiri debet.

Satis certum est non peccari per contracta sponsalia aute septennium, sed dicendum matrimonium ab impuberibus, in quibus aetatem non supplet malitia celebratum, extra urgentisimam causam a gravi culpa excusari non posse.

Matrimonia a liberis contracta, parentibus inconsultis, vel etiam invitis, de facto sunt valida etiam de jure antiquo canonico.

Negari autem non potest, quod filius aut filia pecceut graviter, si absque justa causa contrahant matrimonium non exquisito parentum consensu.

Item peccant, si exquisierint quidem, at contradixerint parentes, justamque habuerint contradicendi causam.

Quod si vero parentes nullam habeant justam causam contrsdicendi licite, etiam illis non consentientibus vel contradicentibus per jus tamen consultis, libere matrimonium inire possunt.

Sponsalia liberorum valida parentes nunquam irritare possunt; nec item possunt parentes compellere liberos ad ineunda conjugia, quae ipsi contrahere recusent.

Si filius, parentibus invitis, matrimonium contrahere velit, non potest a patre exhaeredari; si vero filia sit, ut exhaeredetur, haec tres conditiones concurrere debent.

1.° Ut parentes velint eam matrimonio collocare, et dotem secundum vires suae substantiae tradere. 2. Ut filia matrimonio illi repugnet, et simul luxoriosam vitam eligat. 3. Ut sit minor 25 annis.

Denuntiationum nomine intelliguntur proclamationes, sive admonitiones publicae, quae praemittuntur matrimonio contrahendo in eum finem, ut siquis aliquod canonicum impedimentum novit inter sponsos, intra terminum competentem illud manifestet parocho.

Matrimonium absque dispensatione, denuntiationibus non praemissis, illicitum est non solum, sed peccant lethaliter tum parochus assistens matrimonio, tum contrahentes, si denuntiationes culpabiliter omittantur. Validum tamen semper haberi debet.

Hujusmodi denuntiationes regulariter fieri debent per parochum proprium inter missarum solemnia; et tribus diebus festivis, et fie-

ri possunt quocunque tempore, etiamsi tale sit, quo nuptiae alias celebrari prohibentur.

Hodierno jure ut omittantur denuntiationes dispensare potest ordinarius, sub quo nomine venit non tantum episcopus et sedis apostolicae delegatus, sed etiam capitulum sede vacante, et praelati quicunque, qui jurisdictionem quasi episcopalem in certum territorium et populum obtinent; imo etiam vicarius generalis.

Et episcopus potest hanc facultatem dispensandi in denuntiationibus etiam alteri delegare.

Causae, ob quas denuntiationes remitti possunt, hae referuntur praecipuae.

1.° Quando adest probabilis suspicio et timor, ne si tot praecesserint denunciationes, matrimonium malitiose impediatur. 2. Si per denunciationes sponsi exponerentur pudori et ludibrio hominum; quod plerumque contingit, si senex cum juvencula, nobilis cum plebeja sit copulandus. 3. Si ex publicatione matrimonii scandalum publicum infamiae, vel aliud damnum corporis, aut animi, ut si concubinarius concubinam, quae publico existimabitur esse ipsius uxor, velit uxorem ducere. 4. Si reges, duces, aliique magnates contrahant, horum enim connubia, quia ignota esse non solent, propterea etiam denuntiari non consueverunt. 5. Si instet tempus adventus vel quadragesimae etc.

Omnes de populo *per se loquendo* obligantur sub peccato mortali, post factas proclamationes, non solum ex praecepto ecclesiae, sed etiam divino et naturali, ut impedimentum detegant, si quod intercedit inter sponsos.

Si ordinarius petat a volentibus contrahere matrimonium an laborent impedimento aliquo, ipsi tenentur hoc manifestare, quamvis occultum fuerit.

Si parochus impedimentum ab altero contrahentium intellexit in ipsa confessione sacramentali, tenetur quidem monere illum ut a contractu matrimonii desistat, et absolutionem denegare tanquam indisposito: si tamen ille matrimonium contrahere nihilominus velit, assistentiam suam illi denegare non potest.

Si denuntiationes ante matrimonii contractum omissae fuerint, suppleri possunt post illius contractum ante consummationem.

Quoties denunciationes absque dispensatione et nulla causa urgente omissae sunt, et matrimonium sine illis contractum est cum impedimento dirimente, non solum invalidum redditur, verum etiam proles ab illo matrimonio suscepta est illegitima. Qui casus differt

ab eo, quo vel alteruter vel uterque bona fide cum impedimento occulto matrimonium contraxit praemissis denunciationibus, nam istorum filii, etsi matrimonium invalidum sit, legitimi sunt.

Alia etiam poena infligitur iis, qui sine ulla praevia denunciatione matrimonium contraxerunt cum aliquo dirimente impedimento, quod scilicet spes illis adimitur obtinendae dispensationis super illo postea detecto.

Parochus, vel alter sacerdos extraneus, qui assistat matrimonio, denunciationibus non praemissis, suspenditur ab officio per triennium, et aliquoties graviori etiam poena plectitur.

Matrimonia contracta sine parocho et testibus, quae proprie clandestina vocantur, jure novo tantum, hoc est tridentino irritata sunt.

Ante tridentinum concilium, et nunc in locis, ubi concilium illud receptum non est, sunt varii casus, quibus permittitur matrimonium clandestinum contrahere, qui casus quinque enumerantur scilicet 1. si ita contrahentes evadere possint subitum periculum mortis; 2. si timor probabilis esset, ne adhibendo testes matrimonium malitiose impediatur, 3. si expectando testes, amitterent sponsi magnam opportunitatem matrimonium contrahendi. 4. si sine gravi damno palam non possint contrahere, ut si virgo, sub tutoris potestate constituta, merito teneat se tradendam viro pravo, vel alias indigno ab iniquo tutore, 5. si post matrimonium, semel publice contractum, sed invalide ob interveniens impedimentum, post impetratam dispensationem clam denuo contrahatur.

Si incolae locorum, in quibus trid. receptum est, confluant in locum, ubi illud non obligat, possunt juxta illius loci consuetudinem absque parocho et testibus valide contrahere matrimonium, dummodo ob aliquam legitimam causam hoc faciant, non vero cum prava intentione contrahendi matrimonium aliter quam sacra synodus exposcit.

In casu, quo matrimonium in facie ecclesiae quidem contractum, sed invalidum ob occultum impedimentum dirimens reperitur, tunc solum iterata parochi et testium praesentia opus est, cum defectus vel impedimentum publicum et notorium est.

Matrimonium clam celebratum vim habet sponsalium, quando contractum est inter duos impuberes, vel unum impuberem, puberem alterum. Nam si ambo puberes fuerint melior est sententia eorum, qui negant hujusmodi matrimonium pro sponsalibus haberi.

Digitized by Google

Nulla etiam magnae necessitatis causa, episcopus potest remittere praesentiam parochi et testium.
Poena contrahentium matrimonium clandestinum ob absentiam parochi ac testium duplex est
Prima est inhabilitas ad sic contrahendum, hoc est clandestine, unde si velint, possunt novo praestito consensu, et servata forma tridentini, etiam sine dispensatione contrahere denuo.
Secunda est poena arbitraria, nam graviter puniendi sunt arbitrio episcopi. Quod etiam dicendum est de parocho ac de testibus qui assistunt matrimonio ab ecclesia interdicto.
Matrimonio assistere debet parochus proprius, quo nomine venit quicunque ecclesiis parochialibus praeest, et earum administrationem actualem sive ex institutione, sive ex commissione habet.
Non utriusque sponsi parochus requiritur, sed solum alterutrius in celebratione matrimonii. Et necesse est ut iste parochus sit domicilii, non vero originis.
Qui versantur in aliquo loco per majorem anni partem coram parocho illius loci matrimonium valide inire possunt.
Qui habet duplicem parochiam habitationis potest matrimonium inire valide coram utrolibet.
Parochus matrimonio parochiani sui assistere potest non solum intra fines suae parochiae, sed etiam in parochia aliena; matrimonium enim validum est, quamquam illicite contrahatur ex parte ipsius parochi.
Matrimonio vagorum, sive eorum, qui verum, aut quasi domicilium nuspiam habent assistere tantum potest parochus loci, quo versantur, sed facta prius diligenti inquisitione de ipsorum statu et habilitate ad contrahendum matrimonium, et obtenta ordinarii dioecesani sui licentia eis assistendi. Quod ipsum dicendum est de matrimoniis militum.
Parochus, etsi sacerdos non sit, adsistere conjugiis valide et licite potest, quamvis alii, quam sacerdoti dare nequeat.
Etiam parochus excomunicatus valide assistere potest matrimonio. Quod idem dicendum est de parocho, cui propter imperitiam, vel in criminis pœnam sacramentorum administratio generaliter vel specialiter assistentia matrimonialis ab episcopo interdicta est.
Validum denique est matrimonium, quod celebratum est coram parocho solum ita *existimato*, quia v. gr. parochiale beneficium ipsi invalide collatum est, vel si collatum est valide, illo tamen ob occultum crimen excidit; nam ob communem errorem et pubblicum bonum jus supplet defectum tituli.
Potestas matrimoniis assistendi committi potest alii extraneo sacer-

doti non tantum parochus contrahentium, sed etiam hujus Ordinarius, quo nomine venit 1. episcopus proprius dioecesis, 2. legatus sedis apostolicae, 3. capitulum cathedrale, sede episcopali vacante, 4. abbates et alii praelati non subjecti episcopo.

Et hanc assistendi licentiam dare Ordinarius potest cuicumque sacerdoti, sive regulari, sive saeculari etiam ad curam animarum non approbato.

Sufficit etiam licentia tacita parochi vel ordinarii ut alienus sacerdos matrimonio assistat, quoties scilicet, cum posset id prohibere, permittit.

Si licentia assistendi data fuit, sed antequam assisteret revocata, distinguendum est an revocatio ista intimata fuerit, vel non. In primo casu matrimonium ita contractum invalidum erit, secus in altero.

Viceversa si matrimonium celebratum est coram sacerdote, cui concessa quidem est facultas assistendi, sed non intimata, tunc dumtaxat validum erit, cum concessa est, petente vel ipso, vel aliis quidem, sed ipso conscio; secus si ad instantiam alicujus, ipso insciente.

Validum est matrimonium etiamsi licentia matrimonialis nutu extorta fuerit. Imo valida est licentia assistendi matrimonio obtenta dolo, dummodo dolus hic rationem *causae finalis* non habuerit, sed solum *causae impulsivae*.

Si episcopus vel parochus extraneo sacerdoti det licentiam ut assistat matrimonio, praemissis tamen denunciationibus et examine, et haec omissa habeat, matrimonium tamen valet, dummodo sponsi nullo laborent impedimento.

Si licentia assistendi concessa alicui sacerdoti restricta est ad ecclesiam parochialem, vel alium locum praefixum, non potest sacerdos ille uti licentia extra fines in concessione determinatos.

Parochus, vel sacerdos alius, qui alienos parochianos conjungere aut benedicere sine proprii parochi licentia ausus fuerit, ipso jure incurrit suspensionem duraturam, donec ab ordinario parochi qui matrimonio interesse debebat, seu a quo suscipienda fuerat benedictio, absolvatur.

Testes qui celebrationi matrimoniorum assistant ex praescripti tridentini debent esse saltem duo; nulla tamen peculiaris qualitas requiritur in illis; ac proinde valide contrahetur matrimonium coram testibus impuberibus, servis, feminis, paganis, excomunicatis, notatis infamia, et conjunctis alterutri vel utrique contrahentium consanguinitate vel alia necessitudine.

Testes cum parocho praesentes esse debent contractui matrimoniali

non tantum phisice, sed etiam moraliter, sive ita ut sponsos in matrimonium de praesenti consensisse intelligant, et de hoc ecclesiae fidem facere possint.

Ad valorem matrimonii non requiritur ut testes ante contractum matrimonii sint ad hoc requisiti, sed sufficit dumtaxat, ut etiamsi casualiter intervenerint, de intentione sua a contrahentibus moneantur, et hoc intelligant.

Item non obstat si praesentia parochi et testium vi aut dolo extorta sit, quamquam hoc illicitum sit, et contrahentes graviter peccent.

Verba, quae pronuntiat sacerdos in celebratione matrimonii, scilicet » ego vos in matrimonium conjungo » non sunt de essentia matrimonii, sed tamen de necessitate praecepti sunt, ita ut parochus illa omittens peccabit et quidem graviter.

Impedimentum ligaminis est *vinculum matrimoniale, quo unus conjux alteri sic alligatur, ut eo vinculo durante, cum nullo alio contrahere matrimonium possit.*

Ad inducendum hoc impedimentum tria requiruntur 1. ut praecesserit matrimonium ratum saltem, nam ex sponsalibus de futuro impedimentum hoc non consurgit, 2. ut matrimonium prius vero et legitimo consensu contractum fuerit, 3. ut matrimonium etiamnum perseveret; nam vinculum ejus si per mortem, professionem solemnem, vel dispensationem apostolicam dissolutum sit, redit prior libertas valide contrahendi matrimonium cum alia persona, quae per matrimonium praecedens oblata fuit.

Duo sunt effectus impedimenti *ligaminis*: primarius est, ut impediat matrimonium contrahendum et dirimat contractum, adeo ut si quis cum duabus de praesenti contraxerit, ei adhaerere debeat cum qua contraxit prius, etsi illam nondum carnaliter cognoverit.

Secundarius effectus est poena, quam ii, qui primo matrimonio durante secundas nuptias attentant, incurrunt; quae alia est de jure civili, alia de jure canonico. Jure civili hujusmodi nuptias attentantes incurrent poenam infamiae; jure canonico poena olim erat poenitentia per septem annos, hodie imponenda est pro arbitrio prudentis confessarii.

Polygamia est quando unus vir sibi matrimonio simul jungit plures uxores, aut una mulier sibi plures viros.. Et hinc patet discrimen a bigamia, nam per hanc, si vera sit, initur matrimonium cum pluribus successive tantum, et post dissolutionem matrimonii cum priore.

Duplex autem distinguitur polygamia; *prima* qua una mulier duobus

vel pluribus viris jungitur; altera qua uni viro duae vel plures copulantur uxores.

Prior polygamiae species prohibita est jure divino et naturali, utpote generationi et bonae educationi prolis repugnans.

Altera polygamiae species prohibita quidem est jure divino per evangelium nobis promulgato, uti declarant ecclesiastica concilia; sed non item prohibentur jure naturali.

Etiamsi primum matrimonium ratum solummodo fuit, et secundum ratum sit et consummatum, tamen indubitatum est primum semper valere.

Neque consuetudine, neque apostolica auctoritate dispensari potest ad pluralitatem uxorum.

Per sponsalia inducitur impedimentum tantum impediens, non autem dirimens, et hinc qui sponsalia contraxit cum una, adhuc valide contrahere matrimonium potest cum alia quacumque, nisi haec consanguinea sit sponsae prioris in primo gradu.

Per subsequens matrimonium validum non omnino extinguitur obligatio primorum sponsalium, sed solum suspenditur, ita ut sponsa de praesenti mortua, cum qua Titius contraxit, adhuc obligatus sit primam ducere vt priorum sponsalium, si sponsa sic velit.

Adhuc priora sponsalia implenda sunt, quando secundis accessit copula carnalis cum sponsa posteriore, si haec conscia fuerit sponsalium praecedentium, secus minime, dummodo tamen sponsa prior juri suo cedere nolit.

Conditio, prout in cantractibus matrimonialibus accipitur, est circumstantia dispositioni adjecta, a cujus existentia dependere volumus valorem illius.

Conditio dividitur in *possibilem* et *impossibilem*. Possibilis subdividitur in *necessariam* et *contigentem*.

Necessaria est, quae ordine naturae vel alias omnino est extitura. Contingens alia est *potestativa*, alia *casualis*, alia *mixta*.

Potestativa, seu arbitraria nuncupatur, quae dependet a sola et libera voluntate ejus, qui vel dando, vel faciendo illam implere potest. Casualis quae dependet ex futuro eventu, et ex voluntate tertii. Mixta quae partim casualis et fortuita, partim arbitraria est.

Conditio impossibitis alia est talis ex *natura rei*; alia est *jure*. Et haec iterum alia est contra substantiam matrimonii, alia quae matrimonii substantiae non repugnat.

Contra *substantiam matrimonii* pugnare censetur conditio, quando

pugnat contra triplex bonum matrimonii, videlicet contra bonum prolis, bonum fidei, et bonum sacramenti.

Proprie conditio est ea solum, cujus eventus in futurum contingens est; hinc conditio necessaria et impossibilis, et quae de praeterito et praesenti est sub hac donominatione propria non venit.

Affinia conditioni sunt modus, causa et demonstratio.

Modus est adjectio alicujus oneris, ad quod post contractum perfectum obligare volumus contrahentem. *Causa* tum apponi dicitur contractui, quando denotatur cicumstantia quae ad contrahendum impulit. *Demonstratio* fit, quando exprimitur aliqua qualitas, per quam determinatur, vel demonstratur persona, cum qua contrahitur.

Hujusmodi conditiones possibiles et honestae possunt apponi tam sponsalibus quam matrimonio.

Conditio de praesenti vel praeterito adjecta non suspendit obligationem matrimonii vel sponsalitii; sed statim contrahens est obligatus.

Matrimonium quod initur sub conditione de praesenti, vel de praeterito non convalescit subsecuta carnali copula, ita ut etiam detecta postea non existentia conditionis, qui sic contraxerunt adhuc separari possunt.

Quando conditionate contrahitur matrimonium, tunc primum conficitur sacramentum, quando ponitur conditio, a cujus eventu suspensa est obligatio, et valor matrimonii sic contracti.

Si quis sponsalia contraxit sub conditione in futurum pendente cum duabus mulieribus, sine dubio praeferenda sunt priora sponsalia. Si vero quis cum duabus contraxit matrimonium sub conditione item in futurum pendente, ex duobus matrimoniis praevalebit illud, cui adjecta conditio prius impleta est.

Conditio impossibilis: ex. gr. si digito cœlum tetigeris, non obest valori matrimonii, sed favore illius habetur pro non adjecta, ac proinde sic contractum perinde est, ac si contractum esset pure et absolute.

Probabilior est sententia eorum qui negant conditionem impossibilem pro non adjecta haberi etiam in sponsalibus.

Invalida est promissio matrimonii, quam sibi invicem faciunt laborantes impedimento aliquo dirimente, et hujus etiam conscii, non facta expressione conditionis « si papa dispensaverit «

Conditiones turpes duplicis generis sunt, aliquae repugnant substantiae matrimonii, aliae contra non repugnant.

Conditio hujus secundi generis *pro non adiecta* habetur, generiee

Digitized by Google

loquendo. Sunt tamen aliqui casus particulares, in quibus conditio turpis non habetur pro non adjecta; v. gr.

1.° Si illa habeatur a contrahentibus pro honesta.

2.° Si constet eam conditionem a sponsis serio adjectam, et consensum non nisi sub ejus eventu praestitutum esse etc.

Pro non adjectis haberi non debent conditiones turpes de praesenti, vel de praeterito e. gr. si occidisti patrem tuum, ego tecum contraho etc. quia hujusmodi conditio ad delinquendum invitare non potest.

Item et in sponsalibus conditio turpis, quae substantiae matrimonii non repugnet, habetur pro non adjecta.

Si quis contrahit sub conditione « si te virginem invenero « turpis tunc solum haberi debet ea conditio, quoties intelligatur de exploratione illicita et per concubitum facienda.

Si contractui matrimonii apponatur, conditio repugnans substantiae illius tunc solum vitiat et invalidum reddit contractum cum talis conditio adjecta sit ab ambobus contrahentibus; si vero ab uno tantum, et alter contradixerit, matrimonium valet perinde ac si conditio talis apposita non fuisset.

Ordinem sacrum dirimere matrimonium contrahendum veritas est catholica et indubitata; quod procedit etiam in clericis orientalis ecclesiae, nam licet isti uxoribus, si quas ante susceptum sacrum ordinem habuerint, uti possint, post susceptum tamen ordinem sacrum, nequeunt matrimonium inire.

Ordo sacer tamen non dirimit matrimonium jam contractum, non solum si consumatum fuerit, sed etiam si dumtaxat ratum.

Verius est vim dirimendi matrimonii ordini sacro competere ex jure positivo ecclesiae, non autem ex jure divino.

Impedimentum istud inducit ordo sacer cum post usum rationis est acceptus, non vero ante tempus illud adeptus.

Qui ad sacrorum ordinum susceptionem inductus est vi, non adstringitur voto continentiae, et consequenter matrimonii contrahendi capax est.

Qui ordinem sacrum suscepit voluntarie quidem et libere, sed invalide ob defectum alium substantialem, ve. gr. materiae aut formae, non contrahit obligationem voti solemnis, quo irritatur matrimonium postea contrahendum; et probabilius ne quidem voto simplici continentiae obligatur.

Conjugatus ad ordines promoveri potest volente et consentiente uxore. Haec tamen, si juvenis sit, vel suspecta de incontinentia debet religionem ingredi et profiteri; si vero senex sit, et de

incontinentia non suspecta votum continentiae tantummodo edere debet.

Uxor, cujus maritus, ipsa consentiente, ordine aliquo initiatus est, hoc mortuo, cum alio valide contrahere matrimonium nequit. Quod impedimentum originem trahit ex sola constitutione ecclesiae.

Professio religiosa dirimit matrimonium, non solum contrahendum, sed etiam contractum si ratum tantummodo sit. Quod pariter ex solo jure ecclesiastico descendere tenendum est.

Si quis non solum sponsalia cum virgine contraxit, sed etiam sub spe matrimonii eam corrupit, ante contractum matrimonium religionem ingredi non potest, sed tenetur prius matrimonium contrahere, quo contracto et non consummato dein poterit propositum religionis exsequi.

Votum simplex continentiae matrimonium contrahendum non dirimit, sed solum impedit.

Voti obligatio cessat in eo, qui post votum simplex continentiae editum virginem defloravit vel honestam viduam corrupit, dummodo tamen ista deflorationem, vel sui corruptionem, vi illata, passa sit.

Votum ingrediendi religionem et suscipiendi ss. ordines solvit sponsalia ante contracta, quia est de meliori bono, et nulli praejudicium creat.

Qui post votum non nubendi,. vel suscipiendi sacros ordines contraxit matrimonium non tenetur abstinere a petitione debiti.

Matrimonium fidelis cum infideli ex. gr. pagano, judaeo, saraceno etc illicitum est ex jure divino naturali, extra casum tamen quo urgens causa occurreret, propter quam recta ratio matrimonium tunc ineundum dictaret.

Inter cathechumenum nondum baptizatum, et catholicam contracta sponsalia de futuro valent, non autem de praesenti, hoc est matrimonium, quia baptismus est janua sacramentorum.

Matrimonium fidelis initum cum haeretico vel apostata validum habetur; sed mortaliter peccaminosum, nisi gravis causa excuset, aut moraliter certum sit, nullum fore periculum scandali vel perversionis: et haec prohibitio est non tantum juris ecclesiastici, sed etiam naturalis.

Ut catholicus cum haeretica licite contrhaere matrimonium possit opus est dispensatione apostolica, vel consensu Ordinarii speciali, ut in aliquibus provinciis septemtrionalibus praticatur.

Pacta, quae conjugiis inter haereticum maritum et uxorem catholicam initis saepe adducuntur, ut aliqui ex liberis v. gr. masculi

haeresim sequantur patris, feminae fidem catholicam matris, aut vicissim, prorsus impia et irrita sunt: ratio est, quia parentes tenentur omnes liberos suos in vera fide educare, cui obligationi renuntiare nullo modo possunt; imo si conditio haec apponatur ipsi contractui matrimoniali, tanquam repugnans bono prolis, vitiat contractum et facit eumdem irritum.

Impedimentum criminis oritur duobus casibus.

1.° quando adulter matrimonium cum adultera contrahit, conjuge quem uterque, vel alter eorum habet, adhuc vivente:

2.° quando inter duos adulterium commissum est, interveniente promissione matrimonii contrahendi post obitum conjugis, quem alter vel uterque viventem habet.

Vis hujus impedimenti est, ut irritum sit matrimonium non tantum illud, quod utriusque, vel alterius conjuge vivente, contractum est propter intercedens impedimentum ligaminis, sed etiam id quod isto per conjugis, quem uterque vel alter habuit, obitum soluto, contrahendum est.

Certum est inter infideles hoc impedimentum locum non habere, nisi speciali lege apud ipsos inductum sit.

Ad incurrendum hoc impedimentum non sufficit matrimonium, vel promissio ejus sine adulterio, neque adulterium sine altrerutro illorum, sed necessarium est ut adulterio jungatur vel ipsum matrimonium cum adultera de facto contractum, vel promissio illius post obitum legitimi conjugis contrahendi, aut ut eorum alter machinatus sit cum effectu mortem viventis conjugis sui vel alterius.

Ad hoc impedimentum inducendum perinde est sive adulterium praecesserit vel subsequatur. Adulterium autem debet esse formale, atque hinc necesse est ut uterque adulter sciat alterum esse conjugatum.

Requiritur item ut matrimonium ab uno vere promissum sit hoc est animo sese obligandi, et haec promissio ab altero non ficte, sed vere et saltem virtualiter sit acceptata.

Is qui vivente legitima sua uxore contraxit matrimonium de facto cum alia ignorante primam uxorem ipsius vivere, post mortem istius non solum licite manere potest cum secunda, sed nec, si ab ea separari petat, separari ab illa debet, sed cogendus est renovare consensum, quamvis secunda haec uxor si velit, possit ab ipso discedere.

Sola promissio matrimonii, vivente adhuc legitimo conjuge, licet irritet contractum conjugalem ex post facto per novum consensum initum, grave peccatum tamen continet, cum turpe repu-

Digitized by Google

tetur, constante matrimonio de alio pacisci, et aliquam saltem occasionem praebere captandae mortis.

Impedimentum *criminis* orti ex homicidio duobus casibus locum habet. *Primus* est quando duo committunt adulterium, et eo perpetrato, ipsorum alter, animo matrimonii cum altero ineundi occidit vel proprium conjugem, vel conjugem sui in adulterio complicis. *Secundus*, quando quidem adulterium non intervenit, intervenit tamen occisio conjugis facta ab ipsis, vel eorum consilio, aut jussu ab alio, eo animo, ut possint, conjuge sublato contrahere inter se nuptias. In utroque casu crimen homicidii inhabiles facit ad matrimonium inter se contrahendum.

Ut hoc impedimentum inducatur requiritur ut adulterium prius quam caedes perpetretur; quia hanc subsequens carnale commercium adulterium non foret.

Sola ratihabitio caedis alteri conjugi illatae non sufficit ad impedimentum hoc inducendum.

Etiam is, qui ignoraverit istis criminibus, nempe adulterio et homicidio, impediri et dirimi matrimonium, impedimentum hoc incurrere certum est.

In impedimento criminis, quod oritur ex conjugicidio, si hoc publicum sit, s. pontifex nunquam dispensare solet; si vero privatum recurritur ad s. poenitentiariam, quae difficillime, et non nisi ex urgentissimis causis dispensat.

In impedimento autem adulterii; si publicum sit, dispensat s. pontifex, negotio plene in s. congr. super inquisitione discusso; si vero occultum, recurritur ad sacr. poenitentiariam.

Impedimentis conjugiorum lepra accenseri potest.

Per lepram supervenientem dissolvuntur sponsalia de futuro, prius contracta, si alter sponsus, qui immunis est a lepra, id petat. Si lepra praeces sit sponsalia, et ab altero contrahente ignorata, is ab ea immunis resilire potest; secus si ipsi cognita.

Quod de lepra est, dicendum de quovis alio morbo contagioso.

Per lepram matrimonium contrahendum non dirimitur.

Per lepram praecedentem, aut subsequentem non dissolvitur matrimonium consummatum.

Lepra, aut quavis alia infirmitate superveniente, matrimonii rati vinculum ipso jure non dissolvitur, sed apostolica dispensatione opus est.

Si lepra superveniens medicorum judicio non est contagiosa, conjux non infectus eo casu ad cohabitationem, caeteraque obsequia conjugalia, et ipsam debiti redditionem adstringitur: secus nec ad cohabitationem, neque ad debiti redditionem tenebitur.

Conjux non leprosus, leproso conjugi cohabitare, et debitum illi reddere etiam cum infectionis periculo potest.

Conjux sanus leproso debitum reddere potest, si quidem non immineat periculum infectionis reddenti, etsi probabile periculum sit ut soboles nascatur leprosa.

Ubi periculum infectionis cessat, excusat a debito reddendo horror naturaliter consurgens ex accessu ad conjugem lepra infectum.

Ob explicatum periculum infectionis, vel horrorem a redditione debiti, et cohabitatione excusari conjux nequit, quando lepra matrimonialem contractum praecessit, et hoc sanus non ignoravit.

Aliud impedimentum conjugii est conditio servilis.

Servi adscriptitii, et originarii valide contrahunt matrimonium cum quacumque alia persona, etsi illa conditionem eorum ignoret.

Matrimonium inter personam liberam et libertam valet.

Validum est matrimonium contractum a servo proprie dicto, cum paris conditionis persona, saltem domini consensu accedente.

Matrimonia a servis, etiam sine domini consensu inita, valida sunt:

Si matrimonium jam coeptum est per sponsalia de futuro a servo inita, nefas erit domino servum alio vendendum mittere; alias dominus non prohibetur.

Matrimonium cum servo, vel ancilla initum, ab eo qui illius conditionem servilem sciebat, validum est; secus si ignorabat, nisi sequatur ratihabitio ejus, qui ignorabat alterius conditionem servilem.

Omnis error conditionis servilis matrimonium reddit invalidum.

Valori matrimonii non obest error circa conditionem servilem, quo contrahens constituitur in statu digniore, vel saltem pari, ut si homo liber cum libera contrahat, existimans eam esse ancillam: vel si servus cum libera, quam putabat esse ancillam, aut viceversa.

Si quis contrahat matrimonium intentione, et conditione, *si libera sit* et non est, sententia eorum placet, qua hoc in casu asseritur, matrimonium tali errore contractum jure naturali irritum esse: ea conditione deficiente, irritum esse solo jure ecclesiastico.

Matrimonium initum ignorantia crassa, aut crassissima liberi cum ancilla, probabilius est invalidum esse modo vere sit error.

Post detectam conditionem servilem unius conjugis, si inter eos intercessit carnale commercium, antiquo jure spectato, recessui locus non erat; nunc post trid. ut ratihabitum censeatur matri-

Digitized by Google

monium cum errore conditionis servilis initum, necesse est consensum renovare coram parocho, et testibus: si nullum intercessit, recessus a thoro communi statim permissus est libero.

Ut ab ecclesia concedatur dissolutio ob alterius conditionem servilem, probari debet conditio servilis in altero, et in libero hujus ignorantia.

Partus sequitur conditionem matris; et conditionis servilis est, si mater nullo tempore a conceptione usque ad nativitatem fuit libera, nec refert cujus conditionis sit pater.

Inter impedimenta matrimonialia praecipuum est *cognatio*.

Cognatio spiritualis est propinquitas quaedam personarum, quae ex statuto, et dispositione ecclesiae oritur ex administratione, seu collatione, et susceptione quorumdam sacramentorum, nempe baptismi, et confirmationis, et matrimonium inter personas ita propinquas dirimit.

Impedimentum cognationis spiritualis inductum est solo jure ecclesiastico.

Ex sola collatione, et susceptione baptismi, et confirmationis oritur cognatio spiritualis.

Cognatio spiritualis dirimit matrimonium contrahendum, non contractum, et èst impedimentum perpetuum.

Antiquo jure cognatio spiritualis extendebatur ad plures personas et tres fuerunt istius cognationis species *paternitas, compaternitas, et fraternitas.*

Cognatio spiritualis ex baptismo, et confirmatione jure novo tridentino dirimit matrimonium inter baptizantem, et baptizatum, inter patrinum, et baptizatum; inter baptizantem, vel patrinum ex una, et baptizati patrem ac matrem ex altera parte: fraternitas uti et paternitas, et compaternitas indirecta a concilio tridentino, quatenus conjugiis impedimento fuere, sunt sublatae.

Ex sinodo trid. statutum, ut in baptismo imposterum tantum adhiberetur unus patrinus, vel ad summum unus, vel una; praeter hos nullus alius cognationem spiritualem contrahat, etsi baptizatum tetigerit: ex his sequitur

1°. Baptizatum, et vel ipsius patrem hodie non impediri contrahere matrimonium cum uxore levantis, aut baptizantis.

2.° Cognationem spiritualem non contrahi inter ipscemet patrinos.

3.° Si vir, et uxor simul alienum partum levent, nullatenus eos privari jure exigendi debiti.

4.° Nec inter baptizantem, vel confirmantem, et levantem ullum nasci impedimentum.

5.° Nec inter baptizatum, aut confirmatum, et baptizantis, confir-

Digitized by Google

mantis, aut levantis filiam ullam hodie intercedere cognationem spiritualem.

Haereticus si baptizet, vel teneat in baptismo prolem catholici aut vicissim, cognationem spiritualem contrahit: ab infideli neutiquam, sive ipse baptizet, sive baptizatum, vel confirmatum ab alio suscipiat, contrahitur.

Infidelis incapax est cognationis spiritualis passivae, nec fidelis baptizans, vel suscipiens prolem parentum infidelium, cum his contrahet aliquam cognationem.

Ut fidelis suscipiens ex baptismo, vel confirmatione cum suscepto contrahat cognationem spiritualem varia requiruntur.

1.° Ut intentio adsit obeundi munus patrini.

2.° Ut patrinus baptizandum, aut confirmandum teneat, dum baptismus, aut confirmatio revera administratur, aut si in baptismo consuetudo loci habeat, ut solus sacerdos in actu baptismi teneat, vel immergat, saltem immediate ex manibus baptizantis suscipiet, ac levet.

3.° Requiritur aliquis, ut patrinus pro baptizato respondeat, saltem si iste sit infans.

4.° Ut sacramentum baptismi valide sit collatum.

5.° Ut patrinus ex susceptione in confirmatione spiritualem cognationem contrahat, specialiter requiritur, ut ipse quoque antea fuerit confirmatus.

Pater baptizans prolem suam, cognationem spiritualem non contrahit, et a petitione debiti non impeditur.

Nec suscipiens prolem uxoris, vel communem in necessitate contrahit cognat. spiritualem.

Eamdem non contrahit pater si baptizet, vel ex baptismo, aut confirmatione suscipiat per probabilem ignorantiam juris, aut facti; vel si materialiter solum prolem uxoris, vel communem teneat.

Controversia est, sed defenditur hodie conjugem, qui ita propriam prolem extra necessitatem baptizat, vel ex baptismo aut confirmatione suscipit, non privari jure petendi debitum.

Impedimentum cognationis inducitur per baptismum etiam privatim in necessitate a laico collatum, et hoc procedit etiam in sponsis de futuro.

Si in baptismo privato infans solum tenetur materialiter, spiritualis cognatio ex communi DD. non inducitur; si animo obeundi munus patrini, contrahitur impedimentum cognat. spiritualis.

In impedimento cognationis dispensare potest solus pontifex.

Digitized by Google

Per tridentini decretum impedimentum cognationis spiritualis, ortae ex chatechismo, asseritur omnino sublatum.
Officium patrinorum duplex est, *unum* in baptismo, ut baptizandum in eo teneat, ex eoque levet; *alterum*, ut in doctrina, et vita christiana eumdem instituat, saltem si id non praestent parentes eorum carnales.
Patrinus in baptismo solemni necessarius est, haud est in privato.
Obligatio patrini ad instruendum baptizatum a se susceptum gravis est, et sub peccato mortali.
Patrinus quilibet baptizatus esse potest, rationis compos, sive vir, sive foemina.
Patrini munus obire possunt generaliter christiani omnes ratione utentes, nullo discrimine aetatis, vel sexus.
Specialiter ab officio patrini arcentur jure, 1. haeretici, et apostatae: 2. poenitentes publici, et moribus infames: 3. excommunicati vitandi: 4. parentes respectu propriae prolis: 5. religiosi omnes utriusque sexus.
Catholicus si rogatus sit ab acatholico, prolem istius, quae a ministro haeretico baptizatur, et consuetudine licite suscipere ex baptismo potest.
Ex gravi causa tantum permitti potest in locis, ubi catholici cum haereticis permixti vivunt, ut proles dum baptizatur a sacerdote catholico, teneatur a patrino haeretico.
Jure non trid. unus tantum patrinus, ut antiquo jure; vel unus, et una in baptismo adhiberi potest, non duo viri, aut duo foeminae: si alii praeter designatos tetigerint baptizatum, cognationem spiritualem, ut olim contrahebant, ab ipsis non contrahi decisum est.
Ad parentis baptizandi pertinet patrinos designare, vel si illi non designent ad parochos.
Si quis per errorem levat filium Titii, existimans se levare filium Caji, verius est, cognationem spiritualem a levante nec cum filio Titii contrahi.
Certum est munus patrini obiri per procuratorem posse, et defenditur hoc casu cognationem spiritualem contrahi non a procuratore, sed ab eo qui procuratorem constituit, licet controversia sit.
Verius est neminem cognationem spiritualem contrahere, quando communitas aliqua munus patrini per procuratorem obit.
Cognatio legalis inventa est a legibus approbata per ss. canones, et oritur ab adoptione.

Adoptio est actus legitimus per quem is, qui natura non est, assumitur in filium, aut nepotem.

Adoptio vel est *perfecta*, quae dicitur *arrogatio,* qua persona sui juris rescripto principis transit in potestatem, et familiam adoptantis ejusque haeres necessarius evenit in quarta bonorum parte, vel *imperfecta* qua persona non sui juris, extranea, authoritate judicis competentis assumitur ad filium, vel nepotem, quin in ejusdem potestatem et familiam transeat.

Ut rite adoptio fiat requiritur, 1. ut adoptans sit masculus, nam foeminae nequeunt, sine speciali concessione principis: 2. ut ex natura sua sit potens ad generandum: 3. ut excedat pater adoptans aetate, adoptatum plena pubertate: 4. ut sit sui juris, et major 25. annis: 5. ut persona extranea cum adoptatur, sit praesens adoptanti, et in adoptionem consentiat: 6. ut in arrogatione principis, in adoptione alterius saltem inferioris magistratus authoritas, causae cognitio, an expediat pupillo, arrogatio, et alia interveniant, quae praescribuntur.

Adoptari potest quilibet sive masculus, sive foemina, modo si praesens.

Solvitur adoptio sex modis 1. morte naturali adoptantis: 2. morte ejus civili: 3. ob nuptias incestuosas: 4. ob dignitatem: 5. per sententiam: 6. per emancipationem.

Cognatio legalis est proximitas personarum proveniens ex adoptione: ejus tres sunt species; in linea recta inter adoptatum ejusque descendentes, et adoptantem; in linea transversa inter adoptantem per modum affinitatis, et uxorem adoptati, et e converso.

Omnes cognationis legalis species vim habent matri monii dirimendi.

Ex adoptione imperfecta, probabilior sententia est impedimentum cognationis legalis non induci.

Arrogatio, seu adoptio perfecta dirimit matrimonium solum jure ecclesiastico, et quidem contrahendum tantum.

Cognatio legali in linea recta perpetuo dirimit matrimonium.

Cognatio legalis inter liberos adoptantis naturales, et adoptivum contracta, matrimonium inter ipsos dirimit tamdiu solum, quamdiu durat adoptio.

Species cognationis legalis contracta per modum affinitatis, matrimonium dirimit perpetuo inter adoptatum, et adoptantis uxorem, et vicissim, etsi dissoluta per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati, adoptio sit.

Impedimentum cognationis legalis inter adoptantem, et adoptatum

Digitized by Google

ejusque descendentes, etsi DD. discordent, probabilius est in infinitum protrahi.

In cognatione legali summus pontifex tantum dispensare potest.

Cognationis naturalis duplex species est, *consanguinitas*, *et affinitas*.

Affinitas jure canonico contrahitur etiam per copulam illicitam.

Maritus qui post contractum matrimonium, incestum committit cum consanguinea uxoris suae, privatur jure petendi debitum ab uxore sua, et tam ipse, quam complex prohibetur a contrahendo matrimonio cum alia quacumque persona; quod impedimentum, inter se dirimens, est respectu aliarum personarum impediens tantum.

Impedimentum affinitatis ortum ex copula fornicaria jure antiquo extendebatur ad quartum gradum; jure tridentino non porrigitur ultra secundum.

Qui peccat cum consanguinea sponsae in primo et secundo gradu, nequit amplius contrahere matrimonium cum sponsa, et aliis in simili gradu conjunctis, ob impedimentum dirimens ex ejusmodi copula ortum: prohibetur nuptias cum alia quacumque ob impedimentum impediens; quod multo magis procedit in peccante cum consanguinea sponsae de praesenti.

Impedimentum, quo peccans cum consanguinea suae sponsae de futuro prohibetur cum alia contrahere matrimonium, probabilius temporale est, quamdiu scilicet complicum uterque vivit, perpetuum est, casu, quo sponsus peccat cum consanguinea sponsae de praesenti.

Ut dictum impedimentum contrahatur necessarium est 1. ut incestus sit commissus cum uxoris, vel sponsae consanguinea vera 2. ut sit scienter commissus 3. ut sit voluntarius 4. ut sit consummatus.

Idem impedimentum incurrit uxor, vel sponsa delinquens cum consanguineis mariti, vel sponsi.

Incestus commissus cum consanguinea propria primi vel secundi gradus non impedit matrimonium contrahendum cum alia.

Impedimentum affinitatis dirimens matrimonium sufficienter probatur per assertionem unius, si agatur de matrimonio contrahendo: si de eo dissolvendo plena probatione opus est.

Plena probatio non requiritur, quando agitur pro matrimonio jam contracto conservando.

Consanguinitas communiter definitur *vinculum, seu propinquitas personarum, quae ab eodem stipite per carnalem propagationem descendunt.*

Digitized by Google

Consanguinitas dividi potest 1. in naturalem tantum, quam lex haud novit, et in naturalem, et civilem simul: 2. in consanguinitatem stricte, et civiliter acceptam, et in late ac naturaliter: 3. in cognationem, et agnationem.

Cognatio est propinquitas inter personas per lineam foemineam sibi invicem conjunctas: *agnatio* est inter personas per lineam masculinam conjunctas.

Linea est ordinata series personarum ab uno stipite descendentium gradus continens, et cognationes distinguens.

Linea vel est *recta*, quae dividitur in *ascendentalem*, *et descendentalem*; vel *collateralis*, quae etiam subdivitur in *aequalem*, et *inaequalem*.

Gradus est distantia unius personae ab altera in eadem linea consanguinitatis, qua cognoscitur, quae persona ex duobus, vel pluribus consanguineis sit propior communi stipiti.

Gradus in linea recta eodem modo, quo jure civili, computantur in jure canonico, nam *tot distant consanguinei inter se gradibus, quot sunt personae, dempto stipite.*

Gradus in linea transversali computantur alio modo in jure civili, quo una eademque regula semper vigent; alio jure canonico, quo in linea *transversa aequali*, haec est regula, *consanguinei collaterales tot gradibus distant inter se, quod gradibus distat uterque a communi stipite*: in linea *transversa inaequali*, haec altera datur regula, *totidem gradibus duo distant se. quot gradibus eorum remotior distat a communi stipite.*

Computatio graduum juris civilis observanda est tam in foro saeculari, quam in ecclesiastico quando agitur de successionibus haereditariis, tutelis etc. computatio juris canonici in matrimoniis.

Inter consanguineos primi gradus matrimonium est invalidum jure naturali.

Prohibitio, et irritatio matrimonii inter ascendentes, et descendentes jure naturali inducta, probabilius in aliquo gradu cessat, at quaestio valde dubia est, et DD. non conveniunt ad quem gradum haec prohibitio patrahatur.

Matrimonia jure ecclesiastico inter consanguineos lineae 1. rectae irrita sunt in infinitum.

In linea transversa nullum matrimonium est jure naturali irritum, etiamsi contractum inter fratrem, et sororem.

In linea transversa iniri potest conjugium jure ecclesiastico usque ad quartum gradum inclusive.

Ad eumdem gradum impedimentum consanguinitatis se extendit ortum ex copula illicita.

Digitized by Google

In linea inaequali distans a commuoi stipite ultra quartum gradum contrahere matrimonium potest cum eo, qui distat ab eodem intra quartum.

Conjugium inter laterales, quorum unus distat a communi stipite quinto gradu, alter solum primo, etiam de jure ecclesiastico defenditur validum esse.

Consanguinei, qui in gradu prohibito matrimonium ineunt, et incestas nuptias contrahunt, jure canonico incurrunt excommunicationem ipso facto, nisi probabilis ignorantia, vel metus excuset; et in eos praeterea confirmantur poene latae per leges civiles, vel alia jura.

Ignorantia facti, quae probabilis est, et juris, quae tamen non sit affectata excusat a poenis in incestuosos infligendis.

Affinitas communiter definitur *propinquitas personarum proveniens ex copula carnali perfecta.*

Oritur affinitas ex matrimonio consumato, et ex copula etiam illicita, non et attentata, vel quocumque modo imperfecta.

Affinitas olim fuit triplex: hodie remanet illa tantum quae contrahitur, mediante una tantum persona.

Potest quis ducere privignam, vel novercam suae uxoris defunctae.

Affinitas contrahitur inter consanguineos uxoris ex una parte, et inter maritum ejus ex altera: et rursum inter consanguineos mariti ex una parte, et inter uxorem illius ex altera: non mutuo inter consanguineos uxoris.

Sicut consanguinitas, ita et affinitas in stipitem, lineam, et gradum distingui solet.

Pro gradibus affinitatis vere inter se dignoscendis, et statuenda illorum distantia, regula haec recepta est; *quo gradu quis est consanguineus uxori, eodem gradu est affinis marito ejus*; *et vicissim quo gradu est consanguineus marito, eodem est affinis uxori.*

Affinitas ex copula conjugali orta, non est merum ecclesiae inventum, sed quid naturale instar consanguinitatis.

Vinculum affinitatis ex copula illicita probabilius naturale est.

In nullo gradu lineae transversae matrimonium dirimitur ob affinitatem ortam ex copula fornicaria.

Non est irritum jure naturae matrimonium initum inter affines secundi, et ulterioris gradus lineae transversae, etsi affinitas orta sit ex copula licita.

Matrimonium in primo gradu affinitatis lineae transversae; etsi illicitum, jure naturali tamen irritum non est, et ex justa causa cohonestari potest.

Digitized by Google

Affinitas orta ex copula fornicaria in linea recta, et primo gradu, dirimit matrimonium jure solum ecclesiastico.

Affinitas quae orta est ex copula conjugali inter primi gradus affines in linea recta, probabilius est irritum facere matrimonium jure tantum ecclesiastico.

Jure antiquo matrimonium inter affines usque ad septimum gradum erat prohibitum: jure novissimo trid. affinitas orta ex copula illicita matrimonium dirimit inter affines primi, et secundi gradus; affinitas ex copula conjugali, usque ad quartum gradum.

Impedimentum affinitatis in linea recta ex copula conjugali in infinitum extenditur.

In tertio, et quarto gradu affinitatis ortae ex copula illicita, licite contrahi matrimonium potest; et hoc procedit in affinitate quacumque illicita concubitu orta.

Qui scienter contrahunt matrimonium in gradu affinitatis prohibito, ipso facto excommunicationem incurrunt; sed requiritur, 1. ut matrimonium re ipsa sit contractum: 2. contractum in gradibus consanguinitatis, et affinitatis lege canonica interdictis: 3. ut ea impedimenta revera subsistant: 4. ut scienter cum tali impedimento matrimonium sit contractum: 5. ut sponte, et libere cum scientia talis impedimenti contractum sit matrimonium: 6. ut proprio nomine quis matrimonium contrahat, vel alius ipsius nomine: 7. ut scientia impedimenti praecesserit matrimonium.

Impotentia *late sumpta*, est inhabilitas undecumque proveniens marito aut foeminae ad procreationem prolis; *specifice*, quae provenit ex naturali defectu partium corporis genitalium.

Impotentia vel est *coeundi* et vitium est naturale, vel accidentale impediens maris ac foeminae carnalem commixtionem; vel est *generandi*, quae vitium naturale vel accidentale est, impediens quo minus ex maris, et foeminae coitu, seu copula carnali perfecta sequatur generatio prolis.

Coeundi impotentia duplex est, alia perpetua, alia temporanea; illa dicitur, quae per media licita, aut naturaliter, aut omnino non, aut nonisi cum gravi vitae periculo, vel damno salutis corporalis tolli potest.

Perpetua melius censetur impotentia, quae tolli quidem potest sine vitae, non tamen sine gravis morbi periculo.

Impotentia *absoluta* dicitur illa, quae impedit commercium carnale cum omnibus diversi sexus personis: *respectiva*, quae respectu unius, vel etiam plurium personarum impedit.

Impotentia respectu certarum personarum censeri potest perpetua.

Dividitur etiam impotentia in *naturalem*, *et accidentalem*; *in antecedentem*, *et supervenientem*.

Inter varias sententias, verior ea dijudicatur, qua impotentia coeundi praesumitur contractum praecessisse, si ejusmodi dubium statim ortum sit post contractum matrimonii, et illius attentatam consummationem; secus si ex intervallo temporis praesertim duorum, vel plurium annorum.

Impotentia generandi, vel coeundi plures habere causas potest, et earum nonnullae communes tam viro, quam foeminae, nonnullae cujusdam propriae.

Neuter conjugum ad tollendam impotentiam, post matrimonii contractum detectam, obligatur, si illa tolli potest tantum per media, quae mortis, aut morbi gravissimi periculum afferre judicantur; secus si simile periculum conjunctum alia media non habent.

Sola impotentia ad copulam dirimit matrimonium, non vero impotentia ad generationem.

Eunuchi, et spadones matrimonium valide contrahunt, si altero dumtaxat testiculo privati sint, et virilia sana, atque integra habeant: secus si utroque testiculo vel a natura, vel ex castratione careant.

Senes decrepiti incapaces sunt matrimonii, si ita exhausti, ut sint impotentes ad copulam habendam, nec judicio medicorum ulla arte juvari possint.

Matrimonium quoque valide steriles contrahere possunt.

Mulieres, quae aptae ad copulam quidem sunt contrahere matrimonium non prohibentur, etsi parere sine vitae periculo, vel nonnisi foetum mortuum nequeant.

In articulo mortis constitutus valide contrahere matrimonium potest.

Pro impotente non habetur, et matrimonium ab eo contractum valet, si vir non totum semen potest intra vas fundere, sed partem dumtaxat.

Impotentia temporanea solum coeundi matrimonium non dirimit, undecumque illa proveniat.

Si impotentia perpetua sit *respectiva*, matrimonium dirimit respectu illius, vel illarum personarum respectu quarum impotentia datur; si sit *absoluta* et praecedat contractum matrimonii, illud dirimit respectu omnium.

Impotentia perpetua ad copulam, si matrimonio superveniat, illud non dirimit.

Matrimonium non dissolvit impotentia superveniens matrimonio solum rato.

Usus matrimonii conjugibus licitus est, si solum impotentia perpetua *quoad generationem prolis* supervenit: si ad *copulam*, et dubium sit an temporalis, vel perpetua, licitum est conjugibus ad copulam conari tamdiu, quamdiu est spes probabilis seminandi intra vas: si vero certum est, quod impotentia superveniens matrimonio sit perpetua, et talis, quae impediat seminis intra vas receptionem, tunc coitus illicitus est.

Matrimonium initum ab hermaphrodito, sive eo qui utroque sexu pollet, validum est si secundum sexum, juxta quem contrahit, non sit aliunde impotens.

Si neuter sexus in hermaphrodito praevalet, eligere poterit juxta qualem sexum matrimonio jungi velit, an tamquam vir, an tamquam foemina, si vero unus sexus in eo praevaleat, certum est valide posse secundum illum contrahere.

Quinam sexus praevaleat ex inspectione a peritis facienda est judicandum; et si post hanc dubitetur, standum ipsiusmet hermaproditi dicto.

Qui dubitat sit ne potens, vel impotens, licite contrahere matrimonium nequit, antequam ejusmodi dubium deponat.

Matrimonium contrahens cum impotente *bona fide*, si caste vivere mutuo consensu velint, mutuo cohabitare possunt, alias non obligantur: si *cum scientia* impedimenti, probabilius non tenentur permanere, etsi nonnulli diversimode sentiant.

Vita socialis inter impotentes inita cognita ab initio impotentia, verum matrimonium esse negatur.

Impotentia perpetua dirimit matrimonium jure naturali, et hoc procedit, etsi impotentia ista sit perpetua respectu ad certam, vel certas personas: 2. procedit ex quacumque causa impotentia ista deveniat: 3. etiam de conjugiis infidelium.

Conjux potens ab impotente propria authoritate non potest recedere, sed requiritur authoritas ecclesiae, et plena probatio.

Potest adversus matrimonium ex causa impotentiae proclamare non tantum vir, sed etiam foemina impotens.

Adversus matrimonium proclamare potest quocumqae tempore, si uterque conjux impedimentum alterutrius fatetur.

Si unus solus adversus matrimonium proclamat ob impotentiam, hanc vero alter negat, et proclamatio fiat *post triennium*, audienda est pars proclamans, etiam contradicente altera: *si ante triennium* et proclamans afferat certa, aut verosimilia impotentiae signa, audiri debet etiam ante triennalem experientiam; secus si dubia solum.

Ut procedi ad dissolutionem matrimonii possit, opus est, plena pro-

Digitized by Google

batione per medicos, et chirurgos corporis masculini, foeminini autem per obstetrices, aliasque honestas matronas, quarum duae sufficiunt.

Ad declarandum matrimonium irritum ratione impotentiae, si ejus, peritorum judicio, habeantur indicia omnino certa, et physice evidentia, sine mora, aliave probatione, aut solemnitate est dissolvendum.

Si impotentiae signa non sint certa physice, sed moraliter tantum, praemittendum est juramentum, praestandam tum a conjugibus de quorum matrimonio agitur, tum a septem aliis horum vel consanguineis, vel vicinis.

Si signa sint dubia concedendum est conjugibus triennium ad experiendum an matrimonium per veram copulam carnalem valeant consummare.

Transacto triennio experientiae, si matrimonium vere consummatum neget vir, et foemina affirmet, fides habenda est affirmanti.

Si contra foemina negat, vir affirmet fides habenda est viro praesertim si ille distulit adversus matrimonium proclamare.

Si alterum impotentem esse uterque affirmet, ad tollendam suspicionem collusionis ipsius interventu propinquorum, aut vicinorum juramentum deferri debet.

Triennium experientiae computandum est a tempore contracti matrimonii; jure spectato, triennium hoc incipit ab ipsa copulae attentatione; et praxi vero curiae romanae a decreto judicis.

Experientiae triennium moraliter, non physice debet esse continuum,

Juramentum a conjugibus praestari debet tactis evangeliis.

Consanguinei, vel si desint, vicini, qui simul jurant, septem esse debent; quatuordecim autem, si uterque conjux fateatur impedimentum impotentiae.

Conjuges emittere debent juramentum, quod bona fide, et absque dolo per triennium operam dederint copulae, nec consumare potuerint; consanguinei de sola credulitate jurare debent.

Si ob respectivam impotentiam matrimonium dissolutum sit, novum recte initur; secus est ob impotentiam absolutam, et hoc in casu contrahens, perjurii reus est, et matrimonium posterius statim est dissolvendam absque alia probatione.

Si is, ob cujus impotentiam dissolutum est matrimonium, postea appareat fuisse potens, regulae instar est, quod matrimonium ex hoc capite dissolutum restaurari debeat, et reddi conjux priori marito, etsi haec cum secundo jam contraxisset novas nuptias: hoc procedit: 1. sive ex matrimonio cum alia contracto, et

Digitized by Google

consummato, sive ex fornicatione cum tali commissa comperiatur esse potens: 2. ex quacumque causa praetensa fuerit impotentia perpetua : 3. procedit etiamsi decennium a sententia dissolutionis lata, sit lapsum, nec interea appellatum.

Quinque casus a DD. assignatur, quibus matrimonium ob impotentiam dissolutum non restauratur, etsi postea quis reperiatur potens : 1. si impotentia, quae revera erat perpetua, sublata fuit miraculo : 2. si sublata fuit per artem magicam : 3. si fuit respectiva solum : 4. si provenit ex maleficio : 5. si mulier, ob arctationem separata, est professa religionem, et vir etiam duxit.

Ut matrimonium, quod ecclesiae authoritate ob impotentiam est dissolutum restauretur, duo requiruntur : 1. ut allegata sit perpetua impotentia absoluta : 2. ut potentia in eo, qui impotens habebatur sit legitime probata.

Judex dissoluto matrimonio debet, quantum potest conjugem inducere ad ingrediendam religionem, et servandam perpetuam continentiam.

Interdictum constituit impedimentum impediens, et difinitur *Specialis prohibitio, qua matrimonium authoritate ecclesiastica quibusdam personis ex causa legitima redditur illicitum.*

Matrimonium interdici potest, 1. si alter eorum, qui matrimonium volunt contrahere ligetur sponsalibus cum alia prius initis: 2. si non vana sit suspicio inter ipsos latentis impedimenti : 3. si ex futura personarum conjunctione timeantur graves rixae, inimicitiae, etc.

Interdicere matrimonium potest papa, episcopus respectu suae dioecesis et quavis alius praelatus, qui jurisdictionem quasi episcopalem habeat, capitulus denique sede vacante.

Etiam parochus justis de causis matrimonium interdicere potest.

Convenit inter DD. talem prohibitionem obligare sub mortali culpa: regulariter saltem subsistere matrimonium celebratum contra interdictum episcopi, vel alterius praelati papa inferioris.

Matrimonium contractum contra summi pontificis interdictum non valet, si munitum sit clausula irritante, secus si simplex sit ex comm. DD.

Si, dum lis, vel appellatio super sponsalibus prius initis pendet, matrimonium contrahatur cum alia, validum est etiam post *trid.* nullo alio impedimento obstante.

Interdicti ecclesiae nomine, hic non venit etiam interdictum ecclesiasticum, quatenus illud pro censura habetur.

Matrimonium contractum ab excommunicato, vel cum excommuni-

cato, etsi ab ecclesia potuerit irritari absolute, de facto autem non est irritum.

Nomine *temporis feriati* intelligitur illud tempus quo nuptiae solemnes ab ecclesia probibentur: tempora haec olim ampla fuerant: hodie nuptiae prohibentur ab adventu usque ad epiphaniam, et a die cinerum usque ad octavam paschatis inclusive, prout statuit trid.

Tempore feriato benedictiones nuptiales prohibitae sunt et quidem sub peccato mortali.

Hodierno jure spectato, quocumque anni tempore a fidelibus potest matrimonium contrahi si absque magna solemnitate, et pompa fiat.

Traductio sponsae in domum sponsi tempore feriato interdicta est, si solemniter fiat.

Matrimonium tempore feriato consumare licet, etsi nonnulli DD. negent.

Crimina quae impediunt matrimonium sunt: 1. *susceptio propriae prolis ex sacro fonte*, quando hoc fit extra necessitatem, de industria, malitiose, et animo privandi alterum conjugem debito conjugali.

2.° *Presbitericidium*, sive interfectio injusta sacerdotis.

3.° *Solemnis, publica poenitentia*, quamdiu haec agitur.

4.° *Matrimonium cum monali*, seu virgine Deo solemniter consecrata scienter, et sacrilege initum.

5.° *Interfectio proprii filii.*

6.° Uxoricidium si hoc fiat injuste, et privata authoritate.

Si quis occidat uxorem propriam in adulterio deprehensam, incurrit impedimentum, ut cum nulla alia contrahere licite matrimonium possit.

Probabilius etiam uxor occidens virum, impedimentum istud incurrit.

7.° *Raptum alienae sponsae*, quamdiu haec in potestate raptoris est, matrimonium dirimit; idem impedimentum contrahit etiam sponsa rapta, si raptori consentiat.

8.° *Incestus* commissus cum consanguinea suae uxoris, vel cum consanguineo sui mariti: item fornicatio sponsae de futuro, cum consanguineo sponsi sui.

Relata impedimenta per consuetudinem contrariam tolli possunt, imo de facto sunt sublata.

In omnibus impedimentis matrimonium impedientibus pontifex dispensare potest.

Digitized by Google

Episcopus et alius praelatus inferior dispensare possunt impedimenta solo jure communi ecclesiastico introducta.

In impedimentis, quae jure naturali, vel divino dirimunt matrimonium, certum est, quod nec pontifex dispensare possit, excepto vinculo matrimonii rati; utique in iis, quae jure solum ecclesiastico dirimunt matrimonium.

Jure communi spectato solius pontificis est dispensare in impedimentis solo jure pontificio matrimonium dirimentibus.

Jure speciali plerique legati, et aliquando etiam episcopi facultatem habent dispensandi in certis impedimentis, et certis casibus.

Commissarius bullae cruciatae ex delegatione pontificis facultatem habet pro foro coscientiae dispensandi in impedimento affinitatis ortae ex copula fornicaria, in primo et secundo gradu etiam lineae rectae,et prolem susceptam, vel suscipiendum legitimam declarandi, extantibus verum nonnullis conditionibus.

Episcopi Germaniae, et plures alii ab urbe romana remotiores, ex speciali privilegio pontificio quadriennio in quadriennium renovando in aliquibus impedimentis dispensare communiter possunt.

Etiam legatis sedis apostolicae in Hispania concedi solet privilegium dispensandi in impedimento publicae honestatis.

In casu quo dubium est, utrum opus sit dispensatione, episcopus dispensare potest, si res omnino dubia est an subsit aliquod impedimentum; secus si ita dubia res non sit.

Episcopus dispensare potest in casu extraordinario, quo post matrimonium bona fide contractum deprehenditur subesse impedimentum dirimens occultum et neque conjuges sine scandalo separari, neque papa ob locorum distantiam, vel personarum paupertatem adiri, neque dispensatio propter periculum incontinentiae differri potest; verum hoc pro foro coscientiae solummodo, si in quaestione circumstantiae simul positae concurrant multo verius esse substinetur.

In casu urgentis necessitatis dispensare in impedimento occulto potest episcopus etiam ante matrimonium contractum, sed ut rite dispenset requiritur 1. ut necessitas sit maxima, et urgentissima, 2. ut omnibus tentatis mediis, nulla reperiatur evadendi via: 3. ut non possit facile recurrere ad pontificem, vel hujus legatum: 4. ut impedimentum sit occultum, seu tale, quod non sit publice notum, et neque timeri possit quod numquam in foro externo sit detegendum.

Super impedimentis matrimonii jure ecclesiastico dirimentibus dispensare valet capitulum sede vacante, et vicarius generalis

Digitized by Google

ejusdem, ut episcopus, sed in casum urgentis necessitatis, non quando et quasi privilegio episcopus id fiat.

Vicarius generalis episcopi non potest dispensare vi officii sui, et sine speciali mandato super quibus dispensare episcopus potest ex quari privilegio, vel speciali facultate concessa, et nequidem super casibus extraordinariae, et urgentis necessitatis.

Facultas dispensandi in praedictis casibus in impedimento occulto delegari alteri ab episcopo valet.

Urgentis gravissimae necessitatis casu in impedimento occulto dispensare nequeunt religiosi mendicantes.

Causa justa dispensandi in impedimentis dirimentibus est 1. *praerogativa dignitatis regiae, vel principalis.*

2.° *Conservatio illustris familiae* in eodem sanguine, alias periturae.

3.° *Splendor ac dignitas familiae illustris, aut nobilitate praecellentis* ut hic in ea conservetur, et opes ejusdem ad alienas manus non veniant.

4.° *Excellentia meritorum* in ecclesiam, ratione insignium laborum, vel periculum in bello contra infideles etc.

5.° *Extinctio litis*, si speretur, ejusmodi conjugio componendam, et tollendam litem, quae inter duas familias agitatur super bonorum successione, et aliis magni momenti rebus ac juribus.

6.° *Bonum pacis* aut conservandae aut inducende, si scilicet per hujusmodi conjugium inter personas conjunctas, vel aliter impeditas initum; stabiliri pax, atque concordia, sopiri odia possint etc.

7.° *Evitatio scandali.*

8. *Angustia loci.*

9.° *Quando locus situs est ad litus maris*, et propterea continuis piratarum excursionibus expositus, adeo ut extranei difficiliter haberi possint, qui nubere velint, cum hominibus in tali loco existentibus.

10.° *Defectus dotis competentis*, quando scilicet, vel omnino nullam, vel non competentem habet dotem ad nubendum alicui aequali.

11.° *Aetas foeminae*, si haec 24. aetatis annum excesserit, et tamen virum paris conditionis, cui nubere possit, hactenus non invenerit.

12.° *Matrimonium* cum ignorantia impedimenti fide bona saltem unius contractum.

13.° *Copula* cum consanguinea, vel affini, aut alia impedimentum habente perpetrata, et propalata ex impraegnatione.

Digitized by Google

14.° *Infamia mulieris*, inde orta, quod ob nimiam oratorum familiaritatem, et liberiorem inter se conversandi modum orta sit suspicio licet falsa, eos carnaliter se invicem cognovisse.

15.° In gradibus saltem remotioribus cum personis nobilibus, aut alias valde honestis non raro dispensari a papa solet ex certis, et rationabilibus causis nulla expressa in specie.

Pro dispensatione in voto castitatis, et religionis ex parte materiae causa justa 1. mutatio ejusdem: 2. quando dubium supervenit, an votum ab initio obligavit.

Ex parte voventis, causa justa dispensandi in voto 1. est quando votum sine matura deliberatione est editum: 2. quando extortum metu etiam levi, vel dolo obtentum: 3. quando causa, quae impulit ad emittendum votum omnino desit: 4. quando vovens versatur in periculo frequenter peccandi contra votum, et sine magna difficultate effugere nequeat: 5. nimia carnis fragilitas: 6. necessitas publica.

Tenuitas vel defectus dotis, sufficiens causa dispensationis est, 1. quando foemina vel nullam, vel adeo tenuem habet dotem, ut innupta manere debeat, vel inaequali nubere: 2. si legitima non sufficiat etc.

Non est sufficiens dispensandi causa defectus, vel tenuitas dotis 1. si sponsa quidem sit inops, et proprium nihil habeat, habeat tamen parentes divites: 2. si foemina habeat sufficientem dotem, ut reperiat maritum suae conditionis, qui tamen sit conditionis inferioris; quam sit propinquus, qui eam vult ducere: 3. si foemina, quae dispensationis impetratae tempore carebat dote antequam illa per ordinarium expediretur instituta est haeres, vel legatum accepit.

In gradibus consanguinitatis lineae rectae pontifex numquam dispensat, nec in gradu primae lineae transversae inter fratrem, et sororem.

Cum personis illustribus comitibus baronibus etc. pontifex dispensat ex aliqua justa causa, ut 1. conservatio familiae ne deficiat, 2. conservatio bonorum intra eamdem familiam etc.

In affinitate orta ex *copula licita* quoad primum gradum lineae rectae pontifex numquam dispensat: in primo gradu lineae transversae cum principibus saepius, cum nobilibus raro, cum reliquis rarissime.

In affinitate orta *ex copula illicita* quoad secundum gradum, pontifex dispensat cum quovis, ex quavis rationabili causa.

In impedimento publicae honestatis ex sponsalibus de futuro dispen-

sare pontifex potest, et solet pro foro utroque cum quovis, ex quavis rationabili causa.

In cognatione spirituali. si proveniat ex paternitate, vel numquam vel difficillime obtinetur; utique ex compaternitate, modo subsit justa causa.

In impedimento criminis, si ortum illud sit ex eo, quod alteruter machinatus sit in mortem conjugis defuncti, pro foro externo numquam dispensat pontifex: si ex adulterio tantum, dispensat pontifex ex causa rationabili.

In impedimento ordinis sacri, et professionis religiosae ad contrahendum matrimonium dispensatio a pontifice dari non solet sine causa utilitatis publicae.

Episcopus in iis casibus, in quibus super impedimento matrimonii dirimente dispensare potest ex speciali facultate, et privilegio, requiruntur, et sufficiunt eaedem causae, ob quas potest, et sole dispensare papa.

Dispensatio obtenta a papa ad contrahendum matrimonium inter consanguineos in gradu prohibito valet, si in ea expressa sit causa falsa impulsiva tantum; si vero sit motiva, et finalis, dispensatio redditur nulla.

Error nominis, dispensationem matrimonii non vitiat jure communi; secus est de praxi curiae romanae.

Si error contingat *in nomine dioecesis* invalida redditur dispensatio; si *circa patriam* oratorum regulariter non vitiatur.

Si in genere impedimenti error inciderit, dispensatio irritatur; *si in numero gradus*, et remotior ponatur pro propinquiore, iterum vitiatur dispensatio; secus si propinquior pro remotiore.

Conveniunt DD. 1. non esse necessarium, ut causa vera sit tempore, quo oratoris supplicationis litteras mittunt Romam.

Conveniunt 2. Si litterae apostolicae, ut stylo veteri fiebat, contineant gratiam jam factam, necessarium esse, ut causa vera sit tempore quo dispensationis litterae expediuntur Romae.

Conveniunt 3. veritatem causae perseverare, vel saltem existere debere tempore, quo fit executio litterarum dispensatoriarum ab ordinario, vel confessario, et vi illarum actu ab his conceditur dispensatio.

Conveniunt 4. quando gratia non facta, sed facienda est, sufficere, si causa motiva verificetur tempore, quo delegatus actu dispensat.

Probabilius est dispensationis gratiam factam in impedimento non cessare, vel finiri etsi causa post eam indultam ante matrimonium a dispensatis contractam cesset existere.

Digitized by Google

Dispensatio facta ex causa, quam orator fideliter exposuit, et dispensans bona fide, et rationabiliter putavit esse justam, et sufficientem, licet revera esset insufficiens, probabilius valida est.

Dispensatio super impedimento subreptitia redditur reticentia eorum quae de jure, vel consuetudine, aut stylo curiae romanae exprimi debent.

In supplicatione pro impetranda quacumque dispensatione matrimoniali exprimendum 1. nomen, et cognomen oratorum: 2. nomen dioecesis, ex qua orti, vel oriundi sunt: 3. causa movens ad dispensationem petendam: 4. genus impedimenti, quo laborant: 5. si oratores plura impedimenta habeant, etsi ejusdem rationis, debent omnia fideliter exprimi: 6. omnia impedimenta, quae obstant matrimonio, exponi debent in una eademque supplicatione.

Si petatur dispensatio super impedimento consanguinitatis, vel alio quocumque, post matrimonium jam contractum exprimendum est 1. an oratores illud bona, vel mala fide contraxerint, scientes, vel ignorantes inter ipsos intercedere impedimentum: 2. si mala fide sub spe facilius consequendi dispensationem, vel si hanc intentionem non habuerunt, an ita cousumarint. 3. si bona fide, an contraxerint praemissis, vel omissis sine justa causa denuntiationibus: procedit hoc non tantum quando oratores cum impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, sed etiam quando contraxerunt cum quocumque alio impedimento dirimente.

In supplicatione pro dispensatione secunda, mentio debet fieri primae, si utriusque dispensationis materia eadem sit, et utraque ad eumdem finem tendat; sed hoc procedit in duobus dumtaxat casibus, quando dispensatio tendit in praejudicium tertii, et huic per posteriorem magis praejudicatur, quam per priorem; alter casus est, quando papa non cognoscit sufficienter totum impedimentum, et quantitatem, vel qualitatem gratiae, nisi mentio facta sit etiam dispensationis prius concessae.

Quando petitur dispensatio super impedimento *consanguinitatis* exprimi debet 1. gradus, quo oratores conjuncti sunt: 2. modus consaguinitatis: 3. si pro causa allegatur copula, exprimendum est an habita illa fuerit spe dispensationis facilius obtiuendae; et hoc procedit 1. etiamsi alia causa dispensandi legitima afferatur; 2. non tantum quando copula praecedit supplicationem, sed etiam si eam requiritur, non autem quando sit occulta.

Quando petitur dispensatio super impedimento *affinitatis* exprimi de-

Digitized by Google

bet 1. gradus illius: 2. linea: 3. an proveniat ex copula licita, vel illicita: 4. an praeter eam obstet adhuc aliud impedimentum: 5. an cum pluribus ejusdem foeminae consanguineis sit habita copula: 6. denique an matrimonium cum tali affine contractum sit bona, vel mala fide praemissis, vel omissis denuntiationibus etc.

Si super impedimento publicae honestatis dispensatio petitur, quod ortum sit ex sponsalibus de futuro, in supplicatione super illo non est necessarium gradum addere: secus si ortum impedimentum sit ex matrimonio rato.

Quando petitur dispensatio super impedimento cognationis spiritualis exprimendum est 1. an ea sit paternitas, vel compaternitas: 2. si cognatio spiritualis sit duplex: 3. an cognatio orta sit ex baptismo, vel confirmatione.

Dispensatio impedimenti in foro externo plerumque committitur ordinario oratorum vel vicario generali.

Sede vacante non committitur dispensatio vicario capituli, sed eo casu, uti et quando oratores nullius sunt dioecesis, committi solet ordinario viciniori, aut ejus officiali.

Si dispensatio per rescriptum commissa sit episcopo, non potest ejus executionem suscipere illius vicarius, et vicissim si vicario, non potest se ingerere episcopus.

Commissio ad successorem transit, si sub nomine dignitatis facta sit; secus si sub nomine personae.

Absolutio ab excommunicatione, suspensione, etc. solita praemitti dispensatione operatur, ut oratores rescripti impetrandi capaces fiant, alias non valeret si irretiti essent.

Executor literas exequi non potest, nec cons. dare oratoribus potestatem contrahendi, antequam literae apostolicae in originali eidem praesententur etsi aliunde jam sciat illas fuisse concessas.

Executor debet diligenter considerare an literae sint conformes consueto stylo curiae, et an solitas, vel insolitas habent clausulas; alias suspectae sunt de fraude, et executioni dari non debent: praeterea informare se debet super causa dispensationis, et si preces veritate nitantur.

Cognitio causae sufficit etiam, si sit extrajudicialis.

Commissa dispensationis executio subdelegari non potest.

Dispensans intuitu dispensationis non potest quidquam etiam sponte oblatum accipere sub excommunicatione latae sententiae.

Si commissarius reperiat oratores alio impedimento non expresso la-

borare, dispensationis litteras executioni mandare non potest, sed papae offerendae sunt novae preces.

Dispensatio ad legitimandam prolem, si haec suscepta sit post dispensationem impetratam, legitima foret omnino: si *ante* et suscepta sit ex fornicatione, vi certae clausulae, quae apponi solet, proles erit legitima quoad spiritualia tantum.

In *forma pauperum* dispensatio tunc dari dicitur, quando pro foro externo ex legittima causa gratis dispensatur cum vere pauperibus personis.

Ut in pauperum forma dispensatio detur, requiritur 1. ut oratores sint pauperes: 2. ut sint miserabiles: 3. ut de proprio labore et industria tantum vivant: 4. uterque oratorum debet esse pauper: 5. fidem de hoc facere debent attestationes parochi, et testium: 6. praecessisse debet copula vel hujus suspicio: 7. utrique immineat periculum mortis: 8. distare debent 200. ab urbe milliaribus italicis: 9. in executione observandae sunt clausulae expressae in litteris.

Dispensationes pro foro conscientiae expediuntur nomine majoris poenitentiarii.

Litterae dispensatoriae diriguntur ad confessarium oratorum.

Executor antequam dispenset, examinare debet an preces veritate nitantur.

Dispensatio haec fieri hodie debet in ipso actu sacramentalis confessionis.

Si dispensetur ad remanendum in matrimonio cum uxore putatitia, cujus consanguineam orator ante ejus contractum cognovit, dispensatio dari non potest valide, nisi sublata prius occasione peccandi.

Dispensationi praemittenda est absolutio a censuris, ac poenis ecclesiasticis.

Poenitentia pro illo excessu injungenda est, si orator antea non expiarit.

Dispensatio illud impedimentum solummodo tollit, super qua petita est.

Mulier certiorari debet, antequam de novo contrahatur matrimonium, de nullitate prioris consensus.

Si proles nata sit ante matrimonium, et ante suscepta, in solo foro coscientiae habebitur pro legitima: si post matrimonium legitima erit pro utroque foro.

Factae dispensationis nulla danda est attestatio, neque literae oratori restituendae, sed statim lacerandae, vel corrumpendae sunt.

Ut revalidetur matrimonium invalide contractum requiritur novus

Digitized by Google

consensus, qui externus esse debet, et utriusque putatitii conjugis.

Ut matrimonium consensus renovatione convalescat, ejus prius invalide contracti nullitas, non tamen causa istius, utrique debet innotescere.

Consensus utriusque necessarius etiam est, quando revalidandum est matrimonium contractum nulliter ex defectu consensus, ficte per metum, vel errorem praestiti.

Non est necessarium, ut ignoranti matrimonii nullitatem, causa nullitatis reveletur, praesertim si ex crimine ista descendat: sed sufficit si pars impedimentum ignorans certior fiat de matrimonii nullitate undecumque ista descendat.

Ad revalidandum matrimonium invalide contractum praesentia parochi, et testium denuo requiritur, si impedimentum ob quod invalide contractum est matrimonium sit *publicum*: si vero *occultum*, et matrimonium contractum sit in facie ecclesiae, sufficit ut conjuges inter se solos secreto contrahant, habita notitia de nullitate matrimonii.

Filii legitimi esse possunt triplici modo 1. quia tales nascuntur; 2. quia tales fiunt per matrimonium parentum subsequens 3. quia legitimatis gratiam impetrant rescripto principis.

Filii alii sunt *legitimi*, alii *illegitimi*; illorum, alii *legitimi tantum*, qui cum natura non sint beneficio, tamen adoptionis, vel arrogationis in liberorum numero censentur; alii *legitimi, et naturales simul*, qui ex justo et vero matrimonio procreati sunt.

Filii *illegitimi* dicuntur, qui extra matrimonium procreati sunt: et *naturales* alii, qui nati fuerunt ex concubina uxoris loco domi detenta; alii *spurii* vocantur, qui ex non concubina proveniunt.

De jure canonico omnes naturales sunt, qui extra matrimonium procreati sunt a parentibus inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis, vel inter utramque intermedio consistere potuisset matrimonium.

Species filiorum, et liberorum spuriorum sunt 1. *adulterini* qui ex duobus vel altero saltem conjugato sunt nati: 2. *sacrilegi*, qui nati sunt ex religioso, vel moniali. 3. *incestuosi*, qui nati sunt ex parentibus cognatione, vel affinitate conjunctis: 4. *nefarii*, qui orti sunt ex concubitu patris, et filiae, aut aliorum ascendentium, et descendentium.

Pro legitimis habentur, qui nati sunt contracto matrimonio, sed concepti ante matrimonium ex copula fornicaria, et hoc procedit etiam de jure canonico.

Digitized by Google

Proles, quae nata est ex matrimonio publice et bona fide contracto, quod tamen ob latens impedimentum, postea deprehensum est nullum, pro legitima habetur, si nata sit aute contestationem litis.

Proles etiam post contestationem litis procreata, modo procreata sit ante sententiam divortii latam; legitima est.

Ut ex putativo matrimonio suscepti liberi habeantur pro legitimis duo copulative requiruntur, 1. quod late matrimonium publice, et in facie ecclesiae sit celebratum: 2. quod celebratum sit bona fide.

Ut sint legitimi sufficit unius conjugis bona fides, et hoc in favorem liberorum.

Proles quae ex parentibus infidelibus nata est ex matrimonio contracto intra gradum prohibitum jure tantum ecclesiastico, legitima est, et talis remanet postquam ad fidem christianam vel ipsa, vel parentes ipsius conversi sunt.

Pro illegitimis habentur filii suscepti ex matrimonio, quod invalide contractum est ob impedimentum occultum ab utroque parente ignoratum, si illud contractum fuit culpabiliter omissis denuntiationibus, et hoc procedit in foro tam externo, quam interno.

Pro legitima habetur proles, quae suscepta est a parentibus ex matrimonio inito cum errore juris.

Quando de natalibus prolis est judicandum, si de valore matrimonii dubitatur Gonzalez indistincte respondet, prolem censeri legitimam; alii melius distinguunt.

Si parentes ligati voto castitatis, soluti sunt, proles ab iis procreata illegitima est; si sunt ligati inter se, et veri conjuges, et votum illorum sit *simplex tantum*, ab iis suscepta proles legitima orit, et successionis haereditariae cepax; si verum *solemne*, quoad successionem haereditariam, celeraque jura, quae secundum leges civiles legitimis competunt, proles haberi debet pro legitima: *canonice* autem sive quoad ordines, et beneficia eclesiastica, pro illegitima.

Proles nata ex uxore; quam constat saepius fuisse pollutam adulterio, si certum sit illa ex adulterio suscepta, pro illegitima habetur; secus si dubitatur.

Pro legitima habenda proles, quae nata est ex vidua post mortem mariti intra nonum, vel etiam decimum mensem; imo si nata sit die secundo, vel tertio mensis undecimi a morte mariti, et mater de incontinentia suspecta non sit.

Digitized by Google

Proles octavo vel septimo mense post initum conjugium nata, legitima censetur.

Legitima censenda proles, quae nata est ex matrimonio clandestino ab ecclesia postea approbato, et ante detectum impedimentum: si ante approbationem ecclesiae nata sit, glossa legitimam esse negat.

Quaestio nativitatis, seu natalium coram judice ecclesiastico, etiamsi incidenter de ea agatur, proponenda atque tractanda est.

Effectus legitimitatis sunt praerogativae; quibus gaudent legitimi, quas inter principalis est ea seqnendi conditionem patris vel matris quoad dignitatem, gentem, vel familiam.

Matrimonium subsequens legitimat prolem ante susceptam, sed requiritur 1. ut proles sit suscepta ex utroque parente, qui deinde contraxit matrimonium 2. ut proles non sit spuria, sed naturalis, seu suscepta ex parentibus nullo canonico impedimento prohibiti contrahere.

Legitimatio locum habet 1. etiamsi matrimonium parentum postea contractum tantum fuerit ratum: 2. etiamsi contractum sit a senibus, infirmis et constitutis in articulo mortis: 3. etiamsi denuntiationes sine dispensatione, et justa causa omissae sint: 4. etiamsi nuptiae initae sint cum dispari: 5. etsi post susceptam illegitimam prolem alteruter tempore intermedio contraxisset aliud matrimonium: 6. denique etsi proles suscepta sit ex publica meretrice.

Proles illegitima concepta, vel nata legitimatur etiam per subsequens matrimonium invalidum, sed putative justum, quia cum impedimento dirimente in facie tamen ecclesiae, et ignoranter contractum; et hoc procedit, quamvis proles solum putative sit naturalis, reipsa spuria.

Ut proles legitimetur non sufficit parentes habiles fuisse ad matrimonium contrahendum tempore conceptionis; sed etiam tempore nativitatis.

Nepotes legitimantur si avus cum foemina, ex qua filium naturalem suscepit, vivente isto contrahat matrimonium.

Probabilior est sententia, qua defenditur, matrimonio avi, etiam mortuo filio, legitimari nepotes.

Per subsequens matrimonium legitimatur proles ante suscepta, etsi legitimationi contradicant parentes.

Ad legitimationem non requiritur consensus ceterorum liberorum, qui legitime nati sunt.

Probabilius est legitimandi consensus non requiri.

De jure canonico, civili ad legitimationem non requiri instru-

menta nuptialia, quibus dos, aut propter nuptias donatio constituatur.

Filii naturales subsecuto parentum matrimonio vere legitimi evadunt.

Privilegia, et jura legitimatorum per subsequens matrimonium sunt·
1.° capaces fiunt ss. ordinum, beneficiorum, officiorum, et dignitatum eccl. quarumcunque obtinendarum sine dispensatione, excepto cardinalatu S. R. E.
2.° capaces sunt haereditariae successionis respectu tam majorum suorum, quam etiam respectu cognatorum lineae transversae etc.
3.° tali legitimatione revocatur donatio omnium, vel majoris partis bonorum, sicut supervenientibus liberis, etc.
4.° consequuntur nobilitatem patris quantumvis illustris, et arma, ac insignia paterna, seu familiae deferre possunt.

Etsi variae sint sententiae, spectata saltem ratione probabiliter omnino sustinetur, quod legitimatus per subsequens matrimonium in majoratu, et juribus primogeniturae praeferendus sit etiam iis fratribus, qui post ipsum quidem, sed ante tamen nati sunt, quam pater eorum, cum matre legitimitati contraheret matrimonium.

Illegitimi jura legitimorum etiam possunt consequi rescripto principis.

Differt legitimatio per rescriptum ab ea, quae per matrimonium fit multipliciter 1. per matrimonium legitimantur soli naturales; rescripto principis etiam spurii, et ex damnato coitu procreati: 2. illi acquiparantur legitimi natis: contra per rescriptum principis tolluntur solum inabilitates illo jure perditae: etc.

Legitimatio per rescriptum illos effectus inducit, ad quos, se potestas legitimandi extendit; ex quo legitimatus rescripto pontificis, habilis fit in ordine ad officia, beneficia etc. rescripto principis saecularis legitimatus instar legitimi habilitatur 1. ad officia, et dignitates saeculares. 2. deficientibus filiis legitimis succedit ad bona parentis, et aliorum consanguineorum etc. 3. in patriam potestatem transit si legitimationi consenserit.

Potestas legitimandi per se, et jure communi competit soli principi.

Episcopo, et capitulo sede vacante quoad ordines minores, et beneficium simplicia haec potestas competit.

Comites palatini, et sedis apostolicae legati ex privilegio sibi concesso legitimare possunt; sed horum potestas strictae interpretationis est.

Comites palatini non possunt legitimare illegitimos nobilium, et multo minus illustrium personarum.

Legitimatio facta a principe saeculari non prodest in ecclesiasticis.

Papa in terris dominio suo temporali subjectis legitimare potest etiam ad temporalia, in aliis ad ecclesiastica tantum.
Si inter parentes illegitimi nullum, et ne fictum quidem contractum fuit matrimonium non potest illud a pontifice legitimari dispensando in radice matrimonii.
Illegitimi spurii per subsequens matrimonium legitimari possunt, si id pontifex concedat.
Potest a pontifice proles suscepta ex matrimonio, quod jure tantum ecclesiastico invalidum fuit, etiam ad successionem haereditariam, et alios similes effectus legitimari, dispensando in radice ejusdem: et hoc procedit 1. etiam casu, quo talis prolis parentes mortui sunt: 2. procedit ut valida sit haec legitimatio, etsi in aliorum cedat praejudicium.
Ut legitimari aliquis per rescriptum principis possit, requiritur 1. ut filius legitimandus sit subditus legitimantis: 2. ut per subsequens matrimonium legitimari non possit: 3. ut nulli adsint liberi legitimi, vel consensum praebeant: 4. ut vel pater libello supplici legitimationem a principe exoret vel filius, post mortem patris, producto testamento, quo ut legitimaretur filius, pater desideravit: 5. ut ipse legitimandus consentiat.
Ut validum sit legitimationis rescriptum, exprimi debet 1. an filius naturalis sine dedecore patris legitimari possit per subsequens matrimonium: 2. an adsint liberi legitimi: 3. explicari debet qualitas illegitimitatis etiam in specie: 4. requiritur causa ad concedendam legitimationem.
Causae matrimoniales definiri debent authoritate judicis, et quidem ecclesiastici: *procedit hoc* 1. tametsi causa principalis sit saecularis, et quaestio tantum incidat de valore matrimonii: 2 etiamsi lis moveatur tantum de sponsalibus: 3. etsi summarie tractanda sit tantum.
Nomine causarum matrimonialium hic veniunt illae, quibus controversia, et quaestio est de matrimonii et sponsalium natura, qualitatibus, contractu, et benedictionibus nuptialibus: de conjugum et sponsorum juribus etc.
Judex saecularis cognoscit de causa dotis, donationis propter nuptias, etc. et quando est quaestio mere facti.
De causis proprie matrimonialibus jure ordinario episcopus, vel qui jurisdictionem quasi episcopalem habet, cognoscit: item capitulum sede vacante, vicarius utriusque generalis.
Jure extraordinario causarum matrimonialium cognitio competere potest privilegio, delegatione, et consuetudine.

Matrimonium contrahendum accusare quilibet e populo potest, qui notitiam impedimenti habet.

Matrimonium contractum solus innocens conjux accusare potest, sive agatur ex causa adulterii ad separationem quoad habitationem, et thorum; sive ad dissolutionem vinculi ob impotentiam; vel defectum consensus.

Ob consanguinitatem, affinitatem, publicam honestatem ad accusandum matrimonium prae caeteris admittuntur parentes, et consanguinei: ex causa alterius impedimenti, quicumque non suspectae fidei de populo, admitti possunt.

Ut ad matrimonium accusandum admittantur debent esse fidei non suspectae; hinc repelluntur ii qui accusant turpis quaestus causa: 2. qui cum proclamationes publicae fierent, impedimentum non manifestarunt: 3. ea, quae matrimonium ab initio quidem invita, et gravi metu coacta contraxit, postea tamen carnalem copulam admisit: 4. qui id accusant non praesentes personaliter, sed absentes dumtaxat per litteras, nisi alio adminiculo suffragentur.

Adversus matrimonium contractum in facie ecclesiae illi testes prae aliis admittuntur, qui impedimenti quod ab accusatore objicitur, notitiam certiorem habent, et non sunt suspectae fidei.

Repelluntur a testimonio contra matrimonium dicendo praeter alios aliunde suspectos 1. qui ad id faciendum, vel omittendum pecunia inducuntur: 2. qui testimonium non propria voce praesentes, sed absentes per litteras perhibent: 3. qui matrimonium accusat, et actor est.

Volens matrimonium accusare audiri debet etiam post 30, vel 40 annos modo paratas probationes offerat, vel alias suspicionem purget; ex quo sequitur, quod etiam actioni, vel accusationi praescribi nequeat, quamdiu causa accusandi durat.

Hodie in causis divortii jus civile sequitur leges juris canonici, ex cujus declaratione matrimonium legitime semel contractum, superstite utroque conjuge, quoad vinculum dissolvi nequit.

Insolubilitas matrimonii jure naturali inducta est supposita institutione divina.

In lege mosaica permissus olim erat hebraeis libellus repudii, et extendebatur hoc etiam ad ceteras gentes: nunc antiquatus est.

Ab infidelibus semel legitime contractum matrimonium, si uterque in infidelitate perseverat, nonnisi morte dissolvi potest etsi per carnalem copulam non sit consummatum.

Si uterque conjugum ad fidem convertitur, et matrimonium con-

summatum sit, quoad vinculum dissolvi nequit: alias duobus casibus solvi potest, professione religiosa, et dispensatione pontificia.

Si unus convertitur, alter in infidelitate manet, quoad vinculum matrimonium dissolvi potest duobus casibus: *unus* est, quo perseverans in errore cum converso absolute cohabitare renuit, sed ab ipso discedit ideo solum, quod ille baptismum susceperit: *alter* est, quo ille cohabitare quidem converso vult, sed non sine contumelia creatoris.

Si duo conjuges fideles ad paganismum, vel judaismum transeant, deinde unus ad fidem christianam redeat, altero perseverante in infidelitate, jus non habet conversus matrimonium dissolvendi.

Si infidelis fideli cohabitare renuat, eorum conjugium prius non dirimitur, quam conversus matrimonium aliud ineat cum alio fideli.

Infidelis aliud matrimonium inire nequit statim, et antequam conversus ad fidem aliam uxorem ducat, aut vicissim conversa ad fidem alii marito nubat.

Dissoluto matrimonio per transitum fidelis ad alias nuptias, valide infidelis ad aliud matrimonium transit, et licite potest, etsi DD. dissident.

Conversus ad fidem ad alias nuptias transire nequit, si alter conjux converti quidem nolit, cohabitare tamen converso sine injuria creatoris velit.

Conversus religionem ingredi, vel ordines sacros suscipere potest, sed negatur vis solvendi matrimonium consummatum infidelium de professione religiosa ita, ut is qui in infidelitate perseverat, postea aliud matrimonium valide inire nequit.

Matrimonium ratum fidelium dissolvi potest quoad vinculum professione solemni in aliqua religione a sede apostolica, approbata.

Papa dispensare potest in matrimonio rato fidelium.

Probabilius est, invalidam esse dispensationem in matrimonio rato a papa indultam, si sine justa causa indulserit.

Ad impetrandam dispensationem in matrimonio rato gravis causa postulatur: pro sufficientibus in specie habentur;

1.° valde notabilis disparitas in statu, et conditione inter contrahentes.

2.° inter hos, et eorum consanguineos metuendae graves inimicitiae rixae, caedes, et scandala;

3.° superveniens matrimonio rato impotentia, quia cessat matrimonii finis:
4.° Superveniens alteri lepra, vel alia infirmitas matrimonii usum impediens:
5.° si contrahentium alter asseveret constanter se non habuisse animum contrahendi.
6.° si vir eligatur in episcopum.

Post susceptum ab utroque infidelium baptismum, matrimonium a pontifice dissolvi potest, si ratum duntaxat sit, si consummatum etiam sit, melius negative respondetur.

Matrimonium fidelium consummatum quoad vinculum sola morte naturali alterutrius conjugis dissolvi potest.

Ad dubium, an insolubilia sint conjugia, quae ineuntur ab haereticis nostri temporis tum inter se, tum cum orthodoxis, respondetur distinguendo: vel sic contrahentes laborant errore existimantes, matrimonium inter christianos in quibusdam casibus solvi posse, simul tamen habent intentionem contrahendi matrimonium quale ex institutione divina contrahi potest; tunc error ille, sive unius, sive utriusque contrahentis sit, valori, et insolubilitati matrimonii nullum ponit obstaculum, si autem ita matrimonium ineunt, ut errori huic solo intentionem suam obligent, et expresse aliter nolint contrahere, quam sub conditione solubilitatis; intentio illa hoc casu matrimonii valori obstat, et insolubilitati.

Dum contrahunt matrimonium haeretici existimantes id certis casibus solvi posse, nisi de contrario constet, semper praesumendum est, quod contrahat cum intentione generali ineundi matrimonium tale, quale inter christianos valide iniri potest.

Veritas orthodoxa est, quod divortio ex causa fornicationis instituto nuptiale vinculum non dissolvatur, et conjugi innocenti dumtaxat a communi thoro, et cohabitatione, non vero etiam ad alia vota, vivente altera consorte, permissum est transire.

Ut matrimonium sive ratum, sive consummatum contractum cum impedimento dirimente dissolvatur quoad vinculum, requiritur:
1.° Ut dissolutio fiat authoritate legitimi judicis:
2.° Non debet nec potest judex matrimonium in facie ecclesiae contractum dissolvere quoad vinculum ex hoc solo, quod unus, vel ambo conjuges ipsimet, accedente etiam rumore viciniae fateantur se cum impedimento contraxisse, nisi sufficientes probationes accedant:
3.° De ipso impedimento judici constare debet per plenam probationem.

4°. Si causa rite examinata, non habetur plena probatio impedimenti, sed dubium remanet, judex ecclesiasticus in foro externo pronuntiare pro valore matrimonii debet.

5.° Quod si conjuges, vel unus eorum sciat certo, impedimentum dirimens inter ipsos intercedere, nec reddere, nec petere debitum potest, etiamsi impedimentum probare nequeat.

Matrimonium quoad thorum, et cohabitationem separari in perpetuum potest, vel mutuo consensu, vel altero invito ob adulterium.

Tam marito ob adulterium uxoris, quam uxori ob adulterium mariti licet divortium perpetuum facere.

Ut ratione adulterii institui possit haec separatio, requiritur 1. ut actus carnalis per copulam sit consummatus: 2. ut talis actus exercitus sit cum alio, quam conjuge 3. non sufficit si solum sit adulterium materiale, sed requiritur formale: 4. non debet maritus adulterii uxoris fuisse author eam prostituendo, vel consentiendo: 5. qui instituere divortium vult propter adulterium, non debet etiam ipse adulterii reus esse: 6. ut institui possit divortium, necesse est, innocentem nondum fuisse reconciliatum adultero.

Si dubium est, aut suspicio probabilis de adulterio ab altero conjugum commisso, conjux innocens ab eo qui tali suspicione gravatur, propria authoritate divertere nequit; si constat, et sit *notorium publice*, potest ab eo recedere authoritate propria conjux innocens tam quoad debiti redditionem, quam cohabitationem mutuam.

Si adulterium populo occultum sit, sed innocenti privatim certo cognitum, communior etiam hoc casu permittit innocenti, ut propria authoritate possit recedere, saltem pro foro conscientiae, et secluso scandalo.

Si adulterium probandum sufficiunt conjecturae, et praesumptiones violentae, ex quibus si non phisica saltem moralis certitudo inducatur.

Per se, et ratione adulterii conjux innocens non obligatur ad conjugem adulterum dimittendum.

Si conjux innocens velit ultro reconciliari nocenti post factum ab ea divortium, tenetur nocens acceptare, et ad cohabitationem redire, modo neuter conjugum statum mutavit.

Conjux innocens, si velit, potest reconciliari adultero, et cum illo redintegrare matrimonium non tamen ad hoc tenetur: tres casus excipiuntur 1. si resipiscentis receptione magnum aliquod malum averti, aut bonum promoveri potest: 2. quando innocens injuriam per adulterium sibi illatam expresse, vel tacite

Digitized by Google

remisit: 3. quando qui prius erat innocens, etiam ipse in adulterium lapsus est.

Verius est ob adulterium, dimissum authoritate sententiae judicialis, quae transiit in rem judicatam agere ad conjugii restaurationem posse, quando alter in idem delictum postea lapsus est.

Praeter fornicationem adhuc sunt aliae justi divortii causae.

In specie justae causae faciendi divortii non perpetui sunt 1. *haeresis*, et multo magis *apostasia a fide* 2. *periculum animae*, quando conjux conjugem ad grave peccatum incitat, aut impellit: 3. *periculum corporis*: 4. *saevitia*, aut *furor mariti*: 4. molesta cohabitatio ex frequentia jurgiorum, et rixarum.

Si ex cohabitatione cum conjuge in haeresim lapso, conjux catholicus patiatur periculum perversionis solum commune, non videtur obligatus ad faciendum divortium; secus si grave sit periculum.

Conjux innocens tenetur conjugem haereticum resipiscentem recipere, et cum eo redintegrare matrimonium, si propria authoritate se separavit.

Si haereticus post sententiam latam revertatur, conjux catholicus, si vult in saeculo remanere, eum recipere ex aequitate tenetur, secus si ad religionem transire vult.

Crimina haereseos quoad divortium non compensantur inter se.

Quoad divortium non compensantur crimina adulterii carnalis, et spiritualis, seu haeresis antequam alter judicio ecclesiae de haeresi est condemnatus.

Sententia haereos in conjugem reum lata, conjux adulter agere potest ad divortium contra conjugem in haeresim lapsum, et condemnatum.

Periculum cujuscumque criminis gravis sufficit conjugi, ut causam det divortii.

Periculum gravis peccati alteri conjugi, ex cohabitatione imminens, non est causa divortii perpetui.

Inflictio verberum levis ac moderata in uxorem a marito, causam divortii nullatenus praebet; item si gravis et excessive, sed processerit ex insolita quadam ira, et inopinato perturbationis motu, absque timore probabili ejus in posterum exercendae: secus, hujusmodi verberatio excessiva, justam dat divortii causam, sed arbitrio judicis causae cognitio pendet.

Etiam maritus ab uxore, vitae suae insidias struente, si ab ea aliter se tueri nequeat, divortium potest facere.

Ob saevitiam conjugis, vel aliud simile incommodum non licet conjugi propria authoritas: excipitur si periculum sit in mora.

Digitized by Google

Solus judex ecclesiasticus potest de causa divortii cognoscere.
Lata ob saevitiam divortii sententia, ingressus religioni, vel susceptio ss. ordinum nocenti sine innocentis consensu denegatur: innocenti etiam non licet, si sententia divortii solum temporanea sit, secus si absoluta, et in perpetuum.
Quando conjugum alter factus est furiosus, et de statu mentis dejectus, si sanus cum illo sine periculo cohabitare potest, causam divertendi justam non habet; secus si absque periculo, et spes non extet fore, ut conjux furiosus ad suam mentem restituatur, vel saltem ut furor ille sedetur ita, ut possit esse tuta cum illo habitatio.
Facto divortio liberi educari, et ali debent penes conjugem innocentem; et quidem apud matrem, expensis patris, si pater divortio causam dedit; si vero mater, apud patrem, expensis matris locupletis, nisi pater minus idoneus sit: limitandum hoc est, 1. nisi conjux innocens qui causam divortio non dedit, sit infidelis, is autem qui in culpa fuit, sit fidelis: 2. quando culpa viri factum est divortium, et mater transiit ad secundas nuptias: 3. si mater causam dedit divortio, et locuples sit, pater autem sit minus idoneus, vel pauper.
Inter conjuges donationes factae si mere liberales sint, invalidae sunt: alii contractus autem inter eosdem celebrati, valent.
Donationes mutuae, casu, quo se non excedunt, sunt valide, si fiant in continenti; aut tales, quibus vel donans pauperior, vel donatarius locupletior non efficitur, subsistunt.
Donationes mere liberales non valent 1. etiamsi fiant mediante alia persona: 2. in remissione debiti, vel pretii rei venditae: 3. procedit in donatione, ante matrimonium initum facta, si translatio dominii conferatur in tempus matrimonii.
Subsistunt donationes inter virum et uxorem sequentibus casibus:
1.° si donatio celebratur inter principem, et ejus conjugem.
2.° si fiat ante matrimonium inter sponsas de futuro absolute.
3.° si inter conjuges quidem fiat post matrimonium contractum, sed conferatur in tempus ejusdem per mortem soluti.
4.° si donetur ea lege, ut res donata in alium transferatur, aut in illius bonum convertatur.
5.° si donationem uxor marito faciat ad consequendam dignitatem, nobilitatem, gradum litterarium, officium etc. vel maritus uxori, ut comptior et ornatior incedat:
6.° si detur ex quadam commiseratione, vel pietate.
7.° si conjux in aedibus alterius conjugis permittatur gratis habitare, vel ejus servis, animalibus, etc. uti:

8.° si vir uxori remittat dotem promissam, vel ejus partem, vel usuras promissas dotis non solutae:

9.° quotiescumque ex donatione conjux donatarius non fit ditior, vel donans non redditur pauperior:

10.° Denique quando res donata exigui pretii sit.

Maritus in gratiam uxoris repudiare nequit haereditatem sibi delatam, aut legatum, vel fideicommissum sibi relictum si jam acceptaverit.

Donationes remuneratoriae factae uxori a marito valent, si merita non excedant.

Renunciatio lucrorum constante matrimonio quaesitorum, vel quaerendorum facta ab uno in favorem alterius conjugis valida est, si ante matrimonium facta, secus si post illud initum.

Ne donatio quidem inter sponsos de praesenti facta ante matrimonii consumationem valida est.

Donatio facta inter conjuges, qui eo quod matrimonium inter eos contractum ob impedimentum dirimens irritum sit, solum sunt existimati, in foro conscientiae subsistit, si uterque impedimenti conscius sit; si uterque ignorat, probabilius est invalidam esse; si unus scit, et alter ignorat, et donatarius impedimenti conscius tantum est, donatio iterum invalida est; si donans nullitatem novit donatio probabilius valet.

Donatio inter conjuges morte donantis confirmatur; sed quatuor conditiones a DD. requiruntur 1. ut praecesserit rei donatae traditio, saltem dicta 2. ut donans ante donatarium decedat. 3. ut donatio non sit revocata: 4. ut si donatio excedat 500. solidos, ejus insinuatio fiat judici, aliter quoad excessum morte donantis non confirmatur.

Si donatio processerit a marito in uxorem, morte civili mariti, respectu fisci donatio confirmatur; si ab uxore in maritum, morte donantis civili non confirmatur, sed evanescit.

Si conjux efficitur servus hominis donatio non confirmatur, sed evanescit; si servus poenae, respectu fisci confirmatur.

Si conjux donans professus est religionem bonorum et successionis incapacem, ejus professione donatio confirmatur; sed si utriusque capax est, ad confirmationem donationis hoc casu mors naturalis professi expectanda est.

Juramento praestito de non revocanda donatione, ea confirmatur.

Bona uxoris sunt triplicis generis dotalia, paraphernalia, et receptitia; *dotalia* dicuntur pecunia, et res quaecumque mobilis, aut immobilis ab uxore, vel ejus nomine ab alia data marito,

ut ex ejus fructibus alat uxorem, aliaqua matrimonii onera sustineat.

Paraphernalia stricte accepta, denotant illa bona, que uxor, secluso dotis titulo tradidit marito, *late* ea etiam non tradita, quae sunt extra dotem.

Receptitia illa dicuntur, quae ex suis bonis uxor per pacta dotalia sibi, suaeque dispositioni reservavit, neque voluit esse in potestate mariti.

Donatio propter nuptias describitur id, quod a marito, vel ab alio ejus nomine uxori in securitatem, et remunerationem dotis constituitur.

A DD. dividitur dos in *promissam*, quae consistit in nudis terminis promissionis, et *constitutam*, quae vel actu inter vivos, est vere, aut ficte tradita, vel per ultimam voluntatem.

Dividitur secundo in *profectitiam*, quae provenit a patre, vel ab ascendente paterno, vel a quocumque alio, sed contemplatione patris; et *adventitiam*, quae nec a patre, aut ascendente paterno, nec illius intuitu advenit.

Dotem promittere, vel constituere potest non ipsa solum mulier per se, sed quivis alius, etiam faemina, filius familias, modo liberam adm. habeant.

Dotem promittere, vel constituere ex necessitate tenetur ante omnes pater: et hoc procedit 1. etiamsi pater filiam in matrimonio collocaverit, nulla facta mentione dotis: 2. si etiam filia inscio, et invito patre nupserit, si marito digno nupsit: 3. etiamsi filiam, quae dotanda est, pater non amplius in potestate sua habeat, maxime si ea inops sit: 4. etiamsi filia dives sit, et aliunde mediis suis instructa, sed contrarium non improbabiliter sustineri potest: 5. dos etiam constituenda filiae, quae ingredi religionem vult.

Ad taxandam dotem, patris facultates considerandae sunt, liberorum numerus, filiae, et mariti dignitas, loci denique consuetudo.

Avus paternus dotem constituere cogitur nepti, quoties pater filiae ob inopiam conficere illam nequit.

Mater cogitur dotem dare filiae, quando pater, aut avus paternus est inops, vel mortuis his filia manet inops, et legitima ei ad dotem non sufficit.

Frater quoque in defectum ascendentium tenetur dotare sororem inopem ex eodem patre natam.

Stuprator jure canonico tenetur dotare stupratam, aut eam, nisi ipsa aut parens ejus dissenserit, in uxorem ducere.

Digitized by Google

Mulier ad dotem sibi consituendam non potest adigi cum matrimonium absolute loquendo sine dote possit contrahi.

In dotem dari possunt res quaelibet, mobiles, et immobiles, corporales et incorporales.

Ususfructus in dotem deduci potest: feudum quoque dotale fieri permittitur.

Dos indefinite promitti potest a patre, non autem ab extraneo.

Si mulier non facta mentione dotis, maritum omnibus bonis frui permittat, ea in dotem dedisse non praesumitur.

Pactis dotalibus dos promitti, vel constitui solet.

Pacta dotalia vel sunt *simplicia*, quando scilicet manent in terminis contractus, vel actus inter vivos; aliquando *mixta*, quando transeunt in actum ultimae voluntatis, ac futuram conjugum successionem continent.

Pacta dotalia an sint simplicia, an mixta, ad modum paciscendi singulariter advertere necesse est.

Si dos promissa sit, producit ex parte promissoris obligationem ad tradendam; ex parte promissarii confert actionem ex stipulatu ad eam obtinendam.

Si dos tradita sit, operatur dominium civile ex parte mariti, naturali tantum eoque sopito penes uxorem remanente.

Dominium civile maritus in re dotali absolutum, et perfectum habet, si res dotales mobiles sint; si sint immobiles et aestimato datae idem est: si vero inaestimata dos tradita sit, vel aestimata quidem, sed solum taxationis gratia, maritus dominus quidem ejus est, non autem alienare, vel alio modo obligare etiam cum consensu mulieris potest: excipitur si de novo consentiat post biennium lapsum a tempore primi consensus; vel mulier absque dolo, aut metu juraverit, se non velle revocare rem dotalem alienatam.

Doti affinis est 1. *donatio propter nuptias*: 2. *morganatica*, seu donatio quam maritus facit uxori altera nuptiarum die in praemium, et remunerationem virginitatis delibatae: 3. *sponsalitia largitas*, quam sponsi mutuo faciunt causa, et tacita conditione matrimonii, ita, ut si sequatur plane confirmetur donatio, et non amplius restitui debet: 4. *munera nuptialia*, quae a parentibus, propinquis, et amicis in signum benevolentiae novis conjugibus offeruntur: 5. *dotalitium*, seu ususfructus, quem maritus in compensationem dotis uxori post mortem in suis bonis constituit: 6. proxeneticum seu praemium nuptiale, quod proxenetis, qui sponsalia, vel nuptias conciliant, in remunerationem adhibiti laboris, vel industriae conceditur.

Digitized by Google

Dos, et donatio propter nuptias solum debetur secutis nuptiis, nisi de consuetudine secus obtineat, vel aliter constitutum sit per pacta dotalia.

Dos, et donatio propter nuptias non repetitur nisi soluto per mortem matrimonio; excipitur 1. si maritus culpa sua ad inopiam vergat, et periculum incurrat uxori dos: 2. si bona mariti fisco inferantur: 3. pro liberis prioris matrimonii item pro parentibus, fratribus, aut sororibus egenis alendis, vel iis, si captivi sint, ridimendis.

In restitutione dotis venit quidquid maritus dolo, vel culpa lata, aut levi in re dotali deliquit, quae si sit fungibilis, etsi sine culpa perempta, restituere tenetur; item si non fungibilis aestimata data vendendi causa; secus si taxationis tantum aestimata sit.

Maritus in restitutione dotis beneficium competentiae habet, sicut ejus liberi haeredes, ob quod non tenentur in plus, quam reservata congrua sustentatione.

Uxor ante omnes alios creditores, quaestio est, an etiam ante hypothecarios, solutionem accipere debet, cum huypothecam privilegiatam habeat in omnibus bonis mariti.

Si mulier seipsam dotavit, soluto per mortem matrimonio ad ipsam, vel haeredes ejus dos redit.

Si extraneus mulieri dotem dederit, nisi stipulatus sit sibi restitui; ad uxorem dos redit soluto per mortem mariti matrimonio.

Si pater, aut alius ex ascendentibus dotem dederit mulieri, quae adhuc in potestate donantis sit, nisi aliud conventum fuerit, dos revertitur ad dotantem: si vero amplius sit in potestate dotantis, uxori dos est restituenda et hac mortua cedit liberis illius.

Uxori dos restitui, et donatio propter nuptias marito cedere debet casu, quo matrimonium decernitur nullum ob impedimentum dirimens, cum quo vero per ignorantiam, et errorem probabilem contraxerunt: si scienter aut cum ignorantia supina, vel crassa, dos, et donatio propter nuptias amittuntur, et applicantur fisco.

Ut dos, et donatio propter nuptias restituenda veniat, sufficit solutio sive quoad vinculum, sive quoad thorum et cohabitationem, si ea solutio facta sit absque alterutrius conjugum culpa, et delicto.

Dos, vel donatio propter nuptias restitui non debet ab innocente, quando divortium factum est propter unius conjugis adulterium,

sed id etiam quod acceptum est, ipse lucratur et una id, quod dedit recuperat.

Dos, et donatio propter nuptias ob adulterium non amittuntur, nec cedunt lucro conjugis innocentis 1. si conjux adulter innocenti fuerit reconciliatus expresse, vel tacite eidem cohabitando: 2. si uterque sit reus adulterii 3. si in adulterium uxoris maritus consensit, et multo magis si leno fuit eamque prostituit: 4. si conjux adulter ex eodem, vel alio matrimonio habeat liberos; tunc enim istis dos, vel donatio propter nuptias servatur quoad proprietatem, et innocens solum usumfructum, dum vivit in iis habet.

Uxor adultera bona paraphernalia non amittit.

Ob adulterium dos et donatio propter nuptias ipso jure non amittitur, sed ope exceptionis.

Dos, et donatio propter nuptias semel amissa recuperatur, si conjuges post sententiam divortii, et privationis reconcilientur.

Secundae nuptiae, modo prius matrimonium quoad vinculum rite sit dissolutum, sunt honestae, et sacramentum.

Ut ad secundas nuptias transire liceat de obitu mariti constare debet certitudine morali, et hoc 1. quantocumque tempore conjux abfuerit: procedit 3. non tantum de secundis nuptiis contrahendis authoritate, et judicio ecclesiae, sed etiam de contrahendis authoritate propria.

Quando censeri debet, moraliter certum esse, quod conjux absens e vivis excesserit, ut nuptias secundas contrahere superstiti liceat, judex ecclesiasticus ordinarius idoneis probationibus judicabit.

Testimonio unius etiam fide digni hominis, mors sufficienter non probatur, ea tamen moraliter certa efficitur, quando cum ejus depositione, concurrunt circumstantiae, vel conjecturae aliquae ex enarratis, vel aliae similes, et de his legitime constat.

Sola fama de morte conjugis non sufficit ad effectum contrahendi secundas nuptias, nisi simul concurrant alia adminicula, et praesumptiones, vel conjecturae vehementes de alterius morte.

Quando a parrocho petitur, ut secundis nuptiis assistat, si ipse certitudinem moralem habeat de morte conjugis, potest, nulla petita ordinarii licentia, et absque praescitu matrimonio novo assistere, eoque novos conjuges licite copulare; alias dubitans ordinarium consulere debet, ejusque responsum expectare.

Si dubium matrimonio fide bona contracto superveniat, si leve sit

Digitized by Google

matrimonii consummationi nihil obest; si vero sit probabile et justum, sive utrique superveniat, tenentur inquirere de veritate, et interea abstinere a matrimonii consummatione, sive uni tantum, et ipse abstinere debet a petendo debito, quamvis reddere illud possit bona fide petenti.

Conjux qui secundas nuptias iniit bona fide, sed postea rescivit, suum vel alterius conjugem adhuc vivere, aut vixisse tempore contracti secundi conjugii, si id moraliter certo intelligat, illico abstinere debet ab omni carnali commercio cum consorte matrimonii posterioris.

Si conjux prioris matrimonii adhuc vivat secundum conjugium propter ligaminis impedimentum irritum est, si vixerit tempore contracti secundi matrimonii, jam vero vivere desierit, cum illud invalide contractum sit, opus est, ut consensu per verba de praesenti ab utroque conjuge renovato ratificetur.

Nomine benedictionis nuptiarum veniunt caeremoniae, et precationes, atque oblationes sacrae, in solemnitate nuptiarum adhiberi solitae.

Nuptias benedicere debet solus parochus, et nemini alio licet, nisi de licentia ordinarii, vel parochi.

Benedictio nuptialis primis nuptiis necessario est adhibenda non ad valorem conjugii, sed ex necessitate praecepti, et culpam venialem committit qui matrimonium contractum ante ecclesiae benedictionem consummat.

Ubi alteruter conjugum benedictionem accepit in primo conjugio, ejus iteratio spectato jure communi prohibetur.

Circa secundum nuptiarum benedictionem optime fecerit, qui rituali dioecesis suae se accomodaverit.

Quando priores nuptiae, in quibus uterque conjux benedictiones accepit reperiuntur irritae, in posterioribus non sunt repetendae.

Sacerdos, benedictionem secundis nuptiis impertiens in casu non permisso, incurrit, juxta nonnullos, suspensionem ab officio, et beneficio, ferendae sententiae: alii intelligunt de benedicente secundas nuptias, primis adhuc constantibus, vel existente dubio de morte prioris conjugis.

Poenae binubentibus jure imperiali aliquae statutae sunt in favorem liberorum primi matrimonii, ut 1.° uxor, dicendum idem de marito, amittit dominium omnium eorum, quae mortui mariti liberalitate, aut ultimae voluntatis dispositione accepit, eorumque solummodo usum fructum retinet, proprietate liberis, ex priore matrimonio procreatis, servata.

2.° Eadem mulier ex bonis suis secundo conjugi, sive inter vi-

vos, sive ultima voluntate relinquere plus non potest, quam uni ex liberis prioris matrimonii, et si hi non aequis portionibus instituti sint, quam illi cui minimum, modo legitimam illi reliquerit.

3.° Amittit liberorum tutelam, et curam mater, non vero pater.

4.° Pupilli, post secundas nuptias, a matre, licet alias eidem liberorum educatio quam maxime competat, separandi et apud aliam personam educandi sunt, nisi statuto, aut moribus loci aliud inductum sit; hac poena pater binubens non afficitur.

5.° Si ad secundas nuptias vidua transeat, et viro inferioris dignitatis nubat, privilegia honoris, et immunitatis prioris mariti amittit.

Poenae quae latae sunt in viduam nubentem intra annum luctus sunt:

1.° Tam mulier, quam vir eam ducens contrahunt infamiam.

2.° Plus tertia parte bonorum titulo dotis, vel per ultimam voluntatem in maritum transferre nequit; reliquiae liberis ex priore matrimonio susceptis

3.° Incapax redditur cujuscumque haereditatis, legati, fideicommissi, et donationis mortis causa ab alio, quam viro assequendae, ut proinde quidquid ei fuerit relictum, id vel haeredibus scriptis, vel cohaeredibus ab intestato venientibus, sit applicandum.

4.° Amittit omnia, quae a priore viro titulo haereditatis legati etc. relicta sibi sunt.

5.° Eadem ab intestato non succedit consanguineis suis, ultra tertium gradum.

Dictae poenae non sunt extendendae ad virum binubentem intra annum luctus.

Poenis, quae in favorem liberorum primi matrimonii sunt statutae, jure canonico, quod secundas nuptias approbavit, certum est non esse derogatum.

Poenas, in mulierem intra annum luctus nubentem, jure canonico sublatas esse defenditur, et hoc procedit etiam quoad forum saeculare.

Poenae, conjugi transeunti ad secundas nuptias statutae jure civili, in vidua fornicante locum habent, nec per jus canonicum sunt correctae.

Probabilius est, viduam intra luctus annum fornicatam, non esse obligatam mariti haeredibus restituere, quod ab ipso acceperat,

Digitized by Google

aut constante matrimonio acquisierat, quousque criminis accedat declaratio-

Probabilius item est, virum luxuriosum privari proprietate bonorum, titulo lucrativo acceptorum ab uxore defuncta.

Licite, et valide a conjuge relinquitur legatum conjugi, sub conditione, *si non amplius nubat.*

Dupliciter delictum notorium esse dicitur, *notorietate juris* cujus notorietas a jure vel in judicio oritur ; et *notorietate* facti, quod perpetratum est in oculis hominum.

Delictum *notorium in genere* illud dicitur, quod vel in jure, vel ex facto suo ita certum habetur, ut nulla amplius discussione egeat, neque ulla tergiversatione celari possit : *occultum* vero in genere dicitur illud, quod non ita certum est.

Ut aliquod crimen dici possit notorium notorietate facti, tria communiter requiruntur, 1. *qualitas loci*, ut scilicet sit factum in loco publico : 2. *qualitas temporis*, nam si commissum de nocte, occultum dicendum, nisi praesens hominum moltitudo fuerit : 3. adstantium multitudo.

Interest an crimen sit notorium, vel occultum, nam in hujus cognitione judex adstringitur ad observantiam ordinis judiciarii, quod secus est in cognitione notorii.

In notoriis opus non est accusatione vel denuntiatione.

In delictis notoriis non requiritur libellus, contestatio litis, juramentum calumniae, et alia solemnia pertinentia ad judicii ordinationem : non est opus citatione ; non est opus, ut judex ferat sententiam condemnatoriam solemniter, et in scriptis, non est locus appellationi ; non admittitur recusatio judicis tamquam suspecti.

Ut ratione criminis notorii judex procedere adversus reum possit, requiritur, ut factum ipsum, quod in delictum cadit, notorium esse debeat : 2. non tantum in se, sad etiam in ratione delicti : 3. debet constare de ipsa notorietate.

Si quis delinquit in cospectu ipsius judicis pro tribunali sedentis, ad punitionem illius, tamquam notorii delinquentis procedere judex, ordine juris non observato, potest : secus est etsi quis ministris in flagranti deprehensus, et apprehensus ad judicem ductus sit.

Accusatio est *delatio rei criminis in judicium ad publicam vindictam soleminiter facta.*

Accusatio proponi debet in scriptis per libellum, vel viva voce ab accusatore prolatam notarius describere in actis debet.

De praxi loco accusationis simplex querela successit, quae nomen

querelantis, querelati, judicis; et commissi criminis speciem, locum et tempus continere debet.

In libello, vel querela annus, et mensis commissi criminis exprimi debet: dies criminis necessario exprimenda non est; utique accusationis institutae dies.

Si qualitas diei est de substantia criminis procul dubio probari debet: idem dicendum de qualitate delicti, ut reus de ipso facto puniri possit.

Hodie in libello accusationis inscriptio in crimen facienda non est sed idoneis fidejussoribus, vel pignoribus accusator cavere debet.

In libello accusationis conclusio, seu petitio poenae determinatae non est necessario apponenda.

Omnibus permissum est accusare, qui non specialiter, et expresse reperiuntur jure prohibiti.

Publici criminis accusatio plerumque conceditur cuivis de populo: *de privato* crimine ii tantum, qui suam vel suorum injuriam prosequuntur.

Ii quibus accusare non est promissum sunt.

1.° ob *sexum* mulieres: 2. *ob aetatem* impuberes: 3. *ob conditionem* servi: 4. *ob delictum* infames, qui jure canonico repelluntur etiam infamia facti: 5. *ob sacramentum* miles, qui stipendia meret; ad veteranos non extenditur: 6. *ob imperium* magistratus: 7. *ob turpem quaestum*, qui duo judicia adversus duos reos subscriptum jam habent, vel pecunias accusationis gratia receperunt: 8. ob *suspicionem calumniae*, qui falsum testimonium subornati dixerunt: 9. *ob paupertatem*, qui minus quam 50 aureos in facultatibus suis habent, nisi constet, quod sint honestae vitae.

Nonnulli ab accusando prohibentur vel simpliciter, vel respectu certarum personarum.

1.° *Ob defectum animi* furiosus, mentecaptus, et prodigus.

2.° *Ob defectum corporis* surdi, et muti a nativitate: secus si ex accidenti tantum praesertim si scribere noverint:

3. *Ob vinculum censurae* ligatus excommunicatione majori, non minori:

4.° *Ob reverentiam* filius prohibetur accusare patrem, quod etiam intelligendum de filio naturali, spurio, adoptivo, emancipato, et de descendentibus quibuscumque respectu suorum ascendentium:

5.° *Ob conjunctionem sanguinis* accusator fratris non potest esse frater, nisi crimen sit leve, vel ad conservandam propriam

Digitized by Google

vitam: hic non veniunt fratres patrueles, adoptivi, spirituales et multo minus privigni:

6.° *Ob familiaritatem* accusare prohibetur is, cujus familiaritati alter inhaesit.

7.° *Ob odium* inimicus capitalis.

8.° *Ob conditionem* clerici, et religiosi, qui prohibentur accusare laicos.

Plerique illorum hactenus recensitorum in certis casibus ad accusandum admitti possunt, et 1. quando suam, ac suorum injuriam prosequuntur: 2. in crimine laesae majestatis, et aliis atrocissimis: 3. quando agitur de ecclesiae, vel monasterii aut alia utilitate publica.

Absolute repelluntur infantes, amentes furiosi: 2. surdi et muti simul: 3. excommunicati excommunicatione majori.

Clerici praesertim familiares accusare possunt episcopum suum et religiosi abbatem, aut praelatum suum, quatenus utilitatem ecclesiae, vel monasterii spectet.

Abbati accusato a monachis debet monasterium tribuere expensas ad se defendendum usque ad finem litis; item religioso abbatem accusanti nonnullis casibus exceptis.

Servis non permittitur regulariter potestas accusandi, sed possunt 1. in criminibus exceptis: 2. quando communi opinione servus pro libero habitus fuit: 3. quando accusavit et impetravit rescriptum: 4. quando vult accusare interfectorem domini sui.

Accusari possunt generaliter delinquentes omnes, nulla aetatis, vel sexus habita ratione, modo non careant usu rationis.

Prohibentur accusari 1. infantes, furiosi, amentes: 2. minores 25 annis si puberes aut pubertati proximi sint, accusari possunt sed assistentia curatoris a judice dati: 3. non possunt servi, qui secum ferunt civitatis amissionem: 4. regulariter nequeunt mortui ante condemnationem: 5. accusari nemo potest, si lapsum sit tempus, quo actionibus criminalibus praescribitur: 6. accusari non possunt supremi principes: 7. legati imperatoris, iterum magistratus populi; durante eorum officio, nisi circa hoc delinquant.

Accusatio contra absentem proponi potest, ut accusatus citetur a judice ad comparendum.

Super eodem crimine plures simul ad accusandum admittuntur tum solum, quando omnium specialiter interest accusationem moveri, aliter judex unum ex illis eliget, qui reliquos praecelluerit.

Accusari aliquis potest de crimine de quo ille nulla laborat infamia.

Reus criminis accusari de eo potest nulla praevia admonitione se-

Digitized by Google

creta, si jam de eo diffamatus fit, aut praevidetur damnum inde imminens tertio, vel reipublicae non tollendum.

Postquam reus de aliquo crimine semel est absolutus, eum neque ab eodem, neque ab aliis de eodem crimine regulariter accusari potest, sed in multis casibus permittitur.

Judex ex officio repellere potest accusatorem inhabile, seu non idoneum, etiamsi pars contra illum non excipiat: hodie parum interest, qui accusare possit, vel non.

Ad accusandum obligari nequit, qui id crimen probare non potest; si potest, et reipublicae per crimen laesae sola dilinquentis denuntiatione consuli non valeat ad accusandum obligatur, secus si valeat.

Ab accusatione jam inchoata desistere non licet casu, quo accusandi obligatio datur.

Effectus accusationis *ex parte judicis* est, quod ea posita, possit accusatum citare, ut personaliter compareat.

Capturam decernere in malefactores solus ille judex potest, qui delicti cognitionem habet.

In levioribus delictis, quae tantum pecuniariam, aut levem corporalem poenam merentur, praestita cautione, captivus carceris relaxationem impetrare potest.

Ex parte accusatoris effectus accusationis sunt tres 1. quod subscriptione in crimen facta conjiciatur in similem custodiam, ibidemque detineatur donec finiatur judicium, ut si forte in probatione deficiat poenae subjici possit: 2. quod accusator crimen, cujus accusationem adornat, teneatur probare: 3. post litis contestationem, inscriptione facta, accusationem prosequi tenetur.

Ex parte accusati effectus, *dum pendet accusatio*, est, ut interim ad novas dignitates sive ecclesiasticas, sive saeculares promoveri nequeant, nisi appareat, accusatorem per calumniam accusasse.

Finita accusatione, et crimine legitime probato, sequitur condemnatio rei ad poenam ordinariam.

Actio criminalis extinguitur quatuor modis, 1. praescriptione: 2. transactione: 3. morte accusatoris ante latam sententiam: 4. morte rei delinquentis.

Denuntiatio describi solet, quod sit delatio, sive manifestatio criminis superiori facta sine solemnitate: ejus species referuntur tres evangelica, canonica, et judicialis.

Denuntiatio evangelica est alicujus criminis rei ad superiorem delatio non, ut poena plectatur, sed ut ad poenitentiam perducatur.

Digitized by Google

Superiori denuntiari non valet delictum religiosi jam emendati.
Superior vel judex, facta sibi denuntiatione evangelica, si delictum adhuc sit occultum, et nemini damnosum, debet se accomodare justae, et rationabili intentioni, seu petitioni denuntiantis: si vero sit notorium, vel occultum sed in damnum communitatis, vel tertii cedens, potest praecipere delatori, ut relicta denuntiatione fraterna, ad judicialem transeat.
Effectus denuntiationis evangelicae est delinquentis correctio, et aliquando rei debitae restitutio.
Denuntiatio judicialis est delicti apud competentem judicem facta manifestatio.
Denuntiari possunt crimina omnia, etiam mere praeterita et emendata, nec amplius committenda, tam privata quam publica, tam aperta, quam publica, et de quibus nulla adhuc extitit delinquentis infamia.
Denuntiatio socii criminis admittitur solum, quando quinque haec observantur: 1. ut denuntiatio facta sit ad generalem judicis interrogationem in ipsa tortura: 2. ut judex denuntiantem interroget de omnibus circumstantiis: 3. ut judex diligenter exploret, num denuntians cum nominato graves inimicitias foveat, quo casu nihil fidei dabit: 4. ut nominatus sit talis persona, in quam delicti suspicio possit cadere: 5. ut denuntians in illa nominatione constanter perseveret, camque non revocet, vel in illo vacillet.
Denuntiationi judiciali in foro canonico in multis casibus locum habet.
Denuntiatio canonica est delatio criminis ad superiorem ecclesiasticum sine solemnitate accusationis.
Est generalis, et specialis: *generalis* agitur apud superiorem, ut impediatur delictum aliquod, vel damnum, ejusque continuatio; *specialis*, ut qui male praeest, vel administrat corrigatur, et si incorrigibilis sit, a praelatura, officio, et beneficio removeatur.
Ad denuntiationem generalem admittuntur omnes.
Specialis denuntiatio iis dumtaxat competit, quorum interest habere bonum praelatum, administratorem subditum.
In generali denuntiatione non est opus, ut praecedat monitio.
Denuntiatio civilis est delatio criminis ad superiorem tamquam judicem, vel ad interesse proprium, vel ad vindictam publicam.
Inquisitio est criminis, vel criminosi per judicem legitime facta indagatio: est generalis, specialis, et mixta.
Inquisito specialis fieri solet tribus modis; 1. ex mero officio judi-

Digitized by Google

cis : 2. ad querelam alicujus, qui tamen non vult stare in judicio : 3. ad denuntiationem alicujus publici officialis.

Judicium inquisitionis differt ab aliis judiciis ; nam in inquisitione fama habetur loco accusatoris; testes recipiuntur etiam lite non contestata, etiam minus idonei ; fit inquisito de criminibus manifestis per famam ; in judicio inquisitionis proceditur quandoque ad remotionem inquisiti in eo ; si crimen sit grave , praelatus convictus removetur ab administratione : etc.

Inquisitionem facere potest judex loci , in quo delictum commissum est , aut delinquens reperitur , si judex ille jurisdictionem criminalem in simili delicto habet.

Inquiri potest de omni crimine, modo sit magnum.

Inquirere judex tantum potest in eum , qui eidem ratione causae , domicilii , vel loci delicti subjectus est, nec specialiter ab accusatione privilegiatus.

Ab inquisitione eximuntur *ob defectum animi* , *aut corporis* impuberes, furiosi , muti et surdi simul , senes , et decrepiti , valetudinarii, mulieres praegnantes.

Ob conditionem, et statum eximuntur magistratus majores , milites , nobiles , doctores.

Ob crimina laesae majestatis , haeresis , simoniae , proditionis , et enormia nemo eximitur.

Inquisitionem non debet praecedere infamia certae personae.

Publica infamia praecedere debet inquisitionem specialem qua inquiritur in certam personam , an criminis perpetrati rea sit.

Ad inquisitionem specialem diffamatio requiritur talis, ut 1. originem habeat ab honestis, et fide dignis personis : 2. ut ad aures superioris pervenerit , et quidem saepius.

Pluribus casibus speciali inquisitioni locus est adversus delinquentem criminis infamia non laborantem.

1.° Si adversus delinquentem adsint indicia criminis valde propinqua.

2.° Quando crimen , de quo inquiritur cum crimine de quo convictus , vel diffamatus quis est , connexum est , vel plerumque esse conjunctum solet.

3.° Quando judex procedit ad denuntiationem officialis publici, vel inquisitionem generalem venit in alicujus rei notitiam.

4.° Quando judici denuntiatur etiam a privato, sed probo et fide digno viro.

5.° Si papa , vel princeps alicui proprio motu , committat inquisitionem super crimine alicujus , dummodo princeps asserat sibi de delicto ex ejus fama , et certa scientia constare.

Digitized by Google

6.° Si judex ad inquisitionem specialem de crimine processit praesente inquisito, et non contradicente, nec reclamante.

7.° In criminibns laesae majestatis haeresis, apostasiae, et aliis enormibus, atque in reip. grave damnum tendentibus delictis.

8.° Quando inquisitio non tendit ad publicam punitionem, sed ad solam correctionem delinquentis, aut damni evitationem.

9.° Quando delictum tendit directe in praejudicium tertii privati, et multo magis reip:

10.° Quando inquisitio specialis instituitur adversus religiosum.

Praeter infamiam, aut huic aequivalentia indicia requiruntur ad inquisitionem specialem 1. ut fiat a judice competente:

2.° Ut costet prius de corpore delicti, seu quod commissum delictum sit.

3.° Ut inquisitio contineat delicti circumstantias praesertim loci, ac temporis, scilicet anni, et mensis.

4.° Ut is contra quem judex de delicto aliquo vult inquirere, de eo non sit absolutus, neque ab eo actione criminali praescriptum.

5.° Ut idem sit praesens, aut saltem citatus, et per contumaciam absens.

6.° Ut eidem inquisito ostendantur capitula, seu puncta inquisitionis, et nomina testium, ut sic exceptiones suas formare contra dicta, et personas testium.

Judici, per viam inquisitionis specialis, procedenti, de corpore delicti *facti permanentis* constare debet liquide, et certo, puta per ocularem inspectionem cadaveris occisi, effractae cistae, aedium exustarum, falsae monetae etc: *facti transeuntis* sufficit constare per conjecturas, praesumptiones.

In examine, et interrogatoriis inquisitorialibus, si judex *generalem* inquisitionem instituat, cavere omnino debet, ne testem de hac vel illa persona certa interroget: si *specialem* prius proponere debet interrogatoria communia personalia, dein realia, paulatim ea quae facto magis magisque propria ac propinqua, tandem specialia, imo specialissima.

Ad formam inquisitionis severae ut procedi possit, praecedere debent indicia criminis urgentia, certa, et concludentia, ita ut nihil deesse videatur, quam rei confessio etc.

Pendente inquisitione inquisitus jure communi accusari potest, sed hodierna consuetudine inquisitio per accusationem non tollitur quia ea in remedium ordinarium transit.

Effectus *inquisitionis generalis* est, quod praeparet viam ad inquisitionem specialem.

Digitized by Google

Effectus *inquisitionis specialis susceptae* est obligatio in personis inquisitis ad manifestandam veritatem : *absolutae* trahit post se sententiam judicis condemnatoriam ; aut absolutoriam.

Crimen directum , et probatum per viam inquisitionis poena ordinaria puniri potest de consuetudine et praxi tribunalium nec non de jure civili , et canonico , de quo nonnulli negant.

Via exceptionis crimen in judicium deduci potest civiliter, et criminaliter.

Civiliter quando crimen objicitur per modum exceptionis ad effectum, ut accusatori intentio diluatur : *criminaliter* ut diluatur actoris intentio non solum, sed etiam , ut infligatur ei poena commensurata delicto.

Casu quo actori, vel testi civiliter opponitur crimen de eo convictus condemnari nequit ad poenam ordinariam, vel extraordinariam, sed solum a proposita accusatione , vel testificatione per sententiam interlocutoriam removetur.

Effectus exceptionis , qua accusatori vel testi crimen opponitur criminaliter , est idem fere , qui accusationis.

Exceptio criminis oppositi electo , vel aliter proviso in dignitate , vel beneficio , antequam consecretur , ordinetur , vel mittatur in possessionem eundem effectum habet quem exceptio criminis criminaliter opposita accusatori , vel testi.

Quando dubitatur an civiliter , vel criminaliter ab excipiente objectum crimen , et in judicium deductum sit , praesumitur objectum civiliter.

Calumniari in criminalibus dicitur ille, qui falsum crimen scienter, ac dolo malo intendit : in multis differt calumnia vera a praesumpta.

In casu quo accusator in probatione criminis celati succubuit judex non potest statim de calumnia condemnare accusatorem , sed prius admittere , et discutere probationes , et praesumptiones debet , quibus accusator dolum , et calumniandi animum a se conatur amoliri.

Poenae in jure statutae calumniatoribus sunt.

1.° Condemnandus est ad expensas refundendas , et resarciendum omne damnum , quod ex improba accusatione passus est accusatus.

2.° Irroganda accusatori poena talionis , sive similis illi , quam probato crimine accusatus subiret.

3.° De calumnia condemnatus redditur infamis infamia juris.

4.° Clericus , qui alium clericum calumniose accusasse convictus est , beneficio et officio ecclesiastico privatus, et verberibus ca-

stigatus, deportari, sive in exilium mitti a Gregorio papa jussus est.
Poena talionis amplius non est in usu.
Verior sententia est, calumniatorem nunquam ultimo supplicio addicendum, nisi ad ipsius calumniam accusatus reipsa condemnatus, et poena mortis adfectus sit.
Prevaricatores appellantur illi qui causam adversariis suis donant et ex parte actoris, in partem rei concedunt.
Hujus criminis condemnatus incurrit 1. infamiam juris 2. fit irregularis.
Tergiversari dicitur ille qui a pubblici criminis accusatione semel instituta desistit.
Paena tergiversationis hodie sublata est cum judex, novo processu instituto ex officio procedat.
Simonia definitur *studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.*
Ad constitutionem simoniae tria requiruntur 1. pactum emptionis venditionis, aut similis alterius commutationis 2. pretium, quod consistit in re temporali 3. merx, quae in illa est res spiritualis aut spirituali adnexa.
Simonia species est sagrilegii.
Simonia duplex est, una juris naturalis, et divini, altera juris positivi ecclesiastici.
Simonia juris naturalis, et divini committitur, quando pro re temporali datur res de se vere spiritualis, aut huic annexa, uti est gratia sanctificans, etc.
Simonia juris positivi ecclesiastici est quando una res spiritualis, aut spirituali adnexa datur pro alia spirituali aut huic adnexa.
Simonia subdividitur in internam, et externam: *interna* est quae consistit in sola mente, sive proposito eam committendi; *externa*; quae in actum externum exit, et subdividitur in mentalem, et conventionalem.
Committitur simonia mentalis tunc, quando quis rem spiritualem alicui confert, tamquam compensationem ex justitia debitam pro re temporali ab ipso accepta, vel animo obligaudi alterum ad reddendam rem temporalem; aut vice versa.
Simonia mentalis plerumque contingit ex parte dantium tantum.
Ut commissa censeatur simonia conventionalis requiritur, ut promissio sit a promissario acceptata.
Simonia conventionalis triplex est *pura*, cum traditio ex neutra parte secuta est; *mixta* cum facta est traditio ex alterutra parte,

aut mercis, aut pretii simoniaci; et *realis* quando consummata simonia est traditione tam pretii quam mercis.

Ad simoniam realem non requiritur, ut totum pretium quod pro re spirituali promissum est tradatur, sed sufficit si ex parte datum sit.

Ad simoniam realem sufficit, si res temporalis pro spirituali, aut contra, tradatur post aliquod tempus.

Simonia confidentialis est, qua quis beneficium ecclesiasticum alicui quocumque modo, v. gr. eligendo, praesentando, conferendo, vel in ejus favorem resignando procurat cum expresso vel tacito pacto, ut is, cui id procurat, post aliquod tempus idem beneficium ipsi procuranti, vel alteri resignet; aut pensionem, vel fructus ex eo praestet.

Species simoniae confidentialis praecipue constituunt collationes et resignationes, quae fiunt cum reservatione accessus, ingressus, et regressus.

Nomine *emptionis venditionis*, *seu pactionis simoniacae* venit quicumque contractus onerosus et reciprocus, et omnis conventio tam tacita quam expressa, vi cujus spirituale pro temporali, tamquam pretio datur, vel promittitur.

Pacto oneroso, quod ex parte unius fictum est, committitur simonia, saltem mentalis ab eo, qui vere habet animum praestandi temporale, vel spirituale, quod promisit.

A ficte paciscente in foro conscientiae interno nullam simoniam incurri defenditur.

Simonia non est dare quodcumque donum, vel obsequium temporale absque ulla recipientis obligatione ex sola spe gratitudinis, etsi gratum a recipiente animum postulat, modo vero absit omne pactum, consequendi gratia aliquid spirituale.

Simonia non est dare beneficium ecclesiasticum benefactori temporali ex gratitudine, et ad satisfaciendum obligationi antidorali inde ortae, modo gratis omnino fiat.

Quando is, qui spirituale accepit obligationem suam antidoralem explicaturus, promittit se eam observaturum, non terminando gratitudinis genus, quo obligationem suam implere velit, simoniam non committit; secus, quando determinate se obligat ad temporale pro spirituali, aut vicissim.

Si donatio fiat mere gratuite, sine actu et animo alterum sibi obligandi, sic donando ex rei natura simonia non committitur; et hoc procedit sive donum temporale detur post spirituale donum,

sive etiam ante, aut simul cum ipso sit datum : in foro tamen externo quando spiritualem dationem praecedunt munera temporalia, plerumque praesumitur mala, et simoniaca intentio.

Hodie post decretum Innocentii XI. certa simonia est dare temporale pro spirituali non ut pretium, sed solum ut motivum.

Si res, vel actus spiritualis detur, aut exerceatur ob *finem temporalem extrinsecum* committitur simonia.

Similiter committitur simonia, quando res, vel actus spiritualis praestatur *principaliter* propter finem temporalem intrinsecum.

Liber a labe simoniaca est, qui rem, vel actum spiritualem praestat *minus principaliter*, propter finem temporalem intrinsecum.

Simonia haud est dare, promittere, legare etc. aliquid temporale sub modo, vel conditione rei, aut operis spiritualis.

Simoniaca non est pactio, qua clericus convenit de stipendio sive congrua personae suae sustentatione, antequam in se suscipiat obligationem ministrandi spiritualia.

Etiam sacerdos dives exigere potest id quod fideles ex statuto vel consuetudine ratione ministeriorum sacrorum tenentur solvere; saltem si ex vi officii sui ad haec non sint obligati.

Clerici exigere possunt sustentationis stipendium in compensationem laboris extrinseci, haud omnino intrinseci : sed ut rite fiat hujusmodi exactio pro labore extrinseco, necesse est ut labor ille non sit aliunde debitus.

Simoniae reos se faciunt, qui excedunt stipendium taxatum statuto, vel consuetudine.

Qui temporale dat, vel promittit alicui apud collatorem, vel patronum beneficii gratioso pro intercessione, commendatione, precibus apud hunc interponendis, a labe simoniae, saltem juris ecclesiastici, excusari non potest.

Simoniacus non est ille, qui aliquid temporale dat vel promittit ministro, aut famulo episcopi collatoris, vel patroni etc. beneficii, non ut pro dante intercedat, aut ipsum commendet, sed tantum audientiam procuret, vel aditum faciat ad ipsum.

In simonia necessario debet intervenire pretium, quod potest esse quaecumque res temporalis pretio aestimabilis, et afferens utilitatem temporalem.

Pretium simoniacum quod in jure canonico dicitur munus, triplex esse potest, *munus a manu*, *munus ab obsequio*, *munus a lingua*.

Munus a manu dicitur quaecumque res pretio aestimabilis:

Munus ab obsequio sunt quaecumque obsequia, et servitia e. g. fa-

Digitized by Google

mulatus, administratio rerum, negotiorum gestio facta ex pacto, vel sub obligatione rei spiritualis conferendae.

Munus a lingua vocantur laudes, commendationes, preces v: g: si quis alicui apud principem gratioso conferat beneficium cum pacto, ut hic apud principem interponat pro conferente suas preces, commendationem, intercessionem.

Simonia non est si detur beneficium aliquod alicui, intuitu solius consanguinitatis, vel amicitiae.

Non est simonia simpliciter orare, rogare, commendationem afferre ad collatorem, vel patronum, ut sibi, vel certo alicui conferat beneficium; vel aliud quid spirituale.

Non est simonia dare beneficium, vel aliam rem spiritualem propter preces armatas, sive gravem metum injuste incussum, si nullum interveniat pactum.

Non est simonia si collator e: g: episcopus beneficium debitori conferat timore amittendi debitum, sive ut debitum ab ipso consequi possit, modo pactum nullum intercedat, per quod imponatur nova obligatio in futurum debitori.

Res vere spiritualis, extra materiam beneficialem, et cum beneficiis connexam, per se rationem pretii simoniaci non habet respectu alterius vere spiritualis.

Pretii simoniaci rationem non habet cessio beneficii prius obtenti facienda ab eo, cui aliud beneficium confertur, sed hoc, quando beneficium obtentum, et obtinendum incompatibilia sint; secus si compatibilia sint.

Pactio simoniaca non est illa, qua a clerico resignante ecclesiam, vel praelaturam transfertur in resignatarium obligatio solvendi debita, nomine ecclesiae, vel praelaturae contracta.

Is, qui pro beneficio litigioso multas expensas fecit, si deinde illud, postquam possessionem pacificam illius adeptus est, resignet cum onere, ut resignatarius sibi solvat expensas, quas pro lite fecit, simoniam committit.

Obligatio solvendi dictas expensas, et subeundi alia onera ex natura sua, aut beneficio fundatione non adnexa a resignante in resignatarium transferri potest authoritate apostolica.

Rationem pretii simoniaci non habet, quod datur ad redimendam vexam, qua quis impeditur a beneficio juste obtento, et in quo jus plenum est acquisitum; si vero aliquid datur ad redimendam vexam quae opponitur ante jus plene quaesitum, et ab eo, qui ad beneficii consecutionem prodesse potest, ut sunt electores, collatores etc. redemptio talis vere simoniaca est;

Digitized by Google

si ab eo qui tantum potest obesse hujusmodi, redemptio non erit simoniaca.

Ut redemptio vexae in beneficio accepto sit licita, requiritur, 1. jus, quod pecuniis contra injustam vexationem tuetur, debet esse certum, saltem secundum commune judicium peritorum.

2.° Vexatio, quam quis vult redimere, debet esse injusta.

3.° Res, quae datur pro illicita vexatione, debet esse temporalis; alias si spiritualis committeretur simonia.

4.° Non debet superesse alia via tollendi vexationem.

Si quis post confirmationem, vel collationem factam, adeoque post acquisitum plenum jus in beneficio quoad proprietatem, injuste impediatur ab acquirenda possessione, potest pecunia redimere vexationem, etiam ab eo, qui potest prodesse sive in possessionem mittere.

An munus aliquod temporale habeat rationem pretii simoniaci dati pro re spirituali vel non, circumstantiae sunt considerandae

1.° an pactum intercesserit, quo major est praesumptio simoniae.

2.° an tali pacto intervenerit aliqua causa, ob quam datio temporalium cohonestari, et accusari a simonia possit; quo praesumi simonia non debet.

3.° Qualitas personae dantis et accipientis.

4.° Quantitas rei temporalis datae, nam si modici pretii sit, pro nihilo reputatur.

5.° Circumstantia temporis sive occasio dationis; nam si fiat urgente necessitate censetur potius dari liberaliter.

6.° Considerari debet an munus temporale detur ante receptionem spiritualium, vel post illam immediate, quibus praesumitur datum ex necessitate, non ex liberalitate: secus si datio fiat ex intervallo.

Nomine *rei spiritualis* intelligitur quidquid aliquo modo est supernaturale, et ad spiritualem animae salutem, vel ex institutione divina, vel ex destinatione ecclesiae est ordinatum.

Spiritualia, quae mercem simoniae possunt constituere quatruplicis generis sunt; 1. aliqua sunt spiritualia in se, et per essentiam: 2. alia sunt spiritualia causaliter: 3. alia spiritualia dicuntur, quod sint effectus sive actus a gratia, dono, et officio, a potestate spirituali: 4. alia dicuntur spiritualia per connexionem, seu spirituali annexam.

Sacramentalia tam transeuntia, quam permanentia materiam simoniae constituunt.

Res consecratione, vel benedictione ecclesiae affecta vendi sal-

Digitized by Google

tem possunt secundum materiam, et ejus aestimationem : sed duo notanda, 1. ut si ad usus profanos, vel laicis vendantur, et tradantur, antea sunt confringendae. 2.° ut propter consecrationem, vel benedictionem rerum istarum pretium non augeatur ; hoc enim simoniacum foret.

Simonia, accipiendo temporale pro officiis ecclesiasticis committitur si pro iis pretium aliquid exigatur; secus est si stipendium accipiatur ad sustentationem necessarium.

Materiam simoniae constituunt prophetia, patratio miraculi et similes actus, si pro his temporale quid detur, vel petatur.

2.° actus ordinum : 3. actus jurisditionis spiritualis fori interni et externi : 4. admissio ad novitiatum, et professionem religiosam : 5. electio, confirmatio, nominatio, praesentatio, institutio, investitura, pallii concessio, et similes actus, quibus beneficia, dignitates, et praelaturae ecclesiasticae obtinentur: 6. alii actus jurisdictionis ecclesiasticae, sive voluntariae, sive contentiosae.

Materiam simoniae constituunt actus ordinis sacerdotalis, et pontificalis ; item functiones propriae diaconi, et subdiaconi ; item dicendum de actibus quatur ordinum inferiorum.

Ordinans, vel ejus ministri accipere aliquid possunt pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus ordinum susceptorum absque vitio simoniae, si nullum pactum, vel exactio praecesserit : de notariis spectandum nunc *Conc. Trid.*

Poena dantium, et accipientium munera ab ordinatis est excommunicatio, suspensio ab officio, et executione ordinum quoad ordinatos.

netudo aliquid accipiendi, imo et exigendi in curae pastoralis
Consadministratione, si exactio fiat moderate juxta taxam, ab episcopo approbatam, sine violentia, et post spiritualium administrationem, tolerari potest.

tituli, ut in administratione sacramentorum, et aliorum divi-
Alii norum recipi aliquid temporale possit sunt *pro labore; pro obligatione*, quam ministri sacramentorum in se suscipiunt ; pro sustentatione.

citium jurisdictionis spiritualis materiam simoniae constituit quan-
Exerdo temporale datur pro pretio illius, vel exigitur.

esse casus maxime, in quibus licite aliquid accipi, et aliquan-
Tresdo etiam peti potest ab ingressuris, vel ingressis in religionem : et 1. quidem quando ab istis aliquid sponte offertur monasterio.

2.° Si monasterium sit inops, et non sufficienter dotatum potest ab ingressis aliquid exigi titulo sustentationis.

3.° Potest indiscriminatim in monasteriis monialium, etiam iis quae redditibus abundant ab ingressuris, vel ingressis aliqua certa pecuniae summa exigi titulo dotis: sed tres limitationes hic adduntur 1. est ut pactum hoc casu non fiat de aliquo dando pro ipso ingressu; 2. ut non admittatur inhabilis ex sola spe recipiendi ab ea aliquid temporale: 3. ut dos non ab omnibus exigatur sine discrimine.

4.° Possunt regulares tam viri, quam foeminae quorumvis monasteriorum, etiam divitum, cum parentibus pacisci, et exigere certam quantitatem pecuniae, vel aliud ea conditione, ut persona ad religionem suscepta eamque professa, ea portione contenta, renuntiet juri haereditatis, vel alterius cujuscumque justae praetensionis.

Verior sententia videtur, qua, in monasteriis opulentis et sufficienter dotatis, negatur aliquid accipi, et exigi posse ab ingressuris, vel ingressis ex nudo sustentationis titulo.

Quando pro collatione beneficii ecclesiastici, accipitur aliquid temporale, quia sponte oblatum, ad summum committitur simonia juris ecclesiastici; si vero praecedente pacto, vel exactione committitur simonia juris naturalis, et divini.

Omissione actuum spiritualium si sint jurisdictionis, et fiat illa accepto pretio, simonia committi potest: secus si actus qui omittuntur sint independentes a potestate jurisdictionis spiritualis.

Jus-patronatus vendi nequit sine simonia, quae probabilius est juris naturalis, et divini.

Terra et locus, postquam jam semel authoritate ecclesiastica ad sepolturam fidelium est deputatus, et benedictus, sine simonia vendi nequit.

Si quis habeat sepulchrum proprium, suis, aut majorum suorum sumptibus pro se, vel suis extructum non committitur simonia, si vendatur alteri praeciso juxta valorem fundi, et expensarum in ejus costructione factarum.

Quando locus aliquis sacer communis est pro sepulturis fidelium, vendi sepultura in illo loco non potest sine simonia.

Pro occasione sepulturae aliquid exigi, pro conservatione fabricae, vel coemeterii, pro sustentatione cantorum, et aliorum sepulturae ministrorum etc. potest.

Certum est committi simoniam juris divini, si vendatur vel ematur beneficium, quatenus est jus administrandi spiritualia.

Digitized by Google

Certum est absque simonia vendi, aut ëmi non posse ipsum beneficium, quatenus est jus percipiendi fructus:

Venditione beneficii, etiam ut est jus percipiendi redditus temporales, committitur simonia jure naturali prohibita.

Capellania erecta auctoritate episcopi pretio temporali vendi nequit.

Sine simonia *commendae spirituales* vendi nequeunt.

Coadjutoriae materiam simoniae constituunt, tametsi cum futura successione conferantur.

Praestimonia si talia sint, ut laicis, aeque ac clericis, et his sine spiritualis obsequii obligatione concedi possunt, non sunt materia simoniae; secus si spirituale obsequium adnexum habent.

Hospitalia erecta auctoritate episcopi, si conjunctam habeant administrationem spiritualem, simonia committitur, si pecunia obtineantur; si admin: spirit: non habent, committitur tantum simonia ecclesiastica: si vero erecta non sint auctoritate episcopi, pretio aestimabilia sunt.

Pensiones mere temporales absque simonia vendi, et obtineri possunt.

Pensiones mere spirituales sunt proprie materia simoniae.

Pensiones mixtae, quae scilicet clericis dantur, ut clerici, sunt jure communi spectato licite, et absque simonia vendi possunt; non tamen secundum stylum curiae Romanae, quae hujusmodi venditiones tamquam simoniacas damnat post decretum s. Pii V.

Redimi possunt pensiones mere temporales, nullam habentes adnexam obligationem spiritualem.

Redimi possunt pensiones etiam spirituales, quando pensioni solvendae adstrictus praesenti pecunia pensionem ita redimit, ut ipse quidem ab ea annuatim praestanda deinceps solvatur, pensionarius tamen perseveret obligatus esse ad munus spirituale, ut prius.

Poenae, quae de jure canonico sunt constitutae in simoniacos, non tangunt reos simoniae mere internae, aut etiam mentalis.

Nulla juris, et facti poena incurritur per simoniam mere conventionalem (excepta confidentiali) seu talem, quae nec pretii nec mercis traditione perfecta est.

Non incurritur juris poena per simoniam etiam mixtam, quae solius pretii traditione perfecta sit.

An incurrantur poenae casu, quo solum spirituale traditum est, pretium vero promissum, controv. est inter DD. sed in praxi probabilior sententia eorum est, qui tenent poenas juris incurrere

Digitized by Google

solum per simoniam realem, seu illam, quae tam pretii, quam mercis simoniacae traditione perfecta est.

Per simonam commissam circa ingressum in religionem, vel alicujus in monachum, vel monialem receptionem, dantes, et recipientes pro ea ex pacto pecuniam, si personae sint singulares, incurrunt excommunicationem; capitulum vero, in receptionem ita factam consentiens, suspensionem a capitulari officio:

2.° Ita scienter aliquem recipientes, et recepti, postquam de simonia convicti, et condemnati fuerint, jubentur expelli a monasterio, et in arctius detrudi, nisi cum ipsis episcopus ut remanere possint dispenset.

3.° Incurrunt infamiam juris: tres casus excipiuntur in quibus poenae istae locum non habent, et 1. quando ingressus per professionem consummatus non est: 2. quando aliquid sponte offertur, aut etiam exigitur ad sustentationem professi ex antiqua consuetudine: 3. ubi poena excommunicationis non est usu recepta.

Qui simoniace aliquem ordinat, vel ad ordines praesentat, 1. incurrit excommunicationem ipso facto summo pontifici reservatam: 2. suspensionem ipso facto a collatione quorumcumque ordinum: 3. interdicitur ingressus ecclesiae.

Simoniace ordinatus incurrit 1. excommun: majorem S. P. reservatam: 2. suspenditur ab executione suorum ordinum.

Obtinentes, et conferentes beneficia ecclesiastica per simoniam, et ii etiam, a quibus, et quorum mediatione, vel cooperatione ita obtinentur, ipso jure, et facto incurrunt excomm:

2.° Electio, confirmatio, institutio, et quaevis alia provisio ad beneficium, officium, dignitatem etc. ecclesiasticam, est ipso jure nulla, ita ut per eam provisus nullum jus consequatur.

3.° Sic promotus restituere tenetur fructus, ex beneficio ita obtento comparatos, quando simonia commissa sit ab ipso beneficiario, vel ab alio ipso sciente, et non contradicente.

4.° Simoniace recipiens beneficium, ad idem obtinendum pro ea vice inhabilis redditur: sic recipiens beneficium privari potest etiam aliis prius obtentis a judice per sententiam condemnatoriam, non tamen ipso jure et facto, ut nonnullis placet.

Per simoniam confidentialem 1. incurritur excommunicatio reservata papae: 2. interdictum ab ingressu ecclesiae: 3. nullitas resignationis, et collationis per eam factae: 4. privatio omnium beneficiorum, et pensionum prius obtentorum: 5. inhabilitas

ad idem, et alia beneficia obtinenda: 6. denique beneficium ita simoniace resignatum reservatur sedi apostolicae: numeratae poenae incurruntur ipso facto, sed oportet ut simonia sit impleta opere, dato et accepto beneficio in confidentiam, etsi ab utraque parte tantum impleta.

Communius, et longe probabilius DD. affirmant recensitas poenas gravare etiam illos, qui propria authoritate permutant beneficia, ac universim, quando non committitur simonia contra jus naturale, sed tantum contra ecclesiasticum.

Per simoniam commissam in aliis materiis, extra beneficia, ordines ecclesiasticos, et ingressum in religionem nulla poena ipso facto incurritur.

Si simonia committatur in materia beneficiali, datum et acceptum ante omnem sententiam judicis in foro conscientiae restituendum est.

Si alia materia extra beneficialem, distinguendum inter mercem, et pretium simoniacum; merx simoniaca obligationi restitutionis non est obnoxia; quoad pretium simoniacum si receptum sit *simoniace* solum, non datur obligatio illud restituendi ante sententiam judicis condemnatoriam, nisi pretium excedat aestimationem commodi temporalis, quod cum re spirituali in alterum translatum est; contra obligabitur ad restituendum pretium ante omnem sententiam, quando acceptio repugnat justitiae commutativae.

Restitutio pretii simoniaci, seclusa speciali lege ecclesiastica, et ante sententiam judicis, illud ecclesiae vel pauperibus addicentis, facienda est ei, a quo acceptum est.

Pretium datum in collatione beneficii simoniaca ex jure ecclesiastico restituendum est ecclesiae in qua beneficium situm est vel restitui potest pauperibus, si superior ita velit.

Probabilius simonia mentalis non obligat ad restitutionem pretii sine injustitia accepti; secus si injuste.

Dispensatio quoad culpam, quae committitur in simonia prohibita jure ecclesiastico. modo non inveniatur specialiter reprobata a jure, admittitur et efficax est: quoad culpam, quae committitur in simonia prohibita jure naturali, nec consuetudo, nec dispensatio, etiam apostolica vim aliquam habet.

Accusare de crimine simoniae potest quilibet catholicus, etiam servus, et criminosus: idem dicitur de testibus: paganus et haereticus, vel ut accusatores, vel ut testes non admittuntur.

Accusari de eo possunt tam dans, quam accipiens pecuniam vel aliam rem temporalem pro spirituali.

Digitized by Google

Ad condemnandum ex hoc crimine simoniae sufficiunt probationes, quae fiunt per signa, et conjecturas.

Cognoscere et definitive pronuntiare potest solus judex ecclesiasticus in simonia, etsi reus sit laicus.

Judex saecularis simoniacum laicum punire ob simoniam commissam potest, si crimen sit notorium notorietate facti, aut juris.

Sub annuo censu, vel pensione concedi nequit regimen, et jurisdictio, ac potestas spiritualis, praelaturis, dignitatibus, officiis, et beneficiis annexa.

Vendi, aut pro censu annuo locari nequit jurisdictio temporalis.

Praelatus a vicario, sibi substituto in beneficio incorporato ecclesiae suae, potest accipere, vel exigere pensionem annuam sub titulo absentiae.

Ordines graduatorum tres inveniuntur, videlicet primo baccalaurei, deinde licentiati, denique magistri, seu doctores.

Privilegia, quae habent magistri, et doctores theologiae, juris, et medicinae quaedam sunt communia, et quaedam particularia. Inter communia est 1.° quod per gradum doctoralem a plebeja conditione, eximantur, et cons. in dignitate constituantur.

2.° Nobilibus annumerantur, et consequuntur veram nobilitatem.

3.° Pro doctoribus et magistris stat virtutis, integritatis, et innocentiae praesumptio.

4.° Doctores singulari prae ceteris reverentia, et honore affici debent.

5.° Eximuntur a muneribus tam realibus, quam personalibus.

6.° Criminum rei mitius puniendi sunt, quam plebeii.

Specialia professorum privilegia sunt: 1. professores, quantumvis juniores, praeferuntur doctoribus non professoribus: 2. pro professoribus militat singularis peritiae praesumptio.

3.° Doctor, qui publice profitetur alicubi, ejusdem loci civis esse judicatur.

4.° Qui s. Theologiae lectores sunt, praeter alia, habent, ut quamdiu publice docuerint, etsi absint ab ecclesiis suis, praebendarum, et beneficiorum suorum integros fructus perficiant; imo et distributiones quotidianas, sed tantum pro illo die quo legunt.

5.° Ex communi sententia qui per 20. annos publice docuerunt jura, illustribus annumerantur.

Potestas creandi magistros, seu doctores competit summo pontifici, imperatori, et aliis principibus superiorem non recognoscentibus.

Digitized by Google

Eamdem facultatem, a pont. et supremis principibus sibi concessam habent prae caeteris studiorum generalium universitates, quam varie exercent.

Doctores creari omnes possunt, qui non prohibentur, sed considerandus est 1. *sexus*, nam foeminae doctorari prohibentur: 2. *natales* legitimi esse debent: 3. *aetas* lege requisita: 4. *fides* catholica: 5. literarum scientia: 6. morum *honestas*.

Ut quis gradum doctoris consequatur, prius examini subjiciendus quo exploretur ipsius candidati scientia, et eruditio: 2. praemittenda est professio fidei: 3. in ipsa promotione tradantur candidato insignia doctoralia.

Ex decreto concilii later. constituendi sunt magistri ad instruendam juventutem in ecclesiis cathedralibus, et collegiatis.

S. Synodus Trid. voluit magistrum theologum constituendum in quavis ecclesia cathedrali, et collegiata; si existat in insigni aliquo oppido, nisi reddituum tenuitas hoc prohiberet, tunc statuit in ea constituendum, saltem grammaticum.

Novo jure Trid. vitae in subsidia magistro theologo praebenda quomodocumque, aliter, quam per resignationem, primo vacatura, et aliud onus incompatibile annexum non habens, deputetur.

Ad praebendam hanc ab episcopo admitti valet etiam canonista.

Etsi illicite agit, qui pro licentia docendi, aut gradu litterario petit pretium, per hoc tamen simoniam revera nullam committit.

Sine periculo simoniae aliquid accipi, et etiam peti pro actu docendi scientias mere naturales, puta juris civilis, medicinae, philosophiae,

Infidelitas triplex est, *negativa*, eorum, qui nihil unquam de fide audiverunt; *contraria*, eorum, qui fidem sibi sufficienter propositam, vel contemnunt, vel ei contradicunt pertinaciter; *privativa*, quia privative opponitur fidei, et est culpabilis ignorantia.

Infidelitas contraria subdividitur in paganismum, judaismum et haeresim.

Paganismus est error, vel secta repugnans fidei scriptae, sive negans mysteria, et veritates a Deo revelatas tum in veteri tum in novo testamento.

Judaismus est error hominum legem duntaxat mosaicam sequentium.

Haeresis est infidelitas omnibus gravior absolute; quoad extensionem autem paganismus est gravior.

Catholico non licet admittere infidelem ad sacramentorum participationem.
Jure ecclesiastico prohibitum est fideli admittere infidelem non baptizatum ad sacrificium missae.
Jure divino, et naturali prohibita est communio fidelis cum infidelibus in suis ritibus; et superstitioso cultu.
Licite inter christianos tolerantur judaei, horum synagogae, et ritus.
Quoad synagogas illorum tria sunt notanda: 1. novae synagogae ipsis eccitari, vel antiquae funditus eversae ibi, ubi steterunt, extrui prohibentur tam per ss. canones, quam per jus civile.
2.° Antiquae possunt iisdem relinqui, imo ad pristinam formam (non autem augustiorem) reparari, et veterum rituum exercitium ibidem permitti.
3.° Non licet architectis, vel fabris christianis laborare in aedificandis, vel restaurandis synagogis judaeorum, aut delubris paganorum.
Prohibentur christiani cohabitare cum judaeis, et multo magis contrahere cum ipsis matrimonium.
Prohibentur christianis ingressus, et usus ejusdem balnei cum judaeis.
Non possunt christiani uti medicis judaeis, aut medicinis, quas ii praepararunt.
Prohibentur christiani judaeos invitare ad convivia, et ab his praeparata accedere.
Prohibentur christiani famulari judaeis, non autem iis operas locare, agros colere etc.
Non licet christianis mulieribus nutrire, et lactare judaeorum liberos.
Judaeis christianorum principum potestati, et imperio subjectis jure tam canonico, quam civili interdictum est
1.° Ne habeant nutrices, obstetrices, et famulos christanos.
2.° ne aliquo officio publico fungantur inter christianos, aut jurisdictio in hos ipsis committatur.
3.° Ipsi et alii infideles non possunt institui haeredes a christianis.
Non permittitur judaeis retinere mancipia, et servos christanos, exceptis adscriptitiis, et originariis.
Interdictum est judaeis, ut ostia, vel fenestras in die parasceves, seu veneris sanctae apertas habeant, sed clausas tenere debent tota illa die.
Non possunt judaei inviti et nolentes ad baptismum suscipiendum compelli, cum inter christanos vivant.
Digitized by Google

Nullus christianorum sine judicio saecularis potestatis judaeum aliquem occidere, vel vulnerare, vel pecunias suas ipsis auferre praesumat.

Nullus praesumat bonas consuetudines judaeorum immutare.

Nemo coemeterium judaeorum mutilare, perrumpere, vel destruere, aut invadere, sive obtentu pecuniae humata corpora effodere audeat.

Judaei legitime recepti frui valent jure civium aliorum.

Si qui judaei, vel saraceni ad fidem christianam sint conversi, possessionibus, et bonis suis nullatenus spolientur.

Judaei delinquentes in contemptum nostrae religionis puniri possunt etiam ab ecclesia, et inquisitoribus: quoad alia delicta de jure communi coerceri debent a principibus et magistratibus christianis in quorum territorio degunt.

Contra christianos, qui ad ritus judaeorum transeunt, uti et contra fautores, et receptatores eorum procedere possunt inquisitores, sicut contra haereticos.

Invalide baptizatus, etiamsi credat se valide baptizatum esse non potest puniri tamquam haereticus, si a fide resiliat.

Prohibentur christiani etiam extra belli tempora turcis, aliisque infidelibus deferre, aut vendere arma, aliaque belli instrumenta, et materialia: quod delictum utroque jure gravissimis poenis vindicatur.

Tempore belli, quod inter christianos, et infideles geritur eamdem censuram, a jure inflictam incurrunt illi etiam, qui merces quascumque ad eos deferunt.

Prohibetur sub eadem censura pontifici reservata, ne quis per se, vel per alios de rebus ad statum christianae reipublicae concernentibus in christianorum perniciem ipsos turcas, et christianae religionis inimicos, certiores faciat, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestet.

Magna quaestio est, num liceat principi christiano inire faedus cum saracenis, et infidelibus auxilii contra fideles ferendi causa.

Infideles ad fidem catholicam directe cogi nequeunt.

Ad praedicationem evangelii audiendam compelli possunt infideles baptizati.

Ad fidem audiendam a papa, vel alio christiano principe compelli possunt subditi infideles ex comm. DD: sententia.

Haeresis indicat malam, et erroneam circa fidem doctrinam: et duplex est alia materialis alia formalis.

Formalis est voluntarius et pertinax error contra aliquam veritatem fidei christianae in eo, qui hanc suscepit: *materialis* autem

quae non ex malo animo, vel pertinacia sed ex simplicitate oritur.

Haeresis formalis subdividitur in mentalem, et externam.

Duo requiruntur ut haeresis dicatur formalis, error in intellectu et pertinacia in voluntate.

Certum est baptismum non requiri ad hoc, ut aliquis reus sit haeresis coram Deo.

Ut haeresis peccatum punibile sit ab ecclesia, requiritur ut ejus reus sit baptizatus.

Baptizatus, qui errat in fide per ignorantiam etiam vincibilem, et crassam per hoc non efficitur haereticus.

Haereticus est, qui discredit alicui revelationi sibi privatim factae, et sufficienter ad credendum propositae.

Haereticus non tenetur ille, qui negat propositionem theologicam, deductam ex una propositione naturaliter evidenti et altera a Deo revelata.

Causae, quae excusant a peccato haeresis sunt 1. ignorantia ex parte intellectus: 2. deliberatio voluntatis: 3. defectus veri dissensus ad objectum fidei: 4. defectus pertinaciae.

Ne haeresis spargatur a Trid. inducta est professio fidei catholicae quam facere cum juramento sub peccato mortali obligantur

1.° Provisi de quocumque beneficio, curam animarum habente

2.° Provisi de canonicatu, vel dignitate in eccl. cathed. tam saecul. quam regul.

3.° Patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi, praelati quicumque

4.° Omnes promovendi in doctores, item magistri, regentes, et alii cujuscumque artis, ac diciplinae professores.

Lectio librorum haereticorum ab ecclesia graviter est prohibita sub poena etiam excommunicationis.

Excommunicationem per *bullam coenae* summo pontifici reservatam incurrunt illi, qui legunt librum conscriptum ab haeretico, vel publice pro tali habito: 2. qui tales libros retinent 3. qui imprimunt, aut proprie cooperantur ad illorum impressionem: 4. qui hujusmodi libros verbo, vel scripto tuentur, aut commendant, vel eosdem occultant, ne ad inquisitorum manus perveniant etc.

Ut ob lectionem, retentionem libri haeretici incurratur excommunicatio in bulla coenae lata requiritur, ut liber sit alicujus haeretici: 2. ut tractet haeresin, vel de religione, aut si de alio tractet haeresin contineat: 3. ut probibitus haeretici liber legatur et scienter: 4. ut legatur, retineatur sine legitima facul-

tate : 5. ut id quod legitur ex libro haeretico, sit materia notabilis, et sufficiens ad peccatum mortale.

Quocumque fine quis librum haeretici retineat, vel legat absque licentia illius, qui illam dare potest incurrit excommunicationem bullae.

Ut incurratur excommun: bullae caenae non sufficit lactio libri haeretici materialis, sed requiritur formalis, quae sensum verborum intelligit.

Si quis jussit librum haereticum sibi praelegi ab alio, excommunicatione tenetur; secus si auscultans neminem jussit.

Qui legit librum authoris haeretici, in quo iste de religione non tractat ex instituto, sed dogma tamen haereticum unum, vel alterum incidenter solum, et obiter refert, vel probat, spectato tenore bullae coenae, etiam iste excomm: incurrit.

Libri prohibiti haereticorum, vel suspectorum de haeresi, in locis ubi viget officium inquisitionis contra haereticam pravitatem sub excommunicatione ,| et aliis poenis contra haereticos latis tradi debent inquisitoribus, nec sufficit eos propria authoritate comburere.

Haeretici ab ecclesia cogi possunt ad abjurationem erroneorum dogmatum.

Principi catholico contra haereticos ob solam haeresin bellum gerere eosque bello adigere, ut haeresin deserant et veram religionem amplectantur, licet, si eidem in temporalibus subjecti sunt, nisi aliud obstet: secus si subjecti non sunt.

Potestas judicùm inquisitorum est delegata.

In assumendis ad hoc officium inquisitionis requiritur vitae probitas, prudentia non mediocris, doctrina non vulgaris tam in jure civili, quam in jure canonico.

Inquisitores in cognitione causarum haereseos, et aliarum cum ista connexarum, atque incidentium possunt procedere, vel conjunctim cum episcopis, aut capitulis, tamquam judicibus ordinariis, vel separatim ab istis, sed hoc in casu condemnare de haeresi convictum nequeunt, nisi processu episcopis communicato, et vicissim episcopi separatim ab inquisitoribus nequeunt condemnare.

Si episcopus, et inquisitores discordes sint, papam consulere, vel causam cum summaria informatione ad eum omnino remittere debent.

Haeresis materialis non subjacet censuris, et poenis aliis in haereticos latis: idem dicitur de haeresi formali pure mentali.

Haeresis formalis externa poenis subjacet.

Digitized by Google

Poenae spirituales in haereticos latae sunt, 1. incurritur ab ipsis excommunicatio major ipso jure: 2. privantur ipso jure sepultura ecclesiastica: 3. fiunt irregulares: 4. redduntur inhabiles ad dignitates, et beneficia ecclesiastica, aliaque officia pubblica obtinenda: 5. privantur dignitatibus, beneficiis, et officiis, ante eorum in haeresin lapsum obtentis etc.

Excomunicationem, et poenas hactenus relatas incurrunt 1. ipsi haeretici 2. eorum *credentes* 3. eorum *receptatores* 4. *fautores* 5. *defensores*.

Ut quis haeresin incurrat excommunicationem requiruntur hae quatuor conditiones 1. ut sit haereticus formalis: 2. ut haeresin animo conceptam verbis, vel aliis signis externis sufficienter prodat: 3. ut externa actio, per quam haeresis interna proditur, sit ex se mortaliter peccaminosa: 4. ut actus externus ponatur, aut omittatur animo haeresim asserendi, profitendi.

Qui contra prohibitionem ecclesiae sepeliunt haereticos, horum credentes etc. incurrunt excomunicationem, neque ab hac absolvuntur, antequam satisfactionem congruam praestiterint, et corpus haeretici ita tumulati exhumaverint haereticis etc. suo privantur officio.

Immunes ab istis poenis sunt 1. qui haereticum sepelit non ex causa haeresis, vel favore haeresis: qui sepeliunt haereticum ignorantes esse haereticum: 3. qui metu coacti hoc fecerunt.

Irregularitas contracta ex delicto haeresis occulto dispensari potest etiam ab episcopo.

In irregularitate contracta ob haeresim notoriam, ut clericus in eam lapsus adscendere ad superiores ordines, et laicus ad istos promoveri possit, dispensare solus pontifex potest: ut vero ministrare possit in ordinibus jam ante susceptis, dispensare potest etiam episcopus.

Beneficia ante obtenta ob haeresin amittuntur ipso jure.

Ut haereticus facto ipso beneficium, a se ante obtentum, teneatur dimittere, requiritur sententia declaratoria criminis.

Filii, et nepotes haereticorum, qui nati sunt, antequam parentes ipsorum laberentur in haeresim, per lapsum parentum, nisi et ipsi consentiant non fiunt irregulares, neque beneficia legitime obtenta amittunt: si nati sunt postea haeresim parentum, et ea *occulta* sit, irregularitate hac non afficiuntur; *si notoria est*, inhabiles ad beneficia deinceps obtinenda fiunt tam filii ipsorum haereticorum, quam nepotes, sed in his tantum illi, qui ab ipsis descendunt per lineam paternam.

Poenae temporales in haereticos quam plurimae sunt. Incurrunt infamiam.

Eadem infamia haud notantur filii, ac nepotes descendentes ab haereticis, et horum fautoribus.

2.° Fiunt intestabiles tam active, quam passive, ita ut neque testamentum condere, neque succedere ex testamento, vel ab intestato possint.

Haereticus de bonis, quae acquisivit post sententiam declaratoriam criminis libere testari potest, secus de his, quae habuit ante sententiam.

Si hareticus privatur successione ex testamento, *ut incapax*,' omnia quae illi deferuntur, aut relinquuntur, non fisco, sed venientibus ab intestato proveniunt; si ut *indignus* fisco applicantur.

3.° Confiscantur bona omnia ipso jure tam mobilia, quam immobilia, jura, et actiones, quae haeretici propria erant, cum delictum commisit.

Publicatis bonis haeretici, publicatur etiam jus patronatus, majoratus, fideicommissi, emphiteusis, feudum, si accessorie venti ad castrum, aut villam cui annexum est: contra si ratione solius personae competit multae, et variae distinctiones sunt adhibendae.

Si filius familias commisit haeresim, peculium *profectitium* sub confiscationem non venit, sed totum cedit patri; non autem cedit patri *castrense*, *vel quasi*, et *adventitium* in quo ususfructus tantum patri servatur, sed in confiscationem veniunt.

Si solus pater commisit haeresim bona *castrensia*, *vel quasi* filiis, item bona *adventitia*, nec quoad usumfructum ob delictum patris nullo modo publicantur.

Propter haeresim mariti, non confiscantur dotes, et bona uxoris nisi cum marito matrimonium contraxisset, quem sciebat tempore contractus haereticum fuisse, quo casu privatur dote non aliis bonis, et solum per sententiam condemnatoriam judicis.

Maritus innocens ob haeresim uxoris suae, bona sua non perdit, etsi scienter matrimonium contraxerit cum haeretica.

Bona haereticorum laicorum confiscata, spectato jure comm. canonico in terris ecclesiae applicantur fisco ecclesiae, in terris vero imperii fisco saeculari.

Ob haeresim clericorum, bona ecclesiae ex quibus clerici redditus percipiunt, confiscari nequeunt.

Bona clericorum acquisita ratione beneficii ecclesiastici, non fisco, sed ecclesiae, cui inservierunt, applicari debent.

Digitized by Google

Bona patrimonialia, et quasi patrim. clericorum deferuntur de jure comm. fisco ecclesiastico.
Usque ad sententiam declaratoriam criminis possessio bonorum haeretico, aut ejus fautoribus etc. non aufertur.
3.° Si in haeresim lapsus liberos habeat, amittit in hos patriam potestatem, ita, ut hi a die commissi criminis ante omnem sententiam sui juris efficiantur: haec poena non extenditur ad receptatores fautores et defensores haereticorum.
5.° Servi ab obsequio domini haeretici fiunt liberi, sed post sententiam declaratoriam criminis; hoc verum si sint catholici nam si sint haeretici cum reliquis bonis in dominium fisci transeunt.
Etsi cum haereticis paciscendum facile non sit, si tamen pacta cum iis iuita quaedam sint, ea inviolabiliter custodiri, et observari debent, quoties res promissa ex se licita, et possibilis est.
Haeretici, si poenis dictis insuper habitis, errores suos pertinaciter abjurare noluerint, aut in eos abjuratos relapsi, sponte non redieriut, curiae saeculari, praemissa, si clerici fuerint, degradatione, sunt tradendi.
Haeretici pertinaces puniri possunt etiam poena capitali, etsi a nonnullis negatur.
Judices competentes ordinarii in crimine haeresis sunt 1. pontifex: 2. legatus a latere: 3. episcopus respectu omnium haereticorum in sua dioecesi, sive clerici illi sint, sive laici: 4. capitulum sede episcopali vacante: 5. praelati inferiores episcopo, habentes jurisdictionem quasi episcopalem in clerum, et populum ab episcopis independentem.
Praeter enumeratos judices alii de haeresi cognoscere possunt potestate delegata.
De causa haeresis judex saecularis olim cognoscere poterat: hodie sive principaliter sive incidenter in judicium deducatur cognitio haeresis est fori ecclesiastici tantum, etsi facti sit quaestio.
Magistratus saeculares quando in haereticos, haeresi condemnatos, ac sibi traditos jubentur debita animadversione procedere non possunt examinare justitiam causae, et processus ab inquisitoribus et episcopis instituti, sed absque dilatione intra quinque vel sex dies sub poena excomm: latae sententiae in eosdem debent procedere, nisi evidenter, et certo cognoscat innocentiam condemnati.
Principes ceterique magistratus saeculares saltem de haeresi diffamatos, au suspectos capere, et incarcerare possunt.
Si haeresis crimen ad forum contentiosum deductum est, jure ordinario, ab ea absolvere potest solus pontifex: si occultum est

et nondum deductum, pro foro conscientiae ex vi Trid. episcopus absolvere potest; et qui venit nomine episcopi.

Ut episcopus in foro coscientiae absolvere possit ab haeresi occulta, et incursa per eam excommunicatione, requiritur 1. ut subditos et dioecesim habeat: 2. ut non exerceat potestatem istam, nisi in subditos: 3. non possunt episcopi absolvere ab haeresi etiam pro foro conscientiae extra diaecesim existentes 4. absolutionem ab haeresi impertiri episcopus solum potest per seipsum non autem per vicarium.

Facultas absolvendi ab haeresi occulta, ex Trid. decreto concessa episcopis probabilius revocata est per bullam *coenae*.

Sub facultate generali absolvendi a casibus reservatis concessa per bullam cruciatae, vel jubilei non comprehenditur etiam facultas solvendi ab omnibus casibus contentis in bulla coenae ut sub facultate absolvendi a reservatis in eadem bulla facultas absolvendi ab haeresi.

Ab haeresi, et excommunicatione per eam incursa in articulo mortis quivis sacerdos absolvere potest: non autem quivis confessarius extra verum mortis articulum absolvere potest illum, qui impedimento perpetuo prohibetur, ne possit adire papam; nisi impediatur etiam accedere episcopum, et alios facultate absolvendi praeditos.

Haeretici, eorumque credentes etc. nunc non sunt, ut olim vitandi, nisi nominatim denuntiati sint, quamvis sint manifesti, et notorii.

Principes catholici ordinarie loquendo recipere, vel tolerare in suis territoriis haereticos, vel ritus eorum non possunt.

Regulariter, et ordinarie illicitum, et graviter peccaminosum est principibus catholicis inire foedus cum haereticis, illosque in bello etiam justo juvare, vel auxilium illorum invocare contra alios saltem catholicos principes: dantur tamen aliqui casus, in quibus id licitum est, tunc videlicet, quando nullae adhibentur conditiones ecclesiae, vel religioni graviter praejudiciosae, simulque moraliter apparet, quod ex tali foedere, vel auxilio, nec scandalum, nec grave aliquod damnum, vel praejudicium ecclesiae, et religioni catholicae sequi valeat.

Schisma definitur *divisio sive discessio ab unitate ecclesiae*, *quatenus haec est corpus mysticum ex universis fidelibus tamquam membris, et romano pontifice tamquam capite costans.*

Schisma aliud est *purum*, quod non opponitur fidei, sed paci, et charitati, aliud *conjunctum* cum haeresi, quod praeter separationem ab ecclesia, insuper in fide dissentit.

70 *

Proprie schismatici sunt ii dumtaxat, qui recedunt vel a summo pontifice, vel a caeteris ecclesiae membris.

Ut aliquis dicatur vere schismaticus requiritur, ut recedat ab obedientia summi pontificis, et communione ceterum fidelium, qua talium, 2. ut hic recessus junctus sit cum pertinacia: 3. ut idem recessus fiat quoad illa, quae pertinent ad unitatem ecclesiae: 4. ut sic recedens agnoscat, eum qui obedire detrectat, esse caput ecclesiae, et verum Christi vicarium: 5. ut exerceat actum formalis inobedientiae.

Schisma peccatum gravissimum est nec admittit parvitatem materiae.

Poenae a jure statutae in hoc crimen sunt 1. excommunicatio major ipso jure lata, et reservata sedi apostolicae. 2. inhabilitas ad beneficia, et dignitates ecclesiasticas praesertim episcopalem imposterum obtinendas: 3. bonorum confiscatio, item beneficiorum privatio, officiorum, bonorum, ac dignitatum ecclesiasticarum prius obtentarum: 4. infamia, et irregularitas non juris, sed facti tantum: 5. privatio ecclesiasticae jurisdictionis: 6. suspensio ab usu, et exercitio ordinum, a schismatico, qui publice et nominatim denuntiatus est, scienter receptorum.

Apostasia definitur defectio, qua receditur temerarie a vitae prioris instituto, quod quis publice, et solemni professione susceperat.

Species apostasiae triplex est, perfidiae, inobedientiae, et irregularitatis.

Apostasia *perfidiae* est omnimoda desersio fidei ortodoxae susceptae in baptismo.

Apostata quis esse potest, quando sola mente quis recedit a fide catholica: 2. quando mente simul, verbis, vel factis fidem catholicam deserit: 3. quando quis verbis tantum, aut factis non tamen animo desciscit a fide catholica.

Pro apostata habendus non est, qui coacte *praecise* et *absolute* circumcisionem a judaeis, vel turcis passus est, aut idolis sacrificavit, fide in corde retenta: si vero coactio *conditionalis* fuit in foro externo pro apostata habetur, secus in interno.

Apostatae a fide incurrunt excomm: et ceteras poenas, quas incurrunt haeretici, et horum fautores etc. ut illorum fautores, receptatores etc.

Apostasia *inobedientiae* est delictum, quo aliquis Deo, vel superioribus legitime constitutis, et agnitis praefracte renuit obedire horumque praecepta transgreditur.

Poena hujus apostasiae est diversa pro diversitate originis, ex qua oritur.

Apostasia *a religione* est omnimoda defectio, sive temerarius reces-

sus a statu religioso per professionem aut vota religionis substantialia inito, sine proposito redeundi, vel cum proposito non redeundi.

Ut quis constituatur verus apostata a religione requiritur 1. ut recedat a statu religioso. 2. ut in religione tali approbata ediderit vota substantialia religionis : 3. ut recessus iste completus sit opere : ut istud fiat sine licentia superioris: 4. ut ita recedens sine licentia, non habeat animum redeundi.

Pro apostatis non habentur, et horum poenis affici nequeunt regulares, recurrentes ad urbem a gravaminibus, per suos superiores sibi allatis, si recto tramite ad urbem recurrant, et se statim praesentet secretario sacrae cong:

Qui e claustro egrediuntur et monasteria relinquunt (retento, vel dimisso habitu) praetextu nullitatis suae professionis, non audiuntur quamvis ad urbem accedant, nisi prius redeant ad claustra.

Qui de una in aliam religionem transit sine superioris licentia an apostata sit, dissident inter se DD.

Poenae in apostatas a religione deficientes jure comm. statutae sunt, excommunicatio major ipso facto: 2. suspensio ab usu et exercitio ordinum sacrorum, durante apostasia susceptorum: 3. amissio omnium privilegiorum suae religionis.

Apostasia ab *ordine* est temeraria defectio, seu transitus a statu clericali ad conversationem laicalem.

Talis apostasia non committitur ab eo, qui initiatus ordinibus solum minoribus est, nisi beneficium habeat, quo in casu latiori sensu apostata dicitur.

Poenae apostatarum proprie ab ordine dictorum sunt: 1. excomm: major, sed ferendae sententiae: 2. infamia facti dumtaxat: 3. irregularitas improprie tamen dicta, et orta ex infamia: 4. amissio privilegii canonis.

Dictae poenae locum habent in clericis tantum in majoribus ordinibus constituti, quando constat de apostasia ab ordine, et statu clericali.

Lege imperiali scienter rebaptizans, et rebaptizatus ultimo supplicio afficiuntur : jure canonico uterque irregularitatem contrahit, et si clerici sint deponi, si laici excommunicari debent : irreguritatem incurrunt etiam acolytus, subdiaconus, et diaconus, qui rebaptizanti ministrant, si crimen ejus publicum sit.

Si crimen publicum est, in ea irregularitate solus pontifex dispensat: si occultum etiam episcopus.

Digitized by Google

Qui bis sacramentum confirmationis alicui contulit, vel qui bis illud suscepit irregularitatem non incurrit.
Parricidium est homicidium in personas conjunctas impie commissum; dividitur in parricidium *proprie*, quod a liberis in parentes, et vicis-im committitur: in *improprie* quando occiduntur cognati collaterales, et affines.
Parricidarum nomine veniunt 1. liberi, qui occidunt proprium patrem vel matrem, etsi sit vitricus, vel noverca: 2. parentes qui occidunt filios etiam privignos, vel privignas; 3. nepotes, et neptes occidentes parentes in infinitum: 4. socer aut socrus, generum vel nurum et vice versa: 5. maritus, uxorem, et contra: 6. frater, fratrem, vel sororem et contra, etsi conjunctos per patrem, vel matrem tantum 7. consanguineus quicumque transversalis occidens alium consanguineum intra quartum gradum inclusive.
Parricidii culpa, et poena porrigitur etiam ad extraneos, qui aliquo modo cooperantur ad parricidium.
Casus, et causae excusantes a culpa et poena parricidii filios, si parentes occidant sunt 1. si occidentes sint furiosi: 2. si ignoranter et sine dolo parricidium sit commissum: 3. si filius a patre fuit expositus, et major factus eumdem occidat: 4. si filius sit adoptivus: 5. si filius occidat patrem ex causa defensionis necessariae 6. si filius occiderit patrem in patriam perduellem: etc.
De jure canonico poena parricidarum hodie est arbitraria, pro excessu augenda, vel minuenda.
Nullo tempore, nec immemoriali extinguitur accusatio, et poena parricidii.
Qui directe, vel indirecte quocumque modo procurat abortum foetus animati incurrunt 1. omnes poenas ab utroque jure contra homicidas voluntarios constitutas: 2. contrahunt irregularitatem: 3. sunt privati omni privilegio clericali: 4. sunt inhabiles ad omnia officia, et beneficia: 5. ipso facto excommunicantur: 6. ipso facto beneficiis privantur: 7. si clericus sit deponendus ac degradandus, et curiae saeculari tradendus.
Expositio infantis vel languidi, est inhumanitas, qua infantes, et languidi cujuscumque aetatis, quibus educatio, alimenta, aut cura debetur, contra pietatis officium expositi deferuntur.
Poena exponentium infantes de jure canonico arbitraria est.
Tam jure civili, quam canonico patres ac domini amittunt patriam vel dominicam potestatem exponentes filios, vel servos; et hoc etiam si in expositionem consentiunt, sed quatenus patria po-

testas filio onerosa est, in quantum enim favorabilis ei est non amittitur.

Is qui infantem et languidum expositum suscipit aut sustentat, in ejus personam nullum acquirit jus, ab exponente autem expensas repetere non prohibetur.

Casu, quo nemo privatus curam infantis expositi suscipiat, alimenta subministranda sunt a brephotrophiis, hospitalibus, et aliis piis locis: his deficientibus succurrere debet ecclesia, ea indigente a communitate loci infantes alendi sunt.

Quicumque infantem expositum assumunt, et educant, id juris acquirunt quod eis (excluso fisco, parentibus, et cons: tanquam indignis) ab intestato succedunt, si absque descendentibus decedens bona temporalia reliquit.

Si locus, in quo prolem natam, et baptizatam esse constat, est originarius, proles alibi exposita, et baptizata ad istum remitti potest; si non constat, alenda in loco expositionis.

Dominus non tenetur ad magnas, sed tenues dumtaxat expensas pro cura famuli aegrotantis ratione famulatus.

An pro legitimis, vel illegitimis habendi sint expositi, et alii quorum parentes ignorantur, DD. dissident, sed probabilior sententia eorum est, qui legitimis accensendos putant.

Homicidium est *violenta exanimatio hominis ab homine facta.*

Homicidium est duplex voluntarium, et casuale, quod accidit praeter intentionem occidentis.

Voluntarium homicidium aliud est *justum*, quod nulla prohibetur lege, aliud *injustum*: prius necessarium et difensivum; posterius simplex et diliberatum.

Simplex, et deliberatum quinque modis potissimum fieri potest 1. simpliciter sine qualitate: 2. ex insidiis: 3. proditorie: 4. per assassinium: 5. per veneficium.

Ad homicidium voluntarium injustum, ejusque poenam incurrendam duo requiruntur 1. ut sit commissum per directam et spontaneam voluntatem: 2. ut effectus, sive mors re ipsa sequatur actu.

Mutilatio est amputatio, vel truncatio alicujus membri, quod proprie dicitur pars corporis, quae peculiarem functionem, sive officium, ab aliis partibus corporis distinctum, habet.

Aggressorem injustum occidere licet, servato tamen moderamine inculpatae tutelae.

Occidere licet etiam, observato moderamine inculpatae tutelae, in defensionem aliorum innocentium, quos alius, vel alii injuste aggrediuntur et procedit hoc non tantum quando deferendi sunt,

Digitized by Google

parentes, uxor liberi, aut alii conjuncti, sed etiam quando extranei innocentes vim ejusmodi patiuntur.

Ut censeatur observatum esse moderamen incolpatae tutelae varia requiruntur. 1. ut is qui sic occiditur fuerit aggressor injustus 2. ut defensio offensionis avertendae sit proportionata. 3. ut conflictus fiat paribus armis 4. ut defensio fiat in continenti hoc est in ipsa invasione, et concertatione.

Qui ob defensionem sui, suorumque aut etiam extranei injustum invasorem occidit, servato dicto moderamine, non incurrit irregularitatem.

Conveniunt DD. non fieri irregularem qui pro sui defensione occidit invasorem injustum, a quo illatam vim declinare potuisset fugiendo.

Injustus invasor famae et honoris non licet occidi nisi quando invasio praesens est et quasi in puncto illius factae et faciendae.

Pro defensione rerum temporalium licet occidere aggressorem injustum quando defensio sit mixta, idest si consideratis circumstantiis loci temporis et personarum periculum sit ne raptor non tantum in bona sed etiam personam aliquid moliatur.

Si nullum personae periculum immineat inspici debet utrum bona ablata sint magni momenti, et aliter non recuperabilia, tunc enim coedes pro eorum defensione est licita; secus minime licite et juste dari sententiam in malefactores qua illi condemnantur ad mortem aut membrorum truncationem, et sententiae executionem praecipi ministris justitiae posse est catholica veritas.

Non licet cuipiam seipsum occidere vel mutilare nisi hoc secundum fiat ad conservandam vitam totius individui.

Bannitus, cujus occidendi potestas cuilibet a magistratu publice concessa est, etiam in conscientia occidi licet. Quamquam leges Romanae permittant patri occidere filiam, aut marito uxorem, aut adulterum in adulterio deprehensos, tamen dicendum est lethaliter peccare patrem si filiam et maritum si uxorem vel adulterum occidat.

Exploratum est in jure ecclesiastico irregularitatem incurri propter omicidium etiam justum secutum ex sententia condemnatoria.

Hinc irregularitatem hanc contrahunt non solum judices, et assessores, sed accusator, denunciator, et testes, deponentes in causa sanguinis.

Ab hac irregularitate immunis est summus pontifex; quia cum lege ecclesiastica, qua irregularitas inducta est, non ligetur, ejus incurrendae incapax est: immo si quam irregularitatem ante

obtentam pontificalem dignitatem contraxisset, ista ad hanc dignitatem erectione tolleretur.

Item immunes sunt inquisitores haereticae pravitatis, eorumque commissarii, et consultores; nec non judex quicumque alius ecclesiasticus qui cum reum curiae seculari tradit, apud soccularem judicem efficaciter intercedat, ut citra mortis periculum sententiam moderetur.

Ut quis irregularitatem incurrat ex defectu lenitatis debet cooperari ad mortem vel mutilationem notabiliter, et non valde remote, aut per accidens. Hinc irregularitatem non incurrunt praelati ecclesiastici dum ad causas sanguinis constituunt judices cum clausula, ut cognita causa justitiam administrent.

Quamquam qui agit de crimine civiliter, si protestatus est coram judice se poenam non intendere, irregularitatem non incurrit, non ideo tamen hoc dicendum est de accusatore accusans aliquem criminaliter etiam cum protestatione simili.

Ab irregularitate tamen immunis est qui accusat etiam coram judice seculari de crimine non capitali, et judex excedens limites justitiae condemnat accusatum ad mortem vel aliam poenam sanguinis.

Communis sententia DD. est irregularitatem non incurrere spectatores suppliciorum, modo assistant sine ulla cooperatione, nec sua praesentia authoritatem praestent executioni supplicii.

De bello distinguendum est inter justum et injustum, defensivum et offensivum.

Qui pugnant *bello justo defensivo* suscepto ad patriae vel Ecclesiae defensionem uullam incurrunt irregularitatem: proceditque hoc etiam in clericis si ad hostem propulsandum non sufficiant laici.

Qui pugnant in bello justo offensivo irregulares non fiunt nisi propriis manibus occidant vel mutilent: quod idem de clerico dicendum est. Excipitur tamen casus quando clericus militiae nomen dedit, armatus in bello servivit, et stipendium accepit, et expeditionibus militaribus se associavit.

In bello injusto irregularitatem incurrunt omnes non solum militantes, sed etiam qui militantibus cooperantur, vel auxilium ferunt.

Poena homicidii voluntarii injusti simplicis varia est secundum jura, nam lege divina pronuntiatur in reos poena mortis, quam poenam imitatae sunt leges civiles.

Jure ecclesiastico, homicida si laicus sit excommunicatur per sententiam, si clericus ab ordine et officio est deponendus, in ar-

clum monasterium detrudendus, cujus tamen loco hodie successit condemnatio ad carceres, vel triremes.

Et hoc nisi crimen sit iteratum et homicida clericus incorregibilis, tunc enim degradatus tradendus est Curiae soeculari.

Deinde inhabiliis fit ad beneficia ecclesiastica obtinenda; contrahit irregularitatem, ut quantumvis homicidium sit occultum, tamen etiam post peractam poenitentiam ordines suscipere, et in susceptis ministrare sine dispensatione nequeat.

Ratione mandati mandans incurrit irregularitatem in omnibus illis casibus in quibus mandatum est causa moralis caedis vel mutilationis; et hinc ratione mandati a se dati irregularis fit, 1. qui mandavit tantum aliquem verberari si mandatarius excedens fines mandati occidit; 2. qui non dederit mandatum expressum sed tacitum dumtaxat; ut si Pater dicat filio, *non occidas illum, non tamen redeas domum donec aliquid novi audiam a te circa Titium;* 3.° si ipse mandatarius occidatur vel mutiletur, quia licet praeter intentionem ejus accidat ille mors, cogitare tamen poterat ac debebat illam accidere posse.

Revocatio mandati liberat mandantem ab irregularitatis incursu, sed ab ista irregularitate non liberat consulentem revocatio consilii, si mors fuerit secuta.

Cum quis vulneratus per aliquod tempus vixerit, et ideo dubitetur, an vulnus inflictum fuerit lethale, judici incumbit ut mature, adhibitis peritis medicis et chirurgis, vulnus inspiciat, ex quorum depositione judex sententiam suam formabit. Et si mors secuta sit occasione vulneris irregularitas contrahitur; secus minime.

Qui abscindit membrum aridum et prorsus inutile non fit irregularis; idem dicendum est de eo qui aliquem notabiliter deformat citra mutilationem. Ex quo sequitur, fieri posse ut quis interdum faciat alterum irregularem licet ipse non fiat irregularis.

Irregularitas mutilationis distincta est ab irregularitate homicidii, et hinc sequitur, non omnia, quae in jure statuta sunt circa irregularitatem homicidii voluntarii, etiam extendi ad mutilationem voluntariam.

Qui homicidium perpetrat ex insidiis gravius delictum committit, et hinc graviori vindicta coerceri semper consuevit; deinde qui illud commisit privatur asylo ecclesiastico, nec non aliis privilegiis vel juribus.

Atroce item delictum est assassinium, et contra illud jure Ecclesiastico diversae sunt latae paenae; scilicet, 1. excommunicatio; 2. depositio a dignitate honore, ordine, 3. infamia, 4. irregu-

laritas 5. privatio immunitatis ; 6. amissio privilegii clericalis ; 7. diffidatio perpetua a toto populo christiano.

Homicidium involuntarium dupliciter potest contingere, videlicet 1. ut vacet omni culpa occidentis, 2. ut intervenerit aliqua istius culpa, eo quod ab eo non sit adhibita debita diligentia ad homicidium cavendum.

Nunquam irregularitatem contrahit occidens quando hic vacat omnino culpa, et hinc ex homicidio et mutilatione irregularitatem non incurrunt infantes, amentes, qui actioni onestae dant operam, si caveant sedulo.

Qui vero operam quidem dat rei licitae, sed diligentiam non habet, et homicidium committit, jure civili conveniri potest lege aquilia ; jure ecclesiastico subit irregularitatem.

Etiam is qui propter iram homicidium committit ordinaria poena plectitur. Quod dicendum est de eo qui volens occidere Titium, per ignorantiam sive errorem occidit Cajum.

Ab hac irregularitate dispensare potest summus pontifex et si homicidium sit casuale etiam episcopus dispensare potest.

Episcopus item dispensare potest in irregularitate quae orta est ex mutilatione voluntaria si haec occulta sit.

Quando crimen ad forum contentiosum deductum est, episcopo tollitur potestas dispensandi in irregularitate.

Qui occidit vel vulnerat tenetur compensationem pecuniariam facere, reficiendo expensas in medicos et chirurgos, seu generaliter in curationem vulneris factas. Et si vulneratus ejus conditionis sit ut quotidiano labore victum aut lucrum quaerat, etiam eo nomine compensatio facienda est.

In faemina compensatio etiam facienda cicatricis aut deformitatis, sed tantum tunc, quando propterea difficilis nubit.

Torneamenta, sive hastiludia sunt solemnes pugnae equestres in quibus milites ob exercitium congredi solent.

Jure canonico prohibita sunt torneamenta quia mortem hominum et animarum pericula gignunt. Et hinc si cum debita moderatione instituantur ita ut periculum absit, de facto etiam jure canonico licita sunt. Quod tamen intelligendum est de laicis tantum, nam clericis semper prohibita sunt torneamenta sub poena anathematis.

Duellum definiri potest *singularis pugna duorum inter se suscepta ex condicto.*

Non semper prohibitum est duellum; nam sunt aliquae causae quae illud excusant, vel jubent v: gr: diremptio belli, quo modo

David congresus est cum Philistaeo, et tres Horatii cum totidem Curiatiis.

Item licita est acceptatio et oblatio duelli ad defensionem vitae, et fortunarum, si alia ratio haec defendendi non appareat. Contra non potest acceptari et offerri duellum ad ostentationem virium et peritiae militaris, nec ad vindicandam injuriam illatam, nec ad manifestationem veritatis, innocentiae, aut justitiae.

Jure civili si alteruter duellantium ceciderit, ratione poenae criminalistae communiter distinguunt inter provocantem et provocatum, nam si provocans occiderit provocatum, puniendus est poena ordinaria legis Corneliae nempe gladii.

At si provocatus interfecerit provocantem mitius et extra ordinem puniri solet.

Jure canonico antiquo in clericum, si duellum ineat, duplex statuta poena est: 1. jubetur deponi et ab officio, et beneficio perpetuo suspendi, et 2. irregularitas indicitur.

Novissimo jure Tridentino ampliores constituntur poenae. Nam 1. domini fundi qui duellantibus locum concedunt, incurrunt excomunicationem latae sententiae. 2. Pugnantes in duello, et eorum patrini incurrunt poenam excomunicationis, proscriptionis bonorum omnium, perpetuae infamiae, et si in duello adversarium suum occiderit, ut homicidae, juxta ss. canones puniri debent; si vero in ipso conflictu decesserint, privantur ecclesiastica sepoltura. 3. illi denique qui consilium in causa duelli dederint, nec non expectatores, excomunicationis, ac perpetuae maledictionis vinculo adstringuntur.

Sagittariorum nomine veniunt ii qui sagittas, praesertim veneno illitas ex arcubus, saxa ex balistris, vel globos plumbeos ex machinis bellicis ejaculando, arcium vel urbium obsessarum moenia aut hostium agmina prosternunt.

Artis istius exercitium prohibitum est christianis si eo uti velint contra christianos pro hostibus christiani nominis: contra permissum est, si bellum sit justum etiam christianis contra christianos.

Poena sagittariorum est excomunicatio.

Fornicatio definiri potest concubitus soluti cum soluta jam deflorata.

Fornicatio etiam jure naturali illicita est.

Concubinatus aliter sumitur jure civili, aliter jure canonico, nam jure canonico concubinarius appellatur ille qui cum muliere aliqua soluta carnale commercium habere consuevit, sive illam in sua sive in aliena domo retineat.

Digitized by Google

Civili jure concubinarius dicitur qui mulierem solutam domi suae loco uxoris detinet, ut cum ea consuetudinem habet.

Jure civili fornicationi simplici et concubinatui nulla constituta est poena.

Jure canonico clericus fornicarius, presertim si in sacris ordinibus constitutus sit, punitur incarceratione, multa pecuniaria, suspensione ab officio, et si crimen notorium sit deponitur.

Stuprum proprie accipitur pro illicita virginis defloratione, non praecedente pactione conjugali; hinc ut quis stuprum committat, duo debent concurrere. Umum est animus faeminam honestam contaminandi, ac proinde stupri condemnari non potest qui virginem veste meretricali indutam defloravit. Alterum necesse est ut delictum sit consummatum, conatus ejus licet ad actum proximum devencrit, ordinaria poena non plectitur.

Jure canonico si stuprator clericus sit deponitur ab officio cum onere dotandae puellae stupro violatae, et aliquoties plectitur incarceratione et multa pecuniaria. Si delinquens laicus sit tenetur corruptam ducere, vel si hanc pater renuerit, dotare.

Nonnulli casus sunt in quibus stuprator ad nihil tenetur ex: gr: 1. si puella in sui violationem, nulla interveniente vi, fraude, aut metu, sponte, ad id se offerendo consensit. 2. si mulier jam fuisset antea corrupta ab alio vel inhonestae vitae esset.

Qui faeminam ad consensum induxit blanditiis, precibus etiam importunis vel muneribus sine alia tamen vi, fraude, aut minis non tenetur puellam ducere.

Stuprator post sententiam, qua condemnatus est ad corruptam dotandam, statim obligatur ad praestandam dotem, non expectato tempore nuptiarum.

Judex in causa stupri a clerico commissi debet esse ecclesiasticus. Si vero a laico, est crimen mixti fori, ita ut de eo cognoscere possit tam Judex saecularis, quam ecclesiasticus.

Proles ex stupro vel alio illigitimo concubitu procreata, nisi stuprator cum matre prolis transegerit super alimentis ipsis praestandis, dicendum est, quod mater primo triennio solum teneatur ad alimenta lactis, pater vero in reliquis.

Adulterium definiri potest violatio fidei et thori conjugalis.

Duplex est adulterium, *simplex*, quod vel a marito alieno cum soluta vel ab uxore aliena cum soluto committitur.

Duplex, quod a marito alieno cum uxore aliena perpetratur.

Ex adulterio potest agi vel civiliter vel criminaliter.

Quando *civiliter* agitur, duplex adulterii poena est. Prima divortium seu separatio quoad thorum et cohabitationem ad quam agere

conjux innocens potest. Altera poena est amissio dotis, et donationis propter nuptias.

Criminalis poena alia est jure ecclesiastico, alia jure civili; ac iterum aliter puniuntur laici aliter clerici.

Laicis olim infligebatur poena excommunicationis, et faeminae adulterae si mariti eas nollent recipere, ad agendam poenitentiam in monasterium perpetuo detrudebantur. Hodie tamen adulterorum laicorum punitio passim relinquitur curiae saeculari.

Circa clericum habetur poena depositionis ab officio et beneficio; atque insuper in monasterium vel etiam in carcerem detruditur, vel alia etiam graviori poena coercetur.

Gravius puniendum est adulterium illud, quod sub specie matrimonii committitur et polygamia dicitur, quando scilicet adhuc priore matrimonio stante, et vivente conjuge, scienter simul et voluntarie cum alia persona nuptiae contrahuntur.

Ordo observandus in delatione hujus criminis est quod prius admittitur maritus vel uxor, postea pater, deinde reliqui cognati, scilicet frater patruus avunculus etc.

Lenocinium est delictum publicum et committitur prostituendo virgines, uxores, filias etc. Poena lenoncinii varia est prout conditio personarum.

Incestus est coitus inter personas consanguineas vel affines jure prohibitas contrahere matrimonium.

Crimen incestus gravius est adulterio, praesertim si committatur inter ascendentes et descendentes; et hinc gravissimae poenae huic sceleri ab utroque jure sunt constitutae.

Sacrilegium carnale dupliciter committi potest, scilicet violatione loci Deo consecrati, vel violatione personae Deo dicatae.

Jure ecclesiastico sacrilegi corruptores, si laici sint excommunicantur, si clerici privantur beneficio, deponuntur ab ordine, et detruduntur in aliquem locum ad agendam praenitentiam.

Sodomia est omnis libido contra naturam, sub quo sensu *mollities et bestialitas* includitur.

Gravissimae poenae pro sodomia et bestialitate inductae sunt, et aliquoties ad ultimum supplicium devenitur.

Raptor est virginis, vel alterius solutae, aut ligatae, honestae tamen mulieris, vel etiam masculi violenta abductio de loco in locum moraliter diversum, libidinis exercendae, vel etiam conjugii cum ea ineundi causa.

Jure novissimo Tridentino statutum est ut inter raptorem et raptam, quamdiu haec in illius potestate manserit, matrimonium nequeat iniri valide, adeoque raptus inducit impedimentum dirimens.

Digitized by Google

Juxta eandem synodum raptor qui raptam non potest dncere uxorem, decenter arbitrio judicis dotare eam debet.

Rapina est injusta ablatio rei alienae mobilis, aut semoventis per vim facta.

Jure civili poena raptorum est damnatio in triplum; et si cum armis facta sit lege Julia hujusmodi rei puniuntur.

Jure ecclesiastico excomunicantur; et gravius puniuntur, qui Christianos naufragium passos rebus suis expoliant.

Incendiarii hoc loco vocantur, qui dolose alicujus lucri consequendi studio domos, segetes acervos foeni incendunt.

Poena hujusmodi delinquentium arbitrio judicis commissa est, qui adducta in considerationem qualitate culpae, incendii ex ea orti, et personarum, pro varietate harum rerum poenam statuit.

Jure ecclesiastico excommunicationis poena iudicitur.

Furtum est fraudolosa contrectatio rei alienae, vel ipsius usus, aut possessionis ejusdem lucri faciendi causa.

Dividitur furtum in *simplex et qualificatum.* Simplex est, cui nulla circumstantia aggravans est aunexa; qualificatum, quod habet annexam circumstantiam aggravantem v. gr. vim, effractionem. Dividitur etiam in *domesticum et extraneum.* Illud fit a personis domesticis quae cohabitent una cum domino rei ablatae; ex: gr: servi. Extraneum vero quod a quolibet peregrino, qui ad familiam domini non pertinet committitur.

Ut furtum ab aliquo commissum dicatur, requiritur primo ut res sit corporalis et mobilis; 2. ut sit aliena; 3, ut actu ipso contrectetur seu auferatur; 4. ut contrectatio haec fiat animo fraudoloso, et lucri faciendi causa; 5. ut dominus ejus rationabiliter sit invitus.

Non solum is qui rem alienam, invito domino, aufert, sed etiam is qui illam contra voluntatem domini contrectat vel ea utitur, furtum committere censetur.

Hac in re *vox dominus* sumitur non in sensu proprio, et pro eo qui jus proprietatis in re aliqua habet, sed prout significat illum, qui quodcumque jus reale in re sibi ablata habet. Atque hinc furtum committit

1.° Dominus creditori clam auferens rem a se oppignoratam, aut usuario, vel usufructuario rem in usum vel usumfructum concessam.

2.° Creditor, si pignore, depositarius si deposito, commodatarius, si re commodata contra Domini voluntatem aliter vel diutius utatur.

3.° Uxor, quae de rebus mariti fraudolenter aliquid sublegit; etiam

si contra ipsam, constante matrimonio, turpis actio furti non detur, sed tantum actio rerum amotarum.

4.° Qui furtum mandat, aut furi auxilium vel consilium praestat, si furtum sit secutum.

5.° Qui rem furtivam scienter a fure emit, vel eandem accipit in solutum; quia datio et acceptio in solutum emptio et venditio reputatur.

6.° Denique jure canonico quasi furtum aut rapinam committunt, qui beneficium ecclesiasticum sine legitima institutione occupant, vel postquam vacaverit aliqua causa, retinent.

Universim semper praesumitur dolus ubi de contrectatione rei alienae constet, nisi probabiles talesque causae concurrant, ut accipiens prudenter hic et nunc credere possit, dominum non fore rationabiliter invitum, qualis est singularis amicitia, vel familiaritas.

Furti reus haberi non debet, qui furem non indicat, nisi ex officio publico, adeoque ex justitia teneatur criminibus et injuriis obviare.

Pro fure habendus est detentor rei inventae, quando ipsi aperte constat de rei inventae domino, nisi illam accipiat animo restituendi. Item furandi animum habere videtur, qui re inventa, diligenter dominum non inquirit.

A furti labe immunis est qui in extrema necessitate rem sibi necessariam aufert.

Ex furto duplex nascitur obligatio, una restituendi rem furto ablatam, altera subeundi poenam taxatam a jure. Hinc laeso per furtum duplicis generis remedia a lege dantur, rei persecutoria, et poenalia. Priora sunt *rei vindicatio*, *et condictio furtiva*; posteriora sunt *actio furti*, *et accusatio criminalis*.

Rei vindicatio competit domino rei furto ablatae adversus possessorem rei furtivae, sive fur ipse possideat sive alius quilibet, quia vitium rei furtivae reale est, consequenter semper illud rem sequitur ad quemcumque possessorem devenerit.

Condictio furtiva est actio personalis; civilis, rei persecutoria, irregularis, seu extraordinaria, perpetua, qua rei furto ablatae restitutio, si non extat amplius, ejus aestimatio, omneque interesse petitur.

Condictio furtiva datur 1. adversus ipsum furem, qui rem actu ipso contrectavit. 2. adversus haeredes furis non solum ob id quod de re furtiva ad eos pervenit, sed etiam in solidum, quamvis nil ad illos pervenerit. 3. si plures sint fures, aut raptores, datur condictio haec contra omnes in solidum, ita tamen ut si unus

Digitized by Google

plene satisfecit, ceteri liberentur. 4. porrigitur etiam adversus illos, quorum opera et consilio furtum, aut rapina est perpetrata.

Objectum hujus condictionis est res furto sublata; et hanc persequi potest condictionem istam instituens, etiamsi res illa sit in aliam formam transmutata, et persequitur cum omnibus fructibus tam perceptis, quam illis qui percipi potuissent, extantibus non minus ac consumptis.

In deducenda hac condictione praeter furtum probari debet minus plene dominium si condictio certi instituatur: in condictione incerti probandum est, quod actoris intersit, rem ablatam non fuisse.

Actio furti alia consurgit ex furto manifesto; *prior* praetoria est, et datur in quadruplum; *posterior* est civilis et datur in duplum: utraque mere poenalis, personalis, perpetua, et famosa est.

Haec furti actio datur tam domino rei, quam alteri, cujus interest rem ablatam non fuisse; datur contra eum qui furtum fecit vel ad id auxilio, vel consilio suo cooperatus est, nec refert, quamvis res ablata perierit: contra non datur in haeredem furis, parentibus contra liberos, vel viceversa, nec si durante matrimonio unus conjugum alteri quid surripiat.

Objectum hujus actionis est duplum vel quadruplum prout nimirum furtum est, vel manifestum, vel non manifestum; cum distinctione tamen, nam si res ipsa surrepta est, multiplicatur ipsius pretium, si vero usus et possessio, ad duplum, vel quadruplum aestimatur interesse.

Actio furti moveri potest etiam ob rem minimam.

Actio furti praeter dictos effectus, etiam hunc producit quod furti saltem notabilioris condemnatus fiat infamis.

In praesenti actione id solum probandum est, quod furtum ab adversario sit commissum, et nostra propterea intersit.

Poena furti, quando criminaliter de eo agitur de *jure canonico* est 1. fur notorius aut condemnatus fit infamis, 2. fit irregularis, ut neque ad ordines promoveri, neque in susceptis ministrare possit, 3. si clericus in furto notabilis quantitatis, aut iterato deprehensus, vel convictus sit, ab ordine, et officio clericali deponendus, si non resipiscat, excommunicandus, tandem si incorrigibilis evadat, curiae saeculari tradendus est.

In *foro saeculari* olim crimen hoc varie per verbera, mulctam pecuniariam, carcerem, tormentaque alia corporalia, excepta morte et mutilatione, punitum fuit. Hac tamen postea, cum successu

Digitized by Google

temporis invalesceret furum audacia, furtorum graviorum rei affici coeperunt.

Licitum et justum esse dicendum fures in furca suspendere, et ultimo supplicio afficere praesertim si sint incorrigibiles.

Pro unico furto, etiamsi quantitate magnum, sed simplex, et absque violentia et effractione commissum sit, non potest inferri poena mortis, juxta benigniorem suadendam sententiam. Pro secundo pariter furto licet poena gravior imponi debeat non autem poena mortis potest; sed ad hanc imponendam saltem ex generali consuetudine requiritur, ut delinquens tria, vel plura furta diversis et interpolatis temporibus commiserit, qui *fur famosus* dicitur, sive qui furari consuevit.

Capitali poena aliquis propter ea tria furta potest certe affici, si simul computata valorem quinque aureorum Hungaricorum excesserint: quidam vero non sine fundamento extendunt etiam ad casum quo furta omnia simul computata valorem quinque solidorum non ascendunt.

Poena mortis ob quantitatem, furti exorbitantem, aut multiplicem ejus iterationem, vel quod commissum sit in loco insigni, e. g. palatio principis exasperari non debet nec solet, addito majoris alicui severitatis reatu.

Variae communiter assignari solent causae et casus quibus poena capitalis etiam ob furtum quinque solidos excedens, alias de jure infligenda, mitigari, et in mitiorem converti debet.

1.° Ratione damni modici per furtum dati.
2.° Ob incertitudinem furti commissi.
3.° Ob qualitatem personae.
4.° Ob necessitatem.

Qui deliberato et doloso animo ante furtum praebet furi auxilium reale per actum proximum et per hoc dat causam immediatam furto, lucrandi animo, poena furti ordinaria plectendus est: contra ad poenam extraordinariam et mitiorem condemnandus qui auxilium praebet furi per actum magis remotum, nec per id dat causam furto immediatam.

Si auxilium sit praestitum in ipso actu furti, ut propterea aliquis plecti poena ordinaria furti possit, necesse est 1. ut auxiliator dolose et fraudolenter auxilium fieri praebeat, consilio deliberato praecedente, 2. ut lucri causa hoc fiat, 3. ut auxilium sit cooperativum, 4. ut furtum ipsum sit subsecutum.

Denique si auxilium praestatur post furtum commissum, non ordinariae laquei, sed extraordinariae mitiori poenae est locus pro judicis arbitrio.

Digitized by Google

Quando plures commiserunt furtum cujus summa quidem excedit quinque solidos, ita tamen ut divisione inter illos aequaliter facta nullus illorum quinque solidorum aestimationem acceperit nullus puniri poena capitali poterit, sed alia plectentur poena.

Controversia est inter DD. an actio civilis pecuniaria post poenam de fure sumptam contra haeredes ejus competat, postquam poena illa coepit esse capitalis, et mortis. Melius est distinguere, an res furtiva adhuc extet, et ab haeredibus furis vindicetur, an vero fuerit consumpta vel perdita: *si primum*, vindicari illa, vel condici non solum a fure, sed etiam post ejus mortem ab haeredibus ejus imo a quocumque possessore etiam bonae fidei potest; *si secundum* nil a fure ex bonis ipsius, nec ab ejus haeredibus praestandum erit.

Sufficiens indicium ad condemnationem de furto, imo, et ad torturam non est, quod res furtiva apud aliquem sit reperta, nisi ille sit homo suspectae fidei et malae famae.

Sacrilegium, est quo res sacra contrectatur; quod tripliciter fieri potest; 1. si res sacra e loco sacro; 2. si res sacra de non sacro; 3. si res non sacra de sacro auferatur.

Poena furti sacrilegi *jure civili*, praecipue quo res sacra e loco sacro surripitur, est extraordinaria, et arbitraria, ita tamen ut juxta furti, rei, et personarum qualitatem etiam ad mortem usque extendi possit.

Jure canonico 1. sacrilegii reus 30. libras examinati argenti purissimi debet peaestare episcopis, vel abbatibus, aut aliis personis, ad quas querela sacrilegii juste pertinet, 2. perpetua damnatur infamia, 3. jubentur sacrilegi res ecclesiarum injuste accipientes, vel possidentes, aut retinentes, nisi cito se correxerint, anathemate feriri seu excommunicari, qua excommunicatione innodati permaneant usque ad congruam satisfactionem.

Ceterum crimen sacrilegii, adeoque etiam furti sacrilegi est crimen mixti fori, ita ut etiam laicus a judice ecclesiastico puniri possit et praeventioni inter judicem saecularem, et ecclesiasticum locus sit.

Plagium est, quo liber homo, vel servus alienus surripitur, vel abducitur animo celandi illum.

In hominem liberum committit plagium 1. qui eum supprimit, celat, in vinculis detinet; 2. qui eum scienter vendit, aut emit; 3. qui eum donat, vel dotem, aut alio modo in solutum dat. 4. qui eum oppignorat, aut locat alteri.

Circa servum autem committit plagium ; 1. qui ei persuadet, ut a domino fugiat, vel illum invito domino occultat, in vinculis retinet, 2. qui servum fugitivum cum rebus furto ablatis scienter recipit, 3. qui servum fugitivum scienter vendit aut emit.

Poena plagii olim pecuniaria fuit de jure civili, quae tamen jam olim ab usu recessit, et gravior poena pro modo delicti infligi coepit. *In foro ecclesiastico* hujus criminis rei debent acriter puniri sed citra mortem.

Crimen *peculatus* est furtum pecuniae publicae : *pecuniae* autem nomine hic comprehenduntur omnes res, ad aerarium reip. vel fiscum principis pertinentes.

Variis autem modis committitur hoc crimen, 1. si surripiatur res, aut pecunia publica, 2. si furto auferantur pecuniae sacrae, et religiosae, 3. si quis in tabulis publicis minorem pecuniam, quam quod vendiderit, aut locaverit, scribat, 4. quando quis muros aut fores civitatis effringit, perforat, et exinde aliquid submovet, 5. aut praedam ab hostibus captam surripuit, 6. denique de jure canonico crimen peculatus committunt etiam presbyteri, aliique clerici, qui bona ecclesiastica sibi appropriant vel alienant; ideoque excommunicantur, nisi res surreptas celeriter restituant.

Poena hujus criminis de jure civili est duplex : una *pecuniaria* : nam pecuniam publicam surripiens in quadruplum tenetur ; altera *corporalis* est ; quae quidem in privatis est deportatio, in personis publicis ultimum supplicium.

Abigeatus ut crimen extraordinarium, quo tenentur qui dolo malo pecora ex pascuis vel ex jumentis lucri faciendi causa abducunt, et depraedantur.

Grex proprium est ovium, suum, caprarum, aliorumque minorum pecorum, quae ad pascendum gregatim emittuntur. *Jumenta* autem vocantur proprie equi, muli, asini, qui bajulando, et onus portando homines juvant. *Armenta* vero proprie appellantur boves, et equi, qui aratro negotium peragunt. Usus autem et finis jumentum et armentum a grege nec non armentum a jumento in specie discernit.

Porro hoc inter pecora minora et majora discrimen in ordine ad abigeatus crimen solerter notandum ; nam ex minoribus pecoribus unum, dumtaxat abigens, de crimine hoc non tenetur: sed abigeus is est, qui uno eodemque tempore gregem ovium, caprarum, porcorum, aut vaccarum ex pascuis surripit ; nam quantitas discernit furem ab abigeo : grex vero abactus dicetur, quando oves ad minus decem, aut porci quinque, vel quatuor abacti fuerunt.

Digitized by Google

Contra abigeus dicitur qui de armentis, vel jumentis etiam unum dumtaxat pecus, seu animal majus surripuit.

Poena istius criminis est, quod abigei, qui saepius hoc crimen patrant, ad gladium damnentur; alias damnautur in opus publicum ad tempus. In honestioribus temperatur poena. Hodierna constitutione abigei puniuntur ut fures.

Jure canonico nulla certa poena in abigeos constituta est; eo tamen major quam ob furtum ex majoritate culpae poena est imponenda: adeoque poena depositionis imponi clerico poterit arbitrio judicis.

Crimen de residuis est crimen publicum quo pecunia publica ab eo, cujus fidei et periculo erat concredita retinetur, et in usum publicum, seu in rationes non refertur.

Committitur hoc crimen duplici modo, videlicet aut pecuniam publicam in certum usum destinatam retinendo, et in eum non consumendo, aut eam pecuniam in suum convertendo usum.

Poena criminis de residuis jure digestorum est, quod praeter infamiam debeat hujus criminis reus restituere amplius tertiam partem rei inique detentae, vel non debite erogatae. Hodie hujus criminis rei extra ordinem puniuntur.

Crimen *expilatae haereditatis* est, quo quis ante vel post aditam haereditatem, sed necdum possessam rem haereditariam mobilem dolo malo lucri causa contrectat.

Committitur crimen istud proprie ab extraneo tantum, qui sub nomine haeredum non continetur, nec uxor sit.

Poena hujus criminis jure digestorum est extraordinaria, pro diversitate circumstantiarum infligenda.

Sepulchri violatio fieri potest aut circa ipsum sepulchrum, vel monumentum, aut circa cadaver ibi tumulatum. Priori modo violator sepulcrum 1. demolitione structurae. 2. inhabitatione, aut extructione novi aedificii, non sepulchri causa, 3. illegittima illatione cadaveris. Requiritur tamen ut haec fiant dolo.

Posteriori modo hoc delictum committitur 1. contrectatione, corpus sepultum extrahendo, 2. mutilatione. 3. spoliatione.

Poena autem ista solet esse varia; nam 1. qui ex dolosa petulantia corpora humata ex sepulcris extraxerint, et ossa exhumaverint, si humiliores fuerint ultimo supplicio afficiuntur, si honestiores, aut deportantur, aut in metallum damnantur, 2. qui vi armata more latronum cadavera spoliant ultimo supplicio etiam ipsi; qui vero sine armis ad minimum metalli poena afficitur, 3. qui reliquias cadaveris contrectaverit, aut sepulchri saxa marmora etc.

Digitized by Google

aedificandi causa amoverit, a Constantino imp. 10. libris auri fisco inferendis puniuntur: judex vero qui hoc delictum vindicare omisit 20. libris mulctatur.

Amotio termini est crimen quo quis terminos, vel lapides finales dolose eruit, aufert, aut mutat, vel ut praecise noceat alteri, vel ut eidem de fundo aliquid detrahat, et suo adjiciat.

Poena hujus criminis varia est; nam 1. si extraneus terminum movit eo fine, ut discordias, et lites inter confines seminet in terminos singulos, quos ejecerit, 50 aureos fisco in solidum inferre debet, 2. quis terminos propellit, praedia sua dilatandi causa, pro qualitate personae, et aetatis puniuntur corporaliter, 3. qui post litem in controversia de finibus contestatam terminos communes submovit, aut propulit ad jura adversarii obscuranda, pro facti circumstantia puniendus, 4. qui lapides terminales furandi animo aufert in hunc vel criminaliter animadvertendum, vel civiliter ad duplum vel quadruplum condemnandus.

Adversus haeredes actio de termino moto non datur.

Furtum tigni committere dicitur, qui tignum seu materiam, ex qua componitur aedificium, ex aedificio alieno mala fide subtrahit, et aedibus suis jungit; adversus istum domino materiae datur actio de tigno juncto, ut in poenam duplum praestet. Juxta plures DD. etiam actio ista datur adversus eum, qui tignum non furtivum sed alienum bona fide junxit, qui tamen a furto censetur immunis nec potest conveniri condictione furtiva, vel alia actione rei persecutoria. Porro actio haec probabilius non datur adversus fabros lignarios, qui aliena junxerunt tigna aedificium tamen non possident.

Ob arbores, vites, virgulta etc. furtim caesa, cessante actione furti de jure civili variae competunt actiones: et 1. quidem ex edicto proetoris actio civilis arborum furtim caesarum, ut duplum praestet ejus, quod alterius interest arborem caesam non fuisse, 2. ex lege aquilia in simplum, 3. ex interdicto quod vi, aut clam, 4. ex lege 12. tabularum, ut quis in singulas arbores caesas aeris viginti quinque asses luat.

Rapientes res ex naufragio, vel incendio mulctantur confiscatione bonorum, et alia etiam poena extraordinaria puniri possunt. Datur quoque in eos actio civilis ad restitutionem rerum ablatarum intra annum in quadruplum, post annum vero in simplum.

Usura strictissime, ac specifice accipitur pro lucro seu fructu, quod ex mutuo provenit.

Usura accepta pro ipso contractu definitur « *actus voluntatis inte-*

Digitized by Google

rior, vel exterior conventio dandi, vel accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ex vi, et causa mutui principaliter; secundo modo accepta usura est lucrum immediate ex lucro proveniens.

Quod mutuo datum est vocatur *sors*, sive *capitale*, quod ultra hoc accipitur dicitur *usura* seu *foenus ultra sortem*.

Usura alia est interna, alia externa. *Interna* consistit in solo animo, et volnntate lucrum ex mutuo capiendi. Externa subdividitur in mentalem, et realem. *Mentalis* est, quando nullo pacto vel conventione interveniente ex mutuo speratur, et intenditur lucrum, non gratuito, sad quasi ex justitia debitum et offerendum. *Realis* seu conventionalis committitur quando mutuum datur interveniente pacto, lucrum aliquod ultra sortem solvendi.

Pactum usurarium aliquando est *expressum* aliquando vero *tacitum*.

Usurae lncratoriae exercitium prohibitum et graviter peccaminosum est jure canonico : prohibitum quoque dicendum jure divino, et naturali.

Imperator, vel alius princeps supremus, imo et pontifex per leges civiles, vel alias permittendo usuras facere eas licitas non potest, ita ut licite et sine peccato exigi, vel accipi possint.

Ex quo sequitur graviter peccare principes christianos, et potestates publicas, si authoritate sua concedant, vel praecipiant, ut christiani, qui mutuo acceperunt pecunias a judaeis, vel aliis infidelibus, jurisdictioni suae subjectis, usuras eisdem solvant.

Hinc merito gravissimae poenae in ipsos per ss. canones sunt constitutae.

Ut lege et statuto, ita consuetudine induci nequit certa quantitas, quae ultra sortem exigi possit ex causa mutui, nonnisi interveniente aliquo titulo qui lucri cessantis et damni emergentis nomine eam quantitatem justam efficiens, usuram lucratoriam licitam inducit.

Ceterum usurae licite exigi vel accipi nec possunt in favorem causae piae, vel ob aliud bonum opus, saltem dispensative.

Dicendum, licitum esse petere mutuum, et accipere sub usuris, cum tamen, si vellet, posset licite et sine usuris dare, modo justa causa petendi adsit, videlicet necessitas, vel utilitas petentis mutuum, vel etiam ut alteri egenti succurrat.

Casus circa usuras triplicis generis examinari possunt; nam in aliquibus nulla certe committitur usura; in aliis contra certe committitur; in pluribus est dubium.

Digitized by Google

Casus, quibus nulla committitur usura etiamsi accipiatur aliquid, vel petatur ultra sortem, sunt ubi nullum intervenit mutuum sive formaliter sive virtualiter tale. Ex quo

1.° Usurarius non est qui in compensationem mutui exigit orationem, aut sacrificium missae, vel accipit beneficium ecclesiasticum.

2.° Usura non committitur quando nullum revera intervenit mutuum.

3.° Usuram non committit qui mutuum dat, ea conditione ut aliunde sibi ex justitia debitum a mutuario vicissim accipiat.

In omnibus illis casibus certo committitur usura, quando in mutuo accipitur, aut petitur, aut petitur aliquid ultra sortem tamquam ex vi mutui et non aliunde.

Si occasione mutui lucrum ultra sortem detur et accipiatur mere gratis et liberaliter, usura non committetur; contra committitur, si illud datur, vel comparatur tamquam ex mutuo stricte debitum.

Qui pecuniam dat mutuam ex lege ut mutuarius eidem remutuet, pro eo fidejubeat, scholas ejus frequentet aliaque hujusmodi faciat, si ista petet ut pretium pro mutuo, non tamquam mera conditio, usurarius habendus est.

Qui praedicta sibi praestari potest benevolentiae, vel gratitudinis titulo non autem libere, sed vi pactionis ut debitum ab usuraria iniquitate nequit absolvi.

Contractus, quo res certi pretii ob dilatam solutionem majori pretio venditur si dubium sit, quod res tempore solutionis faciendae plus valitura sit, et venditor eam rem ante non erat distracturus, tam ab usura, quam ab injustitiae peccato immunis non est. Si vero sperari nequeat augendum ejusdem pretium, et nullus adsit alius titulus exigendi majoris pretii, venditor in foro externo quidem tamquam usurarius non condemnabitur, in foro tamen interno reus erit.

Idem fere dicendum de contractu quo res, ob anticipatam solutionem minoris emitur infimo ejus pretio.

Usurarius est contractus, quo frumentum aut vinum mutuo datur in autumno, ea lege, ut tantumdem restituatur in vere, vel ut solvatur pretium, quo constituta sunt tempore verno, si certum vel probabilius est valorem ejus augendum hoc tempore, et si creditor frumentum aut vinum mutuo datum in vernum tempus non fuisset servaturus.

Usura est vetus triticum mutare cum pacto ut postea reddatur novum, si illud minus, quia semicorruptum, valeat, quam postea

Digitized by Google

valiturum sit novum. Quod si oppositum evenerit, licite et sine usura mutuans poterit cum mutuario pacisci ut majorem frumenti etc. quantitatem tunc restituat.

Chirographa, et debita immatura emi sine usura possunt minore pretio quam sit summa debita, si ea non liquida; sed dubia, aut talia quae sine lite, difficultate, molestiis, expensis obtineri non possint.

Usurarium est pactum *anticreseos*; vi cujus creditor rei fructiferae sibi oppignoratae fructus lucratur, et nihilominus sortem integram recipit, etiamsi in favorem piae causae id agat.

Usurae iniquitate carent *montes pietatis*, quod in iis quod ultra sortem exigitur, non exigitur vi mutui, sed ob alios titulos, quorum complures DD. afferunt.

Cambium est negotiatio qua pecunia pro pecunia cum moderato lucro permutatur; quod duplici modo fieri solet: *uno* quando mercatori, sive campsori pecunia unius formae, et materiae pro alterius formae et materiae nummis numeratur, quod cambium *reale vel manuale* dicitur. *Altero* quando campsori pecunia in uno loco numeratur, ut reddatur in altero, vel quando a campsore pecunia hic accipitur ut ei restituatur alibi, quod cambium *locale*, et quia ordinarie per litteras fit, *per litteras* nuncupatur.

Hoc lucri genus DD. quidam retulerunt inter usuras; sed melius ab hac labe plures alii absolvunt.

Titulus ob quem ultra pecuniam numeratam tali casu aliquid exigi possit, in campsoribus publica authoritate constitutis est obligatio comparandi et paratam semper habendi pecuniam sortis diversissimae, in aliis qui proprio motu talem negociationem suscipiunt, est, 1. lucrum cessatio; vel damnum ex moneta expensa emergens, 2. commoditas negociationis, quam habet una pecunia prae alia, 3. labor in pecuniis numeratis etc. 4. sumptus in famulos etc. et impensae, pericula pecuniae transferendae; 5. aestimatio unius pecuniae prae alia.

Qui *ollam*, ut dicunt, fortunae exponunt, neque usurariae, neque alterius inaequalitatis rei agi possunt nisi fraus aliqua, et dolus interveniat.

Causae quibus occasione mutui accipi potest aliquid ultra sortem plures enumerantur. 1. in poenam culpabilis morae, qua mutuatarius solutionem mutui ultra tempus cum mutuante conventum, differt; 2. ob damnum emergens; 3. ob lucrum ces-

sans ; 4. ob periculum sortis amittendae ; 5. ob idipsum periculum a mutuante in se susceptum.

Damni emergentis nomine denotari solet jactura , quam creditor ratione mutui dati patitur in rebus suis , quas jam habet.

Lucri cessantis nomine intelligitur incrementum bonorum, quod quis facturus fuisset , si pecuniam mutuo non dedisset.

Periculum sortis tunc dicitur , quando ob lubricam mutuatarii conditionem , est justus timor ne eum solvendi facultas deficiat.

Usurae moratoriae creditoribus a mutuatariis exsolvendae si debitum intra tempus constitutum culpabiliter non solverint ex lege vel consuetudine et in casu particulari per sententiam judicis ; aut per conventionem imponi pro certo possunt.

Ut pœnae appositio, et exactio labe usurae careat, quatuor DD. exigunt.

1.° ut ea non apponatur in fraudem usurarum.

2.° ut solutioni non praefigat terminum nimis brevem.

3.° ut non solum inculpabilis sit , sed etiam notabilis , et poena proportionata culpae.

4.° ut parte debiti soluta, non exigatur tota poena sed pars tantum.

Satis convenit inter dd. legalem judicialem poenam non deberi ante sententiam judicis : quoad vero poenam conventionalem spectanda potius videtur consuetudo.

Titulo damni emergentis aliquid exigi ultra sortem posse sine usurae labe certum est.

Mutuatarius pro damno emergente ratione mutui ob moram solutionis satis facere ex ipso mutui contractu tacite obligatur : pro eo vero emergente sine mora mutuatarii non tenetur nisi id in pactum deductum fuerit saltem de solvendo aliquid ultra sortem ; quod licite et sine usura ab initio iniri potest. Requiritur tamen.

1.° ut mutuum sit causa damni

2.° Ut mutuans praemoneat mutuarium de damno emergente.

3.° Ut ratione damni emergentis non exigatur pretium nisi quod aequale sit damno, vel periculo damni.

4.° ut hoc interesse ratione damni emergentis , vel lucri cessantis non solvatur statim a mutuatario tempore mutui accepti, sed primum postea.

5.° ut mutuans non cogat mutuatarium paeisci de periculo damni potius , quam de damno , sed relinquat ipsius arbitrio.

Ratione lucri cessantis , tum si quis per vim , metum , vel dolum injuste cogatur ad mutuandum, ideoque lucrum ei cesset, tum

Digitized by Google

si quis sponte mutuum dedit ad certum terminum, debitore tamen non solvente lucrum perdit, peti et accipi et a creditore in pactum statim tempore dati mutui deduci aliquid licite et sine usura potest.

Ut lucri tamen cessantis nomine aliquid possit exigi, requiritur. 1. ut spes lucri certa vel admodum probabilis sit. 2. debet cessationis causa esse ipsum mutuum. 3. debet mutuatario a mutuante manifestari spes lucri quod ex mutuatione cessabit, et ejus compensatio in pactum deduci. 4. non debet exigi lucrum integrum, quod probabiliter speratur, sed quanti aestimatur spes ejusdem prudentis arbitrio.

Ratione periculi in recuperanda sorte, nisi ei aliunde caveatur potest aliquid mutuans a mutuatario ultra sortem exigere.

Creditor qui mutuatario cum pecunia mutuata mare trajecturo, vel ad nundinas per loca periculosa ituro sortis assecurationem praestat, et illius periculum in se suscipit, ratione istius periculi potest aliquid ultra sortem et petere et acceptare etiam casu quo pecuniae mutuatae deferuntur salvae.

Usurarium est aliquid ultra sortem accipere, et de eo pacisci ratione carentiae pecuniae, seu pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus v. g. annum

Multo minus regulariter accipi potest aliquid ultra rem mutuo datam ob onus, seu laborem numerandi pecuniam dandam in mutuum.

Sicut ob periculum sortis mutuans, ita ob susceptam obligationem solvendi pro debitore principali fidejussor pacisci de aliquo dando potest si fidejussio periculosa sit; quando vero periculosa non est nonnisi parum vix admodum accipi justa aliquos potest.

Nomen *census* minus proprie pro ipsa pensione pecuniaria vel fructuaria singulis annis solvenda; magis proprie pro jure ejusmodi pensionem annuam ex re vel persona alterius percipiendi accipi potest.

Qui jus habet ejusmodi, *censualista*, qui vero obligationem solvendi pensionem *censuarius* vocari solet.

Potest census variis et praecipue quinque modis constitui, videlicet legato, donatione, transactione, condemnatione, et emptione. Hoc loco de ultimo sermo est.

Emptio venditio, qua constituitur *contractus* censualis vocatur et difinitur quod sit conventio, qua jus percipiendi redditus annuos, ex re, vel industria personae provenientes emitur, et venditur.

Census in genere alius est reservativus, alius consignativus. *Reservativo* dominium rei plenum transfertur in censuarium reserva-

ta solum pensione. *Consignativo* dominus rei dominium tam directum quam utile retinet, et alteri consignat, seu concedit jus exigendi ex ea annuam pensionem.

Frequentissime census consignativus acquiritur emptione, et hinc *emptitius* appellatur. Dividitur autem 1. in realem et personalem. *Realis* est, qui constituitur in certa aliqua re fructifera, ex qua debetur, quemcumque habeat possessorem. *Personalis* autem qui constituitur in certa aliqua persona obligata ad solvendam annuam pensionem ex industria, aut aliunde. Aliqui addunt tertiam speciem scilicet *censum mixtum*, qui videlicet constituitur super re, et super persona immediate.

Dividitur 2. census in pecuniarium et fructuarium, quod duplici modo fieri potest; nempe in quantitate certa et stabili, vel in quantitate incerta pro quantitate fructum.

Dividitur 3. in perpetuum, et temporalem *Perpetuus* nullum terminum habet. *Temporalis* absolvitur tempore eoque certo et determinato.

Dividitur 4. in redimibilem et irredimibilem. *Redimibilis* qui redimi potest, quod fieri potest tripliciter, *ex parte debitoris*, *ex parte utriusque irredimibilis* qui nonnisi utroque volente redimi potest.

Census tum reservativus, tum consignativus atque hic tum per legatum, donationem, transactionem, condemnationem, tum per emptionem tam pecuniarius, quam fructuarius constitui absque usura omnique alia iniquitate pro certo potest.

Jure naturali praecise spectato licite emi vendique potest census realis tam redimibilis, quam irredimibilis.

At de jure positivo humano census redimibilis ex parte venditoris permittitur: contra emptio census irredimibilis et redimibilis ex parte utriusque rejicitur: cui autem derogare consuetudo potest.

- Census personalis non potest constitui in persona libera. At census personalis, vi cujus creditor, sive emptor census solum acquirit jus percipiendi annuam pensionem, in debitore vero seu venditore, tantum oritur obligatio personalis illam pensionem solvendi, constitui potest ob periculum sortis damnum emergens, et lucrum cessans. Spectato autem jure solum naturali census emptio secundum se etiamsi periculum sortis etc. non intervenerit ab omni labe usuraria immunis est. De jure vero ecclesiastico emptionem census personalis illicitam esse certum est.

Emptio venditio census temporalis sive ad incertum tempus licita est.

Digitized by Google

Constitutioni census emptitii alia pacta addi possunt. Et

1.° potest ita constitui ut redimi possit intra certum tempus, vel contra.

2.° Probabiliter toleratur contractus censualis realis utriusque redimibilis, adjecto etiam pacto assecurationis in perpetuum.

3.° Licite contractui census praesertim reservativi additur pactum, ut si per biennium, vel triennium culpa debitoris soluta non sit pensio, res censui subjecta cadat in commissum, et in poenam negligentiae efficiatur domini census.

4.° Licite additur pactum, ut debitor census non possit vendere rem censui subjectam non requisito prius illo qui censum in ea habet.

5.° Licite additur pactum, ut census non possit redimi per partes.

Ut licita et honesta sit emptio census requiritur jure naturali

1.° ut constituatur in re fructifera.

2.° ut jus percipiendi censum annuum ematur pretio justo approbato lege vel consuetudine, aut taxato per arbitrium virorum prudentum.

3.° ut casu, quo res censualis, citra culpam tamen censuarii perit, secluso speciali pacto assecurationis, etiam pensionis solvendae obligatio extinguatur.

4. ut res ex qua pensio solvenda creditore inscio vel invito non alienetur in eum, a quo census solutio non sine difficultate haberetur.

5.° ut non exigatur, vel in pactum deducatur solutio anticipata.

Jure ecclesiastico approbati sunt contractus censuales initi sub his conditionibus; 1. ut res certa immobilis et fructifera designetur, cui census imponatur; 2. ut illa sola maneat obligata pro solutione census; 3. ut pretium justum solvatur secundum temporis qualitatem 4. ut illud solvatur statim praesenti pecunia; 5. ut liberum sit venditori redimere censum sive totum, sive partem; 6. ut idem venditor ad redimendum non adstringatur; 7. ut re pereunte, census extinguatur; 8. ut pensiones non superent aestimationem fructuum rei in qua census est constitutus.

Ut vero cognoscatur quando licita sit emptio census considerandae sunt quatuordecim conditiones praescriptae a s. Pio V. *const. edita* 1596. sine quibus contractus censuarii pro irritis et foenerariis habendi sunt. Eas enumerare nimis brevitati obstaret.

Census constitui potest. 1. jure naturae etiam in persona, modo ea

possit et velit sua industria lucrari quantum ad pensionem solvendam requiritur.

2. in re immobili, et etiam in mobili, aut se movente quibus uti possumus salva eorum substantia et quae fructuosae sunt. Item potest etiam constitui in pecunia negotiationi exposita.

3.° in bonis censuarii omnibus

4. super ipsum censum alius novus.

Usurae usurarum vocantur lucrum, quod ex lucro usurario non soluto altra hoc et sortem exigitur a creditore. *Anatocismus* appellatur cum usurae in sortem vel stipulatione, vel sententia rediguntur.

Usurae usurarum mere *lucratoriae* non minus, quam ipsae usurae, vi mutui solvendae, jure divino et naturali illicitae sunt. Quae non mere lucratoriae sunt, sed exiguntur ex aliis titulis, jure naturali, et divino exigi licite possunt, jure tamen positivo reprobantur ita ut licet promissae non debeantur et solutae condictione indebiti repetantur.

Hujusmodi usurae exigi etiam nequeunt ex usuris redactis in sortem: unde anatocimus est omnino illicitus.

Mutuatarius qui usuras mere lucratorias simpliciter promisit, ad illarum solutionem non obligatur, qui cum juramento, ex virtute religionis tenetur, solutas tamen potest repetere.

Usurarius usuras solutas tenetur restituere in utroque foro.

Foenerator usurarum sibi solutarum dominium non acquirit certe, si mutuarius non habeat voluntatem transferendi dominium in eum, sed solum velit pecunias illas dare exterius propter fidem datam, et si res per usuram acceptae non consistant in numero, pondere, vel mensura, et est pecunia, frumentum etc. ita ut non ea permisceantur cum rebus ejusdem generis sive similibus usurariis juste acquisitis ita ut non possint amplius discerni. Acquirit autem si permixtio haec usurarum cum rebus juste acquisitis facta sit. Tandem non sine fundamento plures negant tale dominium ab usurario acquiri etiamsi mutuarius animum transferendi dominium expressum habeat; requiritur enim praeterea justus titulus, ex quo facta traditio est.

Foenerator acquirit dominium rei pecunia usuraria comparatae; tenetur tamen pecuniam restituere. Si vero non pecunia sed alia re et praecise ex ejus rei fructibus res quaeratur fructus hi non ad foeneratorem sed ad dominum rei pertinet: quod si quaeratur de ejus rei pretio redacto ex ejus venditione foenerator fit dominus pretii ab emptore accepti; tenetur tamen emptori ad evictionem rei.

Usurarius tenetur ad restitutionem ejus quod inique accepit mutuatario qui eidem solvit.

Quinque casus dari circa usuram mentalem possunt.

1.° Quando mutuator signis, nutibus intendit aliquid accipere tamquam pretium mutui seu debitum ex pacto mutui, et mutuatarius ita dat revera. Hoc casu relate ad mutuantem intervenit peccatum usurae et is tenetur ad restitutionem.

2.° Quando mutuatarius quod dat, dat mere gratis, liberaliter, et quasi non debitum, mutuans ita datum accipit. Hoc casu nulla committitur usura etiam mentalis.

3.° Quando mutuatarius dat lucrum ultra sortem, tamquam pretium ex mutuo debitum sed mutuans bona fide illud accipit, tamquam datum gratis. Hoc casu mutuans, postquam novit id lucrum sibi datum esse tamquam debitum ex mutuo, tenetur statim illud restituere simul cum fructibus extantibus ex lucro illo perceptis.

4.° Quando mutuans accipiens aliquid ultra sortem, dubitat quo animo mutuatarius id dederit; num liberaliter an tamquam mutuo debitum. Hoc casu si cum dubio isto acceperit ita datum mutuator peccatum usurae committit; si dubium postea primum supervenerit, tenetur inquirere quovis modo potest, ut dubium tollatur.

5.° Quando mutuatarius aliquid ultra sortem dat gratis mutuans intentione usuraria accipit tamquam debitum ex mutuo. Hoc casu quamvis conscientiam erroneam non deponit mutuans tenetur ad restitutionem; ea deposita non tenetur.

Ad restitutionem usurarii lucri obligari possunt etiam judaei.

Ad usuras restituendas tenetur et compelli possunt etiam haeredes usurariorum saltem juxta vires haereditatis; possuntque isti solum conveniri ad compensandum damnum a defuncto per usurariam iniquitatem illatum, et sub iisdem poenis compelli, per quas compelli poterat defunctus.

Deficiente uno ex pluribus haeredibus, inter quos divisa haereditas est, vel deficientibus ceteris unus in solidum non tenetur.

Qui se tenent ex parte usurarii mutuantis et sunt causa efficax, cur usurae exigantur, obligantur al restitutionem saltem secundo loco, et quum usurarius non vult, vel non potest restituere.

Qui se tenent ex parte mutuatarii solventis ad restitutionem non obligantur, quamvis aliquando peccent ratione scandali.

Usurae debent restitui illis, a quibus fuerunt extortae; si vero isti non supersint, aut inveniri nequeant restitui debent eorum hae-

redibus; quod si nec isti extent debent erogari pauperibus, vel ecclesiis, aut aliis piis locis.

Porro ab usurario 1. restitui debent omnia, quae ex pacto vel conventione ratione mutui supra sortem accepit. 2. si res fructifera mutuanti data pro usuris sit, debent etiam restitui fructus percepti. Deducere tamen potest expensas necessarias factas in iis fructibus colligendis et conservandis. 3. restitui debet omne damnum, quod mutuatarius passus est propter solutionem usurarum, et lucrum cessans.

Usurae restitui debent etiam ex rebus ipsius mutuatarii usurario pro mutuo nomine usurarum datis et ab usurario in tertium aliquem alienatis: imo etiam ex rebus propriis ipsius usurariis alienatis, si usurarius adhuc solvendo non sit ex aliis suis bonis, et accipiens sciverit usurarium per talem alienationem fieri impotentem ad restituendas usuras.

Bona vero usurarii non sunt, sicuti aliqui vellent tacite hypotheca- ta, vel realiter obligata mutuatario pro solvendis usuris.

Usurarius a restituendis usuris excusatur

1°. ob inopiam suam manifestam

2.° ex remissione spontanea et sincera a mutuatario facta.

3.° si is, qui usuras etiam ipsam extorsit ab aliis repetat usuras a se solutas, et hoc per modum exceptionis opponat is a quo repetuntur usurae.

Mitior prae aliis, et aequior sententia est eorum qui existimant, quod nec in foro conscientiae ab usurario repeti possint usurae integrae, nisi deducto eo, ne egeat si bonis omnibus cedat: nimis enim inhumanum videtur propter debitum privare aliquem etiam alimentis necessariis.

Usurarius manifestus conventus pro usuris restituendis nequit appellare ad effugiendam restitutionem nisi ex aliqua justa causa.

Usurarum causa est mixti fori et competit ejus cognitio tam ad judicem saecularem quam ad ecclesiasticum.

Usurarius manifestus potest esse vel notorietate *juris vel facti*; *priori* modo est, qui tamquam talis vel condemnatus, vel confessus vel convictus in judicio est: *altero* qui publice ut talis se ostendit.

Modi ex quibus probari potest, varii sunt,

Et 1.° quidem ex evidentia facti

2.° per confessionem propriam in judicio factam.

3.° per legitimos et idoneos testes saltem duos, vel tres.

4.° per conjecturas et indicia aperta, atque evidentia.

5.° ex libris rationum.

Digitized by Google

Plures in usurarios utroque jure poenae sunt constitutae.

1.° incurrunt infamiam.

2.° neganda ipsis est absolutio sacramentalis, eucharistiae sacramentum, sepultura ecclesiastica, nec admittendi sunt ad oblationes, nisi poenitentes aut usuras restituerint aut de restituendis caverint.

3.° Fiunt irregulares, et promoveri nequeunt ad ordines, et ad beneficia, vel officia ecclesiastica. Item si clerici sint, suspenduntur, et etiam deponuntur; si vero sint laici, excommunicantur.

4.° Contrahunt intestabilitatem activam.

5.° Puniuntur amissione sortis.

6.° Possunt etiam aliis arbitrariis et extraordinariis poenis puniri a judice utroque, proesertim vero pecuniaria.

Ut poena hujusmodi locum in usurario habeat requiritur 1. ut sit usurarius manifestus: 2. desideratur sententia judicis declaratoria. 8. necesse est, ut lucrum actu, et effective perceperit ex contractu usurario.

Testamentum ab usurario notorio conditum qui signis poenitentiae editis decessit, saltem valet quoad relicta ad causas pias, ex aequitate.

Multo magis convalescit si ante mortem, facto prius testamento, postea usuras restituit, vel cautionem de restituendo praestitit: quod tamen in foro conscientiae non valet, si ex reditu ad usuras appareat poenitentiam fuisse fictam, secus, si ficta non fuit, sed verisimiliter creditur absque fictione sincere et animo restituendi praestitisse cautionem; tunc enim ex eo, quod secrete usuras postea iterum exerceat, non redditur invalidum testamentum.

Si quis ante, vel post conditum testamentum usuras exercuit, sed postea desinat, non tamen restituat, sed cautionem praestet ante mortem, testamentum ejus invalidum est.

Testamenta judaeorum qui sunt notorie usurarii, si sine cautione praestita de usuris restituendis sint condita probabilius sunt invalida.

Si mutuo, vel alio contractui per se licito et jure non reprobato adjectum sit pactum usurarium, pactum utique, at contractus non vitiatur.

Falsum seu *falsitas* definitur communiter, quod sit *fraudulosa imitatio, vel potius immutatio veritatis*, facta in praejudicium alterius.

Ad falsi crimen tria requiruntur; 1. ut immutetur, et pervertatur

Digitized by Google

veritas; 2. ut immutatio haec dolo malo fiat, 3. ut ea immutatio afferat, vel saltem afferre alteri possit nocumentum, etsi hoc fortasse impediatur: 4. requirunt aliqui, ut lege aliqua statutum sit talem immutationem veri esse punibilem poena falsi. Sed melius hoc requisitum omittitur.

Crimen falsi est 1. crimen enorme et gravissimum, 2. crimen publicum, ita ut quilibet possit de illo accusare; 3. est exceptum.

Crimen falsi dividitur 1. *in verum, et quasi tale.* 2. *in personale et reale* quod subdividitur in *verbale et scriptum, et simpliciter reale*, 3. dividi potest ratione modi puadruplciter quo potest, et solet committi, in id quod fit dicto, scripto, facto et usu.

Crimen falsi dicto committitur maxime in judicio a triplici personarum genere, a teste, ab advocato, a judice.

Circa testimonium falsi crimen committitur 1. quando testis scienter et dolose in judicio dicit falsum testimonium. 2. quando occultat veritatem. Tunc autem id agendo censetur falsarius quando interrogatus a judice sub certo articulo dicit se nihil scire, cum debeat scire etc. si cum dolo versute respondit etc. 3: testem subornando, vel donis aut pretio corrumpendo ad dicendum falsum testimonium. Item qui pecuniam ad hoc accipit, licet postea in judicio verum deponat.

Jure canonico testis falsum deponens in judicio vel supprimens veritatem in poenam incurrit infamiam et si clericus sit, deponendus et ad agendam poenitentiam in locum clausum detrudendus.

Jure civili hodie poena falsi est arbitraria, et major vel minor pro casuum, et circumstantiarum varietate.

Porro, ut poenae falsi ordinariae locus sit, ex communi DD. requiritur 1. ut qui falsitatem dicitur commisisse directe de hoc crimine accusatus, et convictus, vel in jure confessus sit. 2. procedi adversus falsi reum debet per viam accusationis. 3. falsitas debet esse commissa circa substantialia causae. 4. falsitas debet esse nociva. 5. commissa scienter et dolose.

De jure civili testem, coram se falsum deponentem, puniri judici permissum est, etiamsi ille alias non sit de jurisdictione ipsius judicis, sed aliunde evocatus.

Advocatus qui criminis falsi reus sit olim obnoxius erat poenae S. C. Turpilliani. Hodie tenetur ad reparationem damni, et aliqua alia poena judicis arbitrio punitur.

Judex ejusdem criminis reus olim obnoxius erat poenis exilii, vel

capitis. Hodie pro qualitate personae judicis, partis laesae, et damni per sententiam injustam illati puniri solet.

Jure canonico judex ecclesiasticus, incurrit poenam suspensionis a divinis, et si his se ingesserit, irregularitatem.

Crimen falsi *scripto* committit, qui scienter, et dolo malo testamentum vel aliud instrumentum falsum scribit, signat, recitat etc. qui signum adulterinum facit; qui alienam manum, sigillum imitatur etc. vel quid simile in sui favorem et alterius detrimentum scribit.

Poena hujus falsitatis de jure civili est deportatio publicatio bonorum cum infamia; de consuetudine vero arbitraria pro qualitate personarum et qualitate damni.

Huc etiam quidem referunt eos qui privatas alicujus litteras aperiunt. Magis vero referendi sunt mendici falsarii: praecipue vero secundum ss. canones falsi crimen scripto committunt falsarii litterarum apostolicarum, qui in hasce poenas incurrunt

1.° ipso facto excommunicationem reservatam papae,

2.° si clerici sint omni officio et beneficio ecclesiastico perpetuo privantur: et si falsi crimen per se exercuerint, degradandi, et curiae saeculari tradendi sunt ut de falsitate legitime convicti secundum leges puniantur. Per eamdem potestatem saecularem puniuntur etiam laici rei illius criminis eadem poena qua falsantes principis rescriptum.

3.° Qui litteras apostolicas falsas scienter impetrant, aut iis utuntur, si laici sint excommunicantur; si clerici officiis et beneficiis spoliantur.

4.° Qui litteras ejusmodi ab aliis falsificatas se habere cognoscunt easque intra 20. dies non destruunt aut resignant, excommunicationem ferendae sententiae incurrunt.

Poenas istas incurrunt tantum clerici falsantes litteras apostolicas non episcopi et praelati istis superiores; sufficit ad eas incurrendas si quis unica tantum vice falsáverit literas papae.

Probabilius poenas falsariorum incurrit etiam ille qui in rescripto justitiae immutat aliquid, ex quo nullum aut leve damnum parti aut fisco infertur.

Easdem poenas incurrit qui litteras apostolicas in parte licet minima radit extra curiam et non officialis sed impetrans, vel utens est.

Qui litteras apostolicas juxta mentem papae corrigit, licet cavendum sit ut per notarios et officiales curiae id fiat, tamen si authoritate propria is agat memoratas poenas non incurrit.

Crimen falsi committi censetur *facto* ab illis

1.° qui alicui alienum partum supponunt;

Digitized by Google

2.° qui diversis contractibus rem eamdem duobus vendit;

3.° Qui pondera, aut publice probatas vini, frumenti, aut cujuslibet rei mensuras corrumpunt.

4.° Qui mercibus adulterinam, aut minus utilem materiam admiscent.

5.° Qui terminos et limites agrorum dolose mutant.

6.° Et omnium maxime hoc crimine tenentur falsarii monetae.

Falsarii monetae censentur 1.° qui propria authoritate monetam cudunt, etiamsi justi ponderis sit et mensurae.

2.° Qui monetae, publica authoritate cusae, justum pondus diminuunt illam tondendo, radendo: secando, etc.

3.° Qui monetam adulterinam cudunt, finguntque ex falsa materia, vel immixta.

De jure canonico et circa ecclesiasticos non habetur poena in falsarios monetae specialis constituta; erit proinde arbitraria. Aliud est jure civili.

Usu vel potius abusu falsi criminis reatum contrahunt

1.° Qui nomen, cognomen etc. fraudolenter et dolose in alterius praejudicium et damnum mutaverit.

2.° Qui illicitis, h. e. alienae familiae insignibus usus est;

3.° Qui proposita edicta dolo malo corrumpunt, qui falso diplomate vias commeant; item qui falsas leges, authoritates etc. dolose allegant.

4. Et praecipue qui adulterinam monetam colligunt, et expendunt, scienter et dolose.

Poena in hoc omnes arbitraria, cum nulla sit constituta.

Post falsi crimen sequuntur *sortes* quae falsi speciem et superstitionis in se continent.

Superstitio est *vitium religioni oppositum secundum excessum.*

Est autem quadruplex superstitio 1. *superstitio indebiti modi colendi Deum,* eaque committitur vel per cultum falsum aut ratione *rei significatae* aut *ex parte colentis*, vel *per cultum superfluum.*

2.° *Divinatio* hoc est *significatio occultorum ex pacto cum daemone;* porro pactum hoc aliquando est *expressum* aliquando vero *implicitum:* divinatio facta per illud appellatur *necromantia* ejusque novem sunt species 1. *praestigium:* 2. divinatio *per somnia:* 3.° *necromantia* specifice talis: 4.° divinatio per *pythones:* 5. *geomantia:* 6. *hydromantia:* 7. *aeromantia.* 8. *pyromantia.* 9. *aruspicium.* Divinatio facta per pactum implicitum duplex est: *una* quando cognitio occultorum ex dispositione alias existente in quibuscumque rebus: *altera* quando

Digitized by Google

quaeritur ex dispositione eorum quae homines consulto faciunt. *Illam* S. Thom. dividit in novem species. Nam 1. est *genethlia*. 2. *augurium*. 3 *auspicium*. 4. *omen* 5. *onyrocritica*; 6. *physiogniomia*: 7. *spatulamantia*: *metoposcopia*; 9. *chiromantia*. Alterum divinandi modum S. D. in duas dividit species.

1.° *Geomantia*.

2.° *Divinatio per sortes*

3.° *Idolatria*.

4.° *Superstitio vanae observantiae*, quae est quando per media inutilia, et a divina providentia minime ad hoc ordinata procuratur aliquis effectus e. g. consecutio alicujus boni, vitatio mali etc.

Fieri potest et ipsa dupliciter, scilicet per pactum cum daemone *expressum*, et per pactum *implicitum*: illa peccatum mortale est gravissimum semper haec licet ex suo genere et ipsa peccatum mortale sit, ex diversis tamen capitibus potest fieri peccatum veniale.

Idem de divinatione dicatur.

Illicita est *astrologia judicaria*, qua ex astrorum inspectione praedicuntur futuri eventus fortuiti, vel praeterita, aut praesentia prorsus occulta manifestantur.

Ex avium volatu, motibus animalium vel hominis eorumque voce praenuntiari licite, et absque superstitione possunt aliqua futura evenientia, quorum illa signa sunt, ut pluvia tempestas, serenitas etc. Superstitiosum vero est, signa ista extendere ad praedicendum ex illis plus, quam illa indicent.

Multo adhuc debilior conjectura sumi potest ex motibus humani corporis.

Ex vocibus hominum quatenus significant, nulla de effectibus contingentibus potest conjectura sumi.

Ex duplici physiognomia, et chiromantia ea quae *astrologica* appellatur et ex partibus corporis et manuum lineis eventus futuros praedicit superstitiosa est: non ita *naturalis*.

Ordinarie observatio somniorum prohibita est, licet aliquando et Deus per ea aliquid revelet, et dispositio corporis ex eis a medicis colligi absque superstitione possit.

Sortilegium est divinatio, qua per sortes divisorias, et falsa signa ope daemonis futura et occulta manifestantur:

Divisoriae sortes sunt, quibus jus indivisum, aut dubium, pluribus competens, inter eos dividitur, aut applicatur. Hoc sortium genus per se licitum est, et pluribus casibus adhiberi licite solent et possunt.

Digitized by Google

Quatuor maxime conditiones requiruntur ut sortes divisoriae licitae sint. 1. ut eventus sortis expectetur a Deo non daemone, nec ab astris, fato, aut fortuna. 2. ut sors fiat simplici animo, et cum debita reverentia sine admixtione superstitionis. 3. ut illi qui sortiuntur aequali jure nitantur, aut aequali sint poena digni; 4. ut praecipua sortientium intentio, sit tantum litium seu discordiarum ablatio.

Ex harum circumstantiarum defectu sortes redduntur illicitae licet diverso malitiae gradu.

Sortes consultoriae sunt quibus occultae veritatis manifestatio, vel ancipitis consilii directio a Deo postulatur.

Regulariter eae sortes illicitae sunt. Non tamen in his semper graviter peccatur.

Imo si quatuor sequentes conditiones concurrant absolutae sunt licitae; 1. necessitas personae, vel etiam rerum ad damnum magnum vitandum: 2. ut cum debita reverentia ad Deum mittantur sortes; 3. ut servetur modus proportionatus; 4. ut sint circa debitam materiam.

Sortes divisoriae et consultoriae adhiberi non possunt in electionibus ad praelaturas, dignitates et beneficia ecclesiastica.

Probabilius jure subsistit facta per sortes electio compromissariorum.

Mutuo collitigantium consensu, et accedente authoritate legitimi superioris sorti committi possunt lites ecclesiasticae, et beneficiales.

Sortes divinatoriae sunt, quae ad cognoscenda futura contingentia, aliaque occulta detegenda adhibentur. Illicitae et superstitiosae sunt.

Jure civili sortilegi hodie poena arbitraria coercentur.

Clerici sortilegi jure canonico jubentur ab officio et beneficio deponi, et agendam perpetuam poenitentiam detrudi in monasterium.

In laicos sortilegos quando haeresis suspicio abest, fere procedit curia saecularis: potest tamen in eosdem etiam procedere judex ecclesiasticus.

Magica est ars operandi mira. Alia *naturalis* est, alia *diabolica*:

Magia et superstitiosa censeri debent etiam illa quae speciem pietatis praeferunt, ut sunt verba et signa sacra, si his misceantur aliqua vana et inutilia quae ad Dei cultum non pertinent.

Crimen magiae et sortilegii mixti fori est.

Jure canonico magi, divinatores, et ii qui libros de tali materia tractantes, edunt, vel legunt praeterquam quod incurrant infamiam afficiuntur censuris ecclesiasticis item aliis poenis pro

Digitized by Google

qualitate delicti : aliquando etiam curiae saeculari traduntur castigandi..

De jure civili magiam exercentes cum damno tertii ultimo supplicio sine aliorum damno arbitraria judicis poena puniuntur.

Collusio est latens et fraudulenta conventio inter actorem et reum.

Duobus modis potest contingere. 1. quando actor rei partes adjuvat 2. quando accusator ab accusatione omnino desistit.

Contingere potest tam inter clericos, quam inter laicos, et quidem non tantum inter principales, sed etiam per advocatos et procuratores.

Committi potest crimen hoc in omnibus fere causis, sed magis forsan in criminalibus, quam in civilibus.

Tria de collusionibus statuuntur in jure 1. si circa beneficium ecclesiasticum facta sit, et probetur, eo privandus est uterque. 2. Si accusator in judicio ab accusatione desistat, judex inquiret an id ex charitate et resipiscentia fecerit, an ob pecuniam acceptam; et hoc posterius si factum deprehendatur ita colludentibus, imponenda est poena arbitraria. 3. Qui absolutus legitime solum est per collusionem, nova in ipsum accusatio et inquisitio institui potest, licet alias nequeat.

Pueri dicuntur, qui septimum aetatis annum egressi sunt et nondum impleverunt annum 14. si mares, vel 12. si foeminae sint: nam qui illum non sunt egressi *infantes*, qui hunc jam impleverunt *puberes* appellantur. *Pubertas* plena in foeminis ab anno 14. in mare ab anno 17 et 18. *Infantiae proximi* dicuntur, qui septennium multum non excesserunt. Quinam *pubertati proximi* dicendi sint non conveniunt dd. Verius putant qui istud relinquunt determinandum arbitrio judicis, soepius variante natura.

In infantes, amentes, furiosos etc. nec civili, nec criminali poena potest animadverti.

Qui infantiae proximi sunt, licet ab ordinaria poena eximantur, tamen si quid delinquant, praesertim, ubi doli capacitas haud obscuris signis in iisdem conspicitur severius nonnunquam compescendi sunt, ne delinquere assuescant.

Pueri, qui ab infantia ad pubertatem jam magis accesserunt *ob peccata commissionis* puniri possunt, sed poena mitiori, quam alii; contra *ex delictis omissionis* ad poenam non tenentur.

Minores qui pubertatem adepti, adhuc tamen 25. annis minores sunt ob delicta commissionis puniri poena ordinaria possunt : tamen regulariter loquendo, et nisi alia delictum aggravantia con-

Digitized by Google

curraut, judex minores mitius punire potest, et solet, quam majores.

Pueri tenentur etiam de adulteriis, et aliis delictis carnalibus si malitia praeveniat aetatem.

Ad poenam pecuniariam latam in filium impuberem vel minorem, pater, si non fuit delicti particeps, aut in filii correctione negligens non tenetur.

Species venationis sunt tres *oppressiva*, *arenaria*, *saltuosa*, seu *sylvatica*.

Venatio oppressiva omnino illicita est; arenaria si exerceatur pro quaestu, inducit infamiam, saltuosa per se licita est, fieri tamen illicita potest 1. ex persona venantis: 2. ex tempore quo fit: 3. ex loco in quo instituitur: 4. ex detrimento boni communis, vel particularis.

Venatio *quieta* quae fit sine strepitu personis ecclesiasticis permissa est; haud vero *clamorosa* quae magno armorum, canum etc. apparatu exercetur.

Recte omnino clericis, et religiosis prohibita est venatio clamorosa et multo magis monachis, et aliis.

Si saepius exercita fuerit venatio, episcopus jubetur tribus mensibus a communione arceri, presbyter duobus, diaconus vero suspenditur ab officio sine determinatione temporis: clerici minores arbitrio judicis plectendi sunt, sed qui beneficia ecclesiastica habent.

Circa poenas nunc consuetudo spectanda.

Clerici prohibentur specialiter alios percutere.

Praeceptores, aut magistri artium liberalium, si verba, et minae non proficiant, percutere clericos vel laicos moderate possunt; seniores sacerdotes zelo devotionis pueros, vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos; denique probati ecclesiastici eosdem tam saeculares, quam regulares disciplinae causa percutere sibi subditos.

Praelati inferiores clericos sibi subditos verberare etiam in propria persona possunt; episcopus nequit, sed per alium facere debet, et quidem clericum, non laicum, alias uterque excommunicationem incurrit.

Clericus alium etiam laicum, illicite percutiens, jubetur corripi pro excessu percussionis, et qualitate delicti ac delinquentis ad arbitrium superioris; et si non resipuerit, deponendus, uti si aliquem lethaliter, vel enormiter percussisset.

Hodie per consuetudinem recessum est in multis a rigore canonum

Digitized by Google

praesertim circa prohibitionem, ne praelati clericos delinquentes verberari curent per laicos.

Clericus percussor deponi potest etiam ob percussionem non enormem si ita facile ad verbera procedat etiam pro minimis rebus, praesertim juncto scandalo.

Maledictum dicitur mala locutio de alio, et dividitur in detractionem, calumniam, et blasphemiam.

Maledicus in proximum privatum dicitur, qui famam, et existimationem ejusdem deprimit, vel aliquid mali de eo enuntiando; vel bonum et qualitatem ipsi competentem inficiando.

Qui maledicunt principi saeculari olim tenebantur crimine majestatis, hodie leviores poenae edicuntur nisi maledictum verba spectantia seditionem contineat, aut acclamationes turbolentas, quibus principis salus, aut status adduceretur in discrimen.

Maledictum in ecclesiasticum principem remittitur, si proveniat ex commotione animi exulcerati, insania, levitate etc.; si vero ex animo injuriandi, et maledictum soli personae dirigatur, solet iterum remitti; aliud est si sedi apostolicae, et dignitati pontificali.

In Deum maledicus quis triplici modo fieri potest 1. quando aliquid affirmatur de Deo, quod ipsi non convenit: 2. quando Deum quis detestatur, vel ei imprecatur malum aliquod: 3. quando indecentia, et contumeliosa verba in Deiparam, aliosque sanctos jaciuntur.

In blasphemos variae, variis temporibus poene sunt statutae.

In statutas poenas incurritur, quando blasphemia plene deliberato animo pronuntiatur; alias mitius arbitrio judicis puniri debet.

Cognitio blasphemiae haereticalis ad judicem ecclesiasticum pertinet; alias si non sit haereticalis, est mixti fori.

Clericus depositus sive verbaliter degradatus propter crimen, si celebret, vel actum ordinis, aut officii, a quo est depositus, exerceat vel in eo ministret, excommunicari debet; et si incorrigibilis sit exilio mulctatur.

Poena clerici, qui censura ecclesiastica insuper habita, se sacris ministeriis ingerit, et exercet actum ordinis proprium triplex est; depositio ab officio, et beneficio ecclesiastico infligenda per sententiam, etiam monitione non praemisaa, 2. privatio ipso jure omnium beneficiorum; 3. irregularitas, quae etiam ipso jure incurritur.

Ut irregularitas incurratur a censuratis, requiritur ut exerceant actum proprium ordinis, et quidem temere; eam non incurrit, qui in censura existens, suscipit ordinem; qui exercet actum

Digitized by Google

jurisdictionis ; qui assistit matrimonio , modo illi non benedicat.

Ordinum exercitio irregulares non fiunt 1. qui invincibiliter ignorant se censura aliqua irretitos : 2. actum ordinis exerceut , extrema necessitate urgente : 3. qui ex omissione ejus exercitii , grave scandalum ferrent, nec non ejus infamiam.

Exercens actum ordinis ab irregularitate incurreuda excusatur praeterea 1. si celebret talem actum ob gravem metum alterius gravis mali , dummodo metus iste non fuerit incussus in contemptum censurarum , et ecclesiae.

2.° Excusatur , quando sententia censurae est evidenter nulla.

3.° Si excommunicatus , suspensus , vel interdictus post interpositam appellationem a sententia censurae contra se latae, etiam illegitimam , quam tamen putat esse validam , ante absolutionem a censura exerceat actum proprium ordinis , a quo est suspensus vel interdictus.

4.° Excusat ab irregularitate parvitas materiae.

Excommunicati etiam tolerati si temere , et non rogati exercitio ordinum suorum se ingesserint , irregularitatem incurrunt.

Sacerdos excommunicatus, suspensus, etc. sacramentaliter absolvens, aliquando irregularitatem incurrit , aliquando non , *si toleratus sit:* semper incurrit *si non sit toleratus.*

Per invalidam administrationem sacramenti excommunicatus administrans ex defectu intentionis , probabilius non incurrit irregularitatem.

Si invalida fuerit sacramenti administratio ex defectu materiae, vel subjecti, administrans excommunicatus irregularitatem incurrit.

Sacerdos excommunicatus concurrens in sacramento matrimonii tamquam parrochus non incurrit irregularitatem ; utique vero si novos conjuges benedicat : iterum dicendum in sacramento eucharistiae excommunicatus sacerdos irreg: incurrit si ejus extra necessitatem distributionem faciat: item in baptismo, quando solemniter illum confert quoad caeremonias, non si privatim.

Qui exercet actum proprium ordinis minoris , verosimilius est irregularitatem incurrere , si solemniter exerceat.

Irregularitatem incurrit, qui certo scit se a judice ecclesiastico excommunicatum fuisse , et solum dubitat nam excommunicatio legitime lata , et valida sit nec ne , stante autem hoc dubio actum ordinis proprium exercet.

Si quis de facto dubitat an sit excommunicatus, verisimilius est, sic ministrantem irregularitatem non incurrere , si debitam dili-

Digitized by Google

gentiam adhibuit ad rei veritatem cognoscendam, secus si omisit.

Irregularitas non contrahitur ab eo, qui dum excommunicatione minore irretitus est, celebrat.

Ministrans in ordine non suscepto graviter peccat.

Poena clerici ministrantis in ordine non suscepto triplex a jure statuitur 1. excommunicatio ferendae sententiae: 2. suspensio ad biennium, vel triennium ab exercitio ordinis ultimo suscepti: 3. irregularitas saltem partialis, vi cujus ad superiores ordines nequeant promoveri.

Ut irregularitas incurratur per ministrationem in ordine non suscepto requiritur 1. ut qui in ordine non suscepto ministrat sit capax irregularitatis, ac proinde mas, et baptizatus: 2. ut exerceat actum ordinis proprium, et eo modo, quo vi ordinis solet, et non nisi ab ordinatis licite exerceri potest: 3. ut id faciat temere: 4. ut exercitium ordinis, saltem externum fiat serio.

Ut incurratur irregularitas, verior sententia est, qua non requiritur, ut actus ordinis exerceatur cum intentione eumdem exercendi.

Qui ministrat in ordine, quem ipse quidem suscepit, sed defectuose, quod in collatione illius omissum sit aliquid accidentale tantum, quod alias poni debebat, irregularitatem non incurrit; secus si aliquid substantiale omissum sit.

Ad incurrendam irregularitatem, necessarium est, ut ministret aliquis in ordine sacro, tamquam ex officio proprio, et eo modo, quo ministrari non nisi ab ordinatis licite potest.

Sacerdos simplex confirmans, conferens ss. ordines, consecrans ecclesias, vel altaria etc. irregularitatem incurrit.

Laicus solemniter baptizans, vel alios actus ordini proprios exercendo probabiliter irregularitatem non incurrit, sed DD. dissident.

In irregularitate, quam quis per usum temerarium ordinum non susceptorum incurrit, *jure antiquo* decretalium solus pontifex dispensare poterat; *jure novo* trid. in delicto hoc, si adhuc occultum sit, dispensare permittitur etiam episcopo.

Clericus per saltum promotus dicitur ille, qui uno, vel pluribus ordinibus praetermissis ad superiorem ascendit; in his suscipiendis gradus sunt servandi.

Non observatis ordinum gradibus, ordo susceptus valet, dummodo non sit *episcopatus* susceptus ab eo cui ordo sacerdotalis desit.

Qui per saltum ordinem suscepit ipso jure suspensus est.

Qui per saltum ordinatur irregularis non fit, nisi, temere in ordine sic suscepto, ministrando.
Suspensio in ordine per saltum suscepto, negatur suspensionem etiam inducere in ordinibus rite susceptis.
Promotus per saltum ad ordinem aliquem ipso facto suspensionem incurrit, saltem quando scienter ita sit ordinatus.
Suspensionem incurrit etiam is, qui omissa prima tonsura adscendit ad minores ordines.
Suspensionem non incurrere dicendum est is, qui ante receptum confirmationis sacramentum ad minores ordines promotus est.
In poenis, ob ordines per saltum susceptos, contractis, si in iis promoti non ministraverint, et prius recipiant ordinem omissum episcopus dispensare potest in suspensione.
Nonnulli DD. docent *post trid.*; episcopum dispensare posse etiam cum scienter promotis per saltum, si non ministraverint.
Furtive suscipere ordines dicitur 1. is, qui absque licentia, et consensu episcopi, vel sine praevio examine, et approbatione dolose, et ordinatore ignorante se ordinandis immiscet: 2. qui ad ordines minores admissus, eadem die recipit subdiaconatum, nisi alias sit consuetudo: 3. qui contra superioris inhibitionem eodem tempore dolose recipit duos majores ordines.
Ordo furtive susceptus praesertim si absque licentia, et consensu episcopi, examine, pro valido habendus, si episcopus ordinans protestationem non praemisit, se *non intendere ordinare non examinatos aut approbatos*.
Ordo furtive susceptus non valet, quando ordinans protestationem se non intendere ordinare non examinatos, aut approbatos praemisit.
Furtive suscipientes ordines varias poenas incurrunt 1. suspensionem ab executione ordinum sic susceptorum: irregularitatem, quando susceptio furtiva, prohibita ab episcopo antecedenter fiat sub excommunicatione; non vero, si alio modo.
Ignorantia, vis, metus excusat a suspensione furtive promotum.
Ob furtivam ordinum susceptionem incursas relaxare poenas episcopus potest, si susceptio antecedenter non prohibita fuit sub excommunicatione, alias, et sic ordinatus maneat in saeculo, soli papae dispensatio competit; si religionem intret iterum episcopus vel abbas dispensare potest.
Episcopi et his superiores in subditos variis modis delinquere possunt 1. si eos gravent indebitis oneribus, et exactionibus novis vel vexent censuris, et aliis poenis indebite inflictis: 2. si eorum

jura, immunitates et jurisdictionem diminuant aut tollant: 3. si beneficia conferant indignis etc.

Praelati episcopis inferiores excedere possunt 1. cum ecclesias sibi subjectas uniant authoritate propria: 2. cum sibi vendicant concessionem indulgentiarum, cognitionem causarum matrimonialium etc. 3. cum praelati regulares contra formam jure praescriptam monasteria aedificant.

Subditi in suos praelatos peccant 1. quando festivitates ab episcopo indictas, aut censuras et interdicta ab iisdem promulgata non observant: 2. si contra fidem episcopo datam eumdem negent esse dominum suum, illumque trahant ad judicium saeculare, aut invadant etc.

Novi operis nuntiatio est legitima prohibitio, ne ecclesia, monasterium, vel aliud novum opus extruatur, aut extructum, fenestra alicubi aperta, nova male imposita etc. immutetur, vel incepta constructione, aut mutatione pergatur, donec constiterit de aedificantis jure, aut praestita sit eo nomine satisdatio.

Novum opus nuntiare potest, si *circa res publicas* sit, quisque de populo; non admittitur tamen 1. pupillus, nisi sua intersit; 2. mulier: 3. infamis.

Circa res privatas nuntiare novum opus potest 1. is, ad quem pertinet res illa, cui damnum imminet, vel qui praetendit eam ad se pertinere: 2. qui habet servitutem realem in fundo in quo de novo aedificatur: 3. ad suum privatum commodum pupillus, etiam sine tutoris authoritate, quando non est in possessione rei, ob quam nuntiat: 4. filius, mancipium, mercenarius, negotiorum gestor, procurator, et amicus, qui tamen caveat de rato: 5. quivis, cujus interest, ne opus novum fiat.

Opus novum nuntiari potest cuivis, seu contra quemcumque etiam proprium superiorem, in praejudicium alterius novum opus molientem facere: neque refert 1. qui sit iste, qui in re praesenti fuerit, et cui nuntiatum est: 2. quale sit aedificium, profanum, aut sacrum: 3. utrum jure, vel injuria fiat.

Denuntiatio novi operis fieri potest quovis die etiam feriato, prope locum ubi fit, vel intenditur; ad avertendum praejudicium, aut damnum, quod nuntians timet. ad conservandum jus nostrum, vel ad tuendum jus publicum.

Operis novi nuntiatio fieri solet tribus modis 1. solo quocumque verbo extra judicium adversario id molienti: 2. per judicem, petendo ab isto, ut fieri prohibeat: 3. per appositionem manus, vel jactum, aut amotionem unius lapidis in locum ubi opus fit;

Digitized by Google

quorum modorum, duo extremi, efficaciores atque aptiores sunt.

Ut novi operis nuntiatio locum habeat, tria requiriruntur 1. ut sit nuntiatio operis solo conjuncti, vel conjungendi et in eo permaneat: 2. ut sit nuntiatio operis novi: novum opus facere videtur qui aut aedificando, aut detrahendo pristinam faciem operis mutat: 3. ut sit nuntiatio operis novi inchoati, et nondum perfecti.

Hunc effectum habet nuntiatio novi operis, ut is qui struere illud incoepit ab eo debeat desistere, donec re examinata de aedificationis jure constet.

Post nuntiationem quidquid aedificatum est, expensis aedificantis demoliendum est, nec ipse cautionem praestare volens audiendus est; et si aedificare pergat in prejudicium alterius, etsi in fundo proprio, nuntians authoritate propria, vi adhibita impedire, et destruere in continenti potest.

Nuntiatio novi operis vim non habet 1. quando jus aedificandi notorium est, et nuntiatio notorie injusta: 2. si nuntians re adhuc integra, sive antequam aliquid aedificatum sit, moriatur, neque nomine haeredum quoque suorum nuntiaverit; contra non extinguitur morte ejus, cui opus nuntiatum est: 3. si nuntians aedificanti nuntiationem remittat, item si ab aedificante cautionem sibi oblatam acceptet: si nuntians ad istantiam aedificantis jurare nolit de calumnia: 5. si nuntians intra trimestre non probaverit prohibendi jus sibi competiisse: 6. si periculum sit in mora, et dilatio aedificii cessura esset in grave damnum volentis aedificare, qui hoc in casu cautionem de destruendo praestare debet: si judex nuntiationem, quam fieri jussit, iterum revocavit.

In fundo proprio aedificare quidquid, et quomodo libet permissum unicuique est: excipitur 1 si vicinus habeat in domo aedificantis servitutem urbanam quomodumque acquisitam: 2. Si ex novo aedificio vicini aedibus immineat periculum damni, vel ruinae: 3. Si quis tantum ad vicini aemulationem ipsius aedes obscurare, aut novas fenestras contra domum, vel hortum ejus aperire velit: 4 quandoque prohibetur quis novum opus facere favore religionis, ac boni publici.

Privilegium definitur, *quod sit lex privata, speciale aliquod beneficium, aut favorem contra, vel praeter jus concedens.*

Privilegium differt a *lege*, quia illud immediate spectat bonum personae, aut loci, collegii; quia ad sui usum, illos, quibus collatum est, non obligat; quia per illud privilegiatus eximitur a

jure differt a *dispensatione*, quae est semper adversa legi, cum privilegium quandoque sit practer legem; et aliis rationibus differt etiam a *gratia*, et *rescripto* principis.

De ratione privilegii est, ut concedat aliquid speciale, quod de jure communi concessum non est.

Quando dubium est, an privilegium sit concessivum, an vero declarativum, intelligendum est de concessivo.

Ad privilegii substantiam, et valorem regulariter scripturam non exigi defenditur: verum excipi debent 1 collationes, confirmationes, uniones beneficiorum a sede apostolica factae, quae irritae sunt, si ante literas expeditas possessio istorum apprehendatur: 2 facultas non residendi in beneficiis curatis: 3 facultas ingrediendi monasterium monialium: 4 designatio judicum delegatorum a papa.

Concessio privilegii etiam sine causa facta, valida est, modo nil aliud obstet.

Si privilegium contrarium sit juri tertii, vel statuto, vel consuetudini speciali, ut vim habeat, addi debet clausula derogatoria hujus juris, consuetudinis, vel statuti, etiam tum, quando princeps illud concedit motu-proprio.

Si privilegium juri communi deroget, probabilius sufficit ipsa concessio, sine adjectione clausulae, dummodo jus commune non resistat.

Etsi princeps supremus privilegium possit concedere, quin privilegiatus de hoc notitiam habeat, nisi tamen hoc exprimat, nunquam illum ita censeri concedere, sed conditionem habet, *si privilegiarius concessionem acceptet.*

Si privilegium sit odiosum, et in praejudicium juris communis, aut alicujus tertii, opus est, ut etiam huic fiat insinuatio privilegii dati.

Si privilegium sit mere gratiosum, uti quidem illo privilegiarius potest, quin insinuetur aliis; sed his etiam insinuari debet, ut teneantur privilegiarium a privilegii usu non impedire.

Si motu proprio, vel ad instantiam alicujus tertii, sine mandato tamen privilegiarii, concessum est privilegium, regulariter effectum non habet ante acceptationem.

Privilegium dividitur 1 in *reale*, quod directe, et immediate confertur rei; in *personale*, quod directe confertur in favore personae.

Privilegium personale sequitur personam, et cum ea extinguitur; reale adhaeret rei, et tamdiu durat, quamdiu res, cui annexum est.

Privilegia concessa religioni, civitati etc. realia sunt, et si nomine

Digitized by Google

collectivo concessa sunt non possunt iis uti personae singulares, qua tales, sed solum quando corpus suum collegialiter repraesentant: singulis vero separatim competunt, si personis singularibus concessa sunt.

Privilegium quod conceditur personae ob aliquam illius excellentiam si de tali materia est, ut ad haeredes trasmitti possit, reale censendum est, nisi aliquid addatur, quod ad personam verba generalia revocet; alias personale est.

Quando neque ex materia privilegii, neque ex verbis intelligi potest an privilegium sit reale, vel personale, censendum est reale, si sit favorabile, et continens merum beneficium principis sine ullius onere, et praejudicio; personale, quando sit odiosum, quia contra jus commune, vel cedit in aliorum praejudicium.

Privilegium dividitur 2 *in mere gratiosum*, quod procedit ex mera liberalitate concedentis, et *in remuneratorium*.

Privilegium remuneratorium in dubio praesumitur personale.

Dividitur 3 privilegium in purum, et conventionale.

Privilegium conventionale potest etiam esse personale.

Dividitur 4 privilegium in id, quod concessum est ad preces, vel instantiam partis, et in id quod concessum est motu proprio.

Aliud dicitur 5 privilegium *absolute concessum*, quod conceditur sine onere privilegiarii, aliud sub *conditione, et modo*.

Omissio operis, sub cujus onere conceditur privilegium, ejus usum non irritat, si opus injunctum fieri potest post illius usum, secus si antea fieri debeat.

Aliud privilegium 6 dicitur *clausum in corpore juris communis*, aliud datum per rescriptum speciale.

Privilegium clausum in corpore juris judex ignorare non debet, vel saltem non praesumitur, utique specialiter datum, quo privilegiatus comparere tenetur.

Dividitur 7 privilegium in id, *quod est contra jus*, quod derogat juri communi, et in id, *quod est praet jus*, quod concedit favores peculiares in jure non expressos.

Dividitur privilegium in *commune*, quod per se respicit bonum communitatis, cui conceditur, licet in istius membra etiam redundet, ut sunt privilegia canonis, fori, et competentiae; *et privatum*, quod per se respicit bonum personarum particularium, licet mediate spectet etiam bonum commune.

Privilegium commune a privatis renuntiari nequit, utique privatum, seu singulare.

Privilegium 9 dividitur in *perpetuum*, et *temporale*.

Dividitur 10 in *favorabile*, quod ita favorem continet, ut nemini

incommodum afferat, et *odiosum*, quod ita favet privilegiato, ut simul alteri afferat praejudicium.

Dividitur 11 in *affirmativum*, quod facultatem concedit ad aliquid efficiendum, *negativum*, quod facultatem concedit ad omittendum.

Negativum privilegium semper est contra jus certum, vel dubium, affirmativum aliquando contra jus, aliquando praeter jus est.

Dividitur 12 in privilegium *pro foro conscientiae* tantum, et in privilegium *pro foro etiam externo*, quod solum habenti prodest in utroque foro.

Dividitur 13 *in scriptum*, et *non scriptum* 14 in *concessum per se primo*, et in concessum *ad instar*.

Privilegia acquiri possunt 1 per ipsam actualem concessionem superioris: 2 per communicationem: 3 per praescriptionem, aut consuetudinem legitimam.

Privilegium concedere potest omnis et solum ille, qui legem potest concedere; sic papa in materia *spirituali* indistincte in toto terrorum orbe, *temporali*, in suo territorio: episcopi, et alii praelati papa inferiores, sed limitate.

Privilegia, quae sunt contra jus, et dispensativa legis dari non possunt nisi subditis, qui lege arctantur; ea, quae sunt praeter jus, et mere concessiva gratiae concedi possunt etiam non subditis.

Privilegia communicari possunt dupliciter, per extensionem ejusdem privilegii, et per concessionem similis, quod privilegium ad instar dicitur.

Ut privilegium concessum ad *instar*, seu quod ad similitudinem alterius concessum est, valeat, praeter ea, quae requiruntur ad valorem cujuscumque, requiritur, ut illud ad cujus exemplum concessum est, valorem et effectum habeat saltem eo tempore quo confertur, et vere sit privilegium.

Privilegia quae participantur per communicationem, si fiat absolute, et pariformiter, is cui facta est communicatio, participat omnia privilegia, et eodem modo, quae et quomodo de facto alter habet: si limitate solum, et ex parte, quantum communicetur ex privilegio prius concesso alteri, id desumendum est ex tenore privilegii cum tali limitatione concessi.

Communicatio privilegiorum de facto inter regulares ex mente pontificis ponderatur.

Per consuetudinem, vel praescriptionem acquiri privilegium potest.

Digitized by Google

Quando revocantur alicui privilegia, non revocantur ea, quae consuetudine, vel praescriptione comparata sunt.
Privilegio communi tenetur uti quilibet, qui est de communitate, cui concessum est privilegium.
Privato privilegio per se loquendo nemo tenetur uti.
Privilegiatus potest uti privilegio suo contra alium pariter privilegiatum.
Si alter privilegiatorum habeat privilegium generale praeferendus est illi, qui habet speciale: si vere privilegia pariter contraria inter se sint praevalebit, quod antiquius, vel a potestate superiore concessum est.
Sensus regulae, qua dicitur, quod privilegiatus privilegio suo uti non possit contra alium privilegiatum, intelligendus est sub conditione, si iste adversus quem vult uti privilegio suo, habeat privilegium fortius, et magis absolutum.
Si privilegium concessum sit pro certo loco, et tempore, usus illius extra illum locum, et tempus illicitus est; si sine limitatione temporis, vel loci, privilegium valet pro omni loco et territorio concedentis.
Ut privilegiatus uti privilegio, vel gratia sibi concessa possit etiam extra territorium concedentis, oportet, ut gratia solum tollat inhabilitatem, et impedimentum ad functiones.
Si gratia verum immediate det potestatem aliquid agendi, vel omittendi, et actus, vel omissio, ad quam privilegium vel dispensatio datur non repugnat alicui juri, actum illum vel amissionem prohibenti, potest privilegiatus uti privilegio suo: si repugnet juri communi, et dispensatio data sit generalis pro tota v: g: dioecesi ea uti nequit privilegiatus extra dispensantis episcopi territorium: secus potest si causa sit personalis, quae datur in ipso privilegiario.
Si privilegium repugnet legi, et statuto speciali illius loci, quem transit privilegiatus, si lex et statutum concernit specialiter bonum commune illius loci, ibi privilegiatus privilegio suo uti nequit: secus per se loquendo potest.
Verba *ex certa scientia*, quae saepe in confirmatione privilegiorum adduntur vim habent, et efficaciam renovandi privilegium, si forte usu, vel alia via amissum fuisset: excipiuntur privilegia subreptitia; et ea quae generali concilio sunt revocata.
Regulae quae servandae sunt in privilegiorum interpretatione plures sunt:

1.° si privilegium feratur verbis claris, et intentionem conceden-

tis sufficienter exprimant, interpretatione non indiget, sed tenor et forma privilegii inspicienda, et obseraanda est.

2.° Si in forma privilegii adhibeantur verba indifferentia, obscura et incerta, attendenda 1 est supplicatio: 2 initium ipsius indulti: 3 materia circa quam versatur privilegium: 4 ipsum genus privilegii: 5 spectari potest aliud simile privilegium, et ex illo interpretatio sumi.

3.° Si adhuc res dubia est, et periculum in mora, licebit illud retineri quod secundum prudentiam visum fuerit pro loco, et tempore convenire; si vero dilatio admitti potest consuli debet princeps.

4.° In interpretatione privilegii, servanda est verborum proprietas quantum fieri potest.

5.° Proprietas verborum secundum quam interpretanda sunt privilegia desumenda est ex usitata significatione, vel usu communi, vel secundum jus privilegio proportionatum.

6.° Nunquam facienda est interpretatio privilegii ita stricte, ut privilegium reddat inutile, et inefficax, etsi grave videatur, et odiosum. Denique privilegium interpretandum est ita, ut non sit onerosum privilegiato, sive ut aliquid potius tribuat, quam auferat.

Privilegium, quod favorem merum continet, nec juri communi derogat, nec in praejudicium alicujus cedit late interpretandum est.

Stricte interpretandum est privilegium juri communi, vel consuetudini, secundum, aut praeter istud introductae, derogans; excipitur, quod concessum est favore religionis, et causae piae; quod cedit in bonum commune reipublicae; quod motu proprio, et ex certa scientia concessum est; quae inserta sunt corpori juris communis.

Privilegium, quod derogat statuto, vel consuetudini speciali probabilius extendi non debet, modo tale statutum, vel consuetudo non contrarietur juri communi.

Privilegium, quod cedit in notabile praejudicium tertii, et huic jus quaesitum aufert, aut diminuit, restringendum est, quantum patitur proprietas verborum, etsi tale privilegium concessum sit motu proprio.

Si privilegium odiosum sit extendi illud non debet, nec potest; si favorabile sit, extendi potest ad personas, et casus virtualiter saltem in privilegii forma comprehensos.

Privilegium concessum religiosis etiam sub nomine masculino extendi debet etiam ad foeminas religiosas ejusdem ordinis, modo

Digitized by Google

hac privilegii capaces sint, nisi in privilegio addatur *viris religiosis*.

Privilegium concessum filiis potest extendi etiam ad foeminas, nisi odiosum sit, vel in eo dicatur *filiis masculinis*.

Privilegium concessum fratribus, etiam commune est sororibus, nisi aliunde appareat restrictio.

Privilegium concessum filiis non est extendendum ad nepotes.

Socius privilegiati non gaudet privilegio socii, nisi huic privilegium, aut inutile, aut grave fieret, si socius eo uti non posset.

Privilegium extendi non potest, nisi ad personas vel formaliter, vel virtualiter saltem expressas in privilegio.

Communis sententia est, privilegium ad casus, loca, et personas in privilegii forma non expressas non extendi, licet fortasse eadem sit utrobique ratio.

Privilegia amitti possunt octo praecipue modis 1 perempte, vel destructo ipsorum subjecto, cui inhaerent: 2 lapsu temporis, pro quo concessum est: 3 cessante causa: 4 libera renuntiatione ipsius privilegiati 5 non usu: 6 usu, vel actu contrario: 7 abusu: 8 revocatione concedentis.

Interitu subjecti, si personalis extinguitur cum persona, si privilegium sit reale manet, manente re, ea intereunte, et ipsum interit.

Privilegium morte concedentis regulariter non amittitur, et hoc procedit 1 etiam de eo privilegio, quod concessum est pro limitato aliquo tempore: 2 etiam in odioso, per quod derogatur juri communi, vel praejudicatur juri alterius privati: 3 etiamsi superior privilegium concedens decesserit, re adhuc integra.

Morte concedentis amittitur 1 privilegium, cum expresse haec conditio ei addita est *quamdiu vixero*, seu *pro tempore vitae meae*: 2 quando princeps illud concesserit sub terminis, *usque ad beneplacitum nostrum*; alias est si concessit sub terminis, *quamdiu non revocavero*: 3 expirat re adhuc integra, si sit gratia non facta, sed facienda per executores: exeipitur nisi commissio haec facta sit in favorem ipsius commissarii vel delegati: ex his DD. plurimos casus inferunt in quibus privilegium et gratia concessa etiam reintegra, post mortem concedentis manet.

Quomodocumque tempus a concedente privilegii durationi datum sit, eo lapso extinguitur: idem dicendum de eo sub conditione ita ut tamdiu duret, quamdiu duraverit ipsa conditio: *si ex parte privilegii* conditio se tenet: *si ex parte concessionis* privilegium, ea sublata, manet: si conditio solum apposita est *usui privilegii*,

privilegium quidem manet, conditione illa cessante, sed usus illius illicitus redditur.

Privilegium, vel gratia absolute concessa ad aliquid agendum vel omittendum an finiatur per exercitium actus; an ad plures se extendat, pendet ex intentione, qua fuit concessa.

Si *favorabile* sit privilegium, manet, etiam cessante causa: *si odiosum* et non integre sit concessum, tunc quando causa finalis, dum non sit impulsiva tantum, omnino cessat, nulla fit privilegii ipsius concessio.

Si privilegium odiosum sit plene integre et perfecte concessum, si unico actu consummetur, eo consummato, non cessat privilegium, etiam quoad effectum.

Privilegium, gratia, vel dispensatio, si eorum causa tractum successivum habeat, cessante causa, cessat; si non habet tractum successivum, sed tota existit tum, quando conceditur gratia, dispensatio, seu privilegium nullo modo cessat per causae cessationem.

Renuntiatione vel expressa, vel tacita privilegium amittitur.

Si in favorem alicujus personae tantum privilegium sit concessum, per ejus renuntiationem liberam, vel expressam amittitur: haud est si in favorem communitatis, dignitatis, vel loci, personae particulares cum ejusdem praejudicio privilegio renuntiare ne juramento quidem possunt.

Ut privilegium tollatur per renuntiationem expressam requiritur 1 ut fiat voluntate libera renuntiantis: 2 accedere debet potestas renuntiandi: 3 si renuntiatio cedit in aliorum utilitatem requiritur etiam acceptatio ejus, cujus interest, alias revocatio locum habet: 4 si privilegium sit ex illis, quae solum spectant privilegiatum, nec alteri damnum inferunt, probabilius non amittitur, nisi accedat consensus illius, qui dedit privilegium.

Si privilegium communitati *noxium* fiat, renuntiatione non indiget, sed per se ipsum cessat; si *inutile*, vel *indifferens* sit, renuntiare illi praelatus cum capitulo potest, modo non cedat in ecclesiae vel aliorum praejudicium; si *utile* sit et *honorificum* requiritur, ut renuntiatio fiat de communi omnium consensu.

Privilegium per non usum amitti potest; specialiter illa, quae in mera facultate aliquid agendi consistunt solo non usu, quantocumque tempore continuato, non amittuntur; aliter est de iis quae onus, et gravamen alteri afferunt.

Ut per non usum tollatur privilegium alteri gravamen, vel onus afferens, duo requiruntur 1 ut non usus sit voluntarius, et li-

ber: 2 ut tantum tempus ad praescriptionem requisitum lapsum sit, ex quo praesumatur animus se abdicandi privilegio.

Privilegia mere gratiosa non tolluntur solo usu contrario; aliter sentiendum de privilegiis onerosis.

Ut praescribatur adversus privilegium negativum, requiritur decennium inter praesentes, vicennium inter absentes: si privilegiatus sit ecclesia, monasterium etc. 40 anni requiruntur.

Per abusum privilegium amittitur 1 per excessum, si quis utatur privilegio, illud ultro illius limites extendendo ad tempus, locum, materiam, vel personam non concessam, quo casu privari meretur, et de facto vel ex toto, vel ex parte; 2 sumendo ex illo occasionem delinquendi, quo ante sententiam declaratoriam criminis non privatur: 3 contra ejus indulti finem agendo, quo privilegium eo modo cessat, quomodo cessat finis, et fundamentum privilegii.

A concedente, vel hujus successore privilegium concessum non subdito, et ab hoc acceptatum, revocari nequit nisi ex causa publica.

Privilegium mere gratiosum subdito datum valide, sed non licite, nisi urgeat justa causa, revocari potest; remuneratorium, si ex justitia debetur, revocari nequit; si ex gratitudine solum irrevocabile adhuc est, nisi remuneratio sit excessiva.

Sive per pactum, aut contractum onerosum, vel per lucrativum tantum, sive per donationem privilegium subdito concessum sit, princeps revocare sine justa causa nequit.

Privilegia gratis concessa subdito revocare potest 1. concedens, etsi sit magistratus supremo principi inferior, nisi privilegium datum, sit a superiore confirmatum: 2. successor illius qui privilegium concessit: 3. superior concessum ab inferiore sed ex aliqua causa.

Revocari privilegia possunt expresse, vel tacite.

Expressa revocatio fit etiam per clausulam generalem; sed per eam non revocantur 1. privilegia in corpore juris contenta: 2. eo tenore expressa, ut revocari nequeant, nisi de iis specialis mentio fiat: 3. per modum contractus, vel in remunerationem meritorum concessa.

Tacita revocatio fit per actum principis directe contrarium privilegio, qui non potest subsistere sine derogatione privilegii prius concessi, dummodo ejus in principe praesumatur scientia.

Per actum contrarium privilegio derogatur 1. per legem universalem, etsi non abroget expresse privilegia, censentur tamen re-

vocata privilegia in jure communi contenta, non specialia, et extra jus commune:

2.° privilegio posteriore, quod contrarium est priori, hoc non tollitur, nec tacite revocatur, nisi hujus specialis mentio fiat; excipitur nisi prius privilegium sit insertum corpori juris communis; nisi prius sit generale, posterius speciale:

3.° si sententiam judex in judicio tulerit contrariam privilegio, qua scilicet reus condemnatur, non obstante privilegio, non revocatur privilegium, sed sententia potius supponit nullitatem privilegii.

Omnia et singula privilegia regularium ante *trid.* concessa, quae adversantur decretis contentis *in sess.* 25. *cit. regul.* sunt revocata.

Revocata 2. censentur illa privilegia etiam, quae ante trid. concessa sunt, et adversantur cuicumque ejusdem decreto, quod habet adjectam clausulam revocatoriam illorum.

Nonnuli DD. non improbabiliter docent per *trid.* revocata non esse etiam privilegia regularium, ante istud concessa, quae alicui ex decretis ejusdem *sess.* 25. vel priorum sessionum adversantur, non addita illorum clausula revocatoria, cons. his privilegiis valide, et licite uti posse regulares etiam in foro externo.

Vivae vocis oraculo concessa privilegia dicuntur illa, quae princeps oretenus duntaxat concessit, quamvis subinde, ut etiam pro foro externo probari possint, postea in scripturam redigantur: pro foro interno sunt ejusdem valoris, cujus sunt privilegia in scriptis concessa; pro externo insuper requiritur, ut testimonio authentico concessio illorum probetur.

Hodie omnia et singula privilegia vivae vocis oraculo concessa quibuscumque capitulis, ordinibus, vel personis eorum a quocumque tandem pont. usque ad Urb. VIII. pro foro utroque sunt revocata.

Privilegia, quae post Urbanum VIII. a successoribus pont. vivae vocis oraculo concessa sunt, constitutiones istius, et Gregorii XV. non afficiunt; hinc valent saltem pro foro conscientiae.

Revocatio privilegii vim suam et effectum habet cum fuerit sufficienter promulgata: si per legem contrariam revocatio fiat, sufficit hanc promulgari in curia, vel loco ad id constituto.

Revocatio privilegii facta ab homine seu privatim, effectum non habet, priusquam privilegiato specialiter intimetur, et insuper aliquo modo destinata per rescriptum, epistolam, vel nuntium ad id constitutum.

Digitized by Google

Exemptio est privilegium, quo persona, vel locus ab episcopi, vel alterius superioris ordinariam jurisdictionem habentis, potestate subtrahitur, et immediate subjicitur papae.

Triplex communiter dividitur exemptio, personalis, localis, et mixta.

Exemptorum aliqui dicuntur *nullius dioecesis*, qui habent speciale territorium, ac populum exemptum, ubi jurisdictionem quasi episcopalem exercent; alii dicuntur esse *in dioecesi*, non tamen de dioecesi, qui quidem quoad suas personas, vel particularem aliquem locum exempti sunt, certum autem populum aut territorium exemptum non habent, sed intra fines certae dioecesis sunt, sive episcopatus.

Alia est exemptio *tam in capite, quam in membris*, quando ultra locum principalem exemptum, sunt etiam ei annexae, et exemptae parochiae, vel capellae, beneficia: *in capite tantum* quando solum ipse locus principalis exemptus est.

A lege dioecesana religiosi et horum monasteria exempta sunt ex dispositione juris communis: *a lege jurisdictionali* exemptio iis competere caepit jure speciali.

Clerici, et religiosi exempti conveniendi sunt coram proprio praelato; qui in illos jurisdictionem quasi episcopalem habet.

Per privilegium exemptionis exempti omnino non subducuntur a jurisdictione episcopi, qui erga illos aliquando delegatam, et aliquando ordinariam jurisdictionem habet.

Regulares exempti subsunt episcopo tamquam ordinario 1. in omnibus quae sunt ordinis episcopalis: 2. in observatione festorum quae ab episcopo inducuntur, et censurarum ab eo promulgatarum: 3. in censura librorum etc.

Regulares subsunt episcopo tamquam sedis apostolicae delegato 1. quoad lectionem s. scripturae in monasterii habendam 2. quoad censuram monialium: 3. quoad electionem abbatissarum etc.

Si exemptus habeat privilegium personale, ratione ipsius delicti vel contractus, conveniri solum potest apud praelatum suum, etsi aliunde delinquerit, vel contraxerit; nisi sit vagus.

Si exemptus quis tantum sit ratione loci exempti ob privilegium locale, exemptio non egreditur locum, ratione cujus exemptus est, nisi exemptio sit specialiter concessa, etiam ratione delicti commissi, contractus initi, aut rei sitae extra locum exemptum, tunc enim coram ordinario loci conveniri non potest.

Exemptio acquiritur 1. *privilegio apostolico*, quo exempti immediate soli papae subjecti sunt: 2. *concessione episcopi*, saltem in limine fundationis ecclesiae, vel monasterii: 3. *sententia* contra episcopum pro monasterii vel ecclesiae exemptione lata, si

Digitized by Google

ab ea intra decennium appellatum non fuit, et sic illa transiit in rem judicatam: 4. praescriptione, annorum 40. maxime quoad membra non exempta, si caput exemptum.

Si exempti sint clerici alicujus ecclesiae, ipsa ecclesia exempta non est.

Cum exemptum est monasterium, vel ecclesia, capellae ipsi subjectae exemptae non sunt, nisi pleno jure monasterio sint subjectae.

Quando abbas ratione sui sit exemptus, monasterii membra, quibus ille praeest exempta non sunt: item exempta ecclesia, non hoc ipso exemptus est populus.

Exempta ecclesia, vel monasterio, exempti sunt etiam ejus clerici, vel religiosi.

Exemptus respectu certi loci, seu rei, exemptus non est respectu alterius loci, vel rei.

Exemptioni melius negatur renuntiari posse, etsi concessa pro sua tantum persona, sine licentia summi pontificis concedentis.

Privilegium exemptionis corpori juris insertum, allegans probari non tenetur.

Probatur exemptio 1. exhibitione instrumenti: 2. ex actis, vel scriptura authentica continente sententiam latam pro exemptione etc.

Tenor literarum apostolicarum, ut ex iis exemptio colligi, et probari possit, variis formulis explicatur 1. sufficit, si ejusmodi rescripto dicatur ecclesia aliqua, vel monasterium existere jure.

6.° Petri vel ad sedem apostolicam pertinere.

2.° Si dicatur, quod ecclesia talis ecclesiae romanae annuum censum solvat in signum, et indicium libertatis ab ea perceptae.

3.° Si aliqui a papa recipiantur in proprios, et speciales subjectos.

4.° Si ecclesia dicatur esse libera plena libertate, libertate romanae ecclesiae, vel ejus praerogativa speciali gaudere.

5.° Si caveatur ne episcopus ibi cathedram collocare etc. audeat.

Cognitio, et definitio litis inter episcopum dioecesanum, et praelatum inferiorem agitatae super exemptione istius, non ad episcopum sed ad pontificem pertinet.

Lite super exemptione mota, et pendente si fundatur *in praescriptione*, ordinarius jurisdictione sua uti propter assistentiam jurisdictionis potest, donec praescritio legitime probata sit.

Si fundatur exemptio in *privilegio*, et neuter sit in possessione, iterum ordinarius jurisdictione sua uti potest; si ipse possideat,

continuare poterit; si exemptionem allegans, supersedere tunc exercitio jurisdictionis debet.

Per privilegium concessum alicui monasterio exempto, ut fructus ecclesiae sibi subjectae suos faciat, et in usus suos convertat, ecclesia illa hoc ipso, non censetur eximi a jurisdictione ordinarii.

Purgatio est *ostensio innocentiae ab objecto crimine*, et duplex est canonica et vulgaris.

Purgatio *canonica* definitur ostensio innocentiae de objecto crimine, juxta praescriptum ss. canonum facta, quae olim fiebat 1. per judicium s. Crucis. 2. per juramentum: 3. per susceptionem sacramenti eucharistiae, aut celebrationem missae in testimonium innocentiae.

Hodie per ss. canones purgatio per juramentum suffecta est modus istius purgationis, qui sequitur 1. qui se purgare de crimine objecto vult, jurare de innocentia sua debet super sancta Dei evangelia.

2.° eamdem juramento per evangelia facto innocentiam testari debent compurgatores, a reo ad hoc assumpti.

3.° juramentum purgandi *veritatis* esse debet, compurgatorum sufficit, si *credulitatis* sit.

4.° in compurgatoribus, sufficit si jurent se credere, quod purgandus verum juraverit; purgandus, se innocentem esse ab imputato sibi crimine.

5.° antequam purgandus se hoc modo purget, si crimen, de quo infamatus est, tale sit, ut mereatur depositionem, suspendi ab officio debet, donec se purget legitime.

Infamatus de delicto quod plene probari non potest compelli licet ad purgandum se juramento proprio, et compurgatorum.

Purgatio indici potest a solo judice competente, alias minime valet, et effectu caret, ac si facta non fuisset.

Purgatio indicenda non est nisi personis, quarum famae, et existimationis integritas christiano populo est valde necessaria; neque discrimen faciendum an sint regulares, vel saeculares.

Homines viles et plebeji, de criminibus diffamati ad purgationem canonicam admitti non debent.

Cui purgatio indicta est ab episcopo, appellare ad superiorem potest si justam causam habeat.

Purgatio canonica indici potest super quocumque crimine, vel delicto non plene probato, imo quandoque super macula, defectu, aut impedimento.

Ut recte indicatur purgatio requiruntur sequentes circumstantiae

1.° purgandus debet prius esse publice diffamatus de crimine infamia facti non juris apud bonos et graves viros.

2.° suspiciones, praesumptiones, et indicia criminis debent esse verisimilia, non levia tantum, non ita gravia, ut ad torturam sufficiant, multo minus talia, quibus crimen, vel innocentia plene probetur.

3.° crimen non debet esse notorium:

4.° non est indicenda purgatio quando infamatus aut graviter suspectus convinci de crimine per idoneos accusatores, aut alias probationes potest.

Compurgatores dicuntur testes eorum, qui se purgant ab infamia criminis; debent esse 1. tolerati ab ecclesia, non condemnati in judicio propter crimen: 2. honestae personae, et fide dignae: vicinae illi, cujus purgatio petitur: 4. debent notam sibi habere vitam purgandi: 5. de jure comuni debent esse ejusdem ordinis cum purgando: 6. hodie compurgatores adhibendi sunt plures, vel pauciores ad arbitrium judicis spectata qualitate personae, gravitate criminis et infamiae: 7. compurgatores non sunt ita stricte examinandi sicut alii testes.

Effectus purgationis cononicae rite peractae sunt 1. absolutio a suspensione si inflicta ob crimen etc. fuit: 2. ab objecto crimine sine ulteriori mora absolvendus, innocens declarandus, et in pristinum statum restituendus est, qui se purgavit: 3. idem declaratur vir boni testimonii.

Qui rite paracta purgatione absolutus est, si post absolutionem secuta est nova criminis infamia, purgatus potest iterum accusari et innocentiae probatione deficiente, nova ipsi induci purgatio; si nova secuta non est, et accusatio praecessit, regulariter loquendo novae accusationi non amplius locus est.

Poena deficientis in purgatione est, nempe si reus vel jurare recuset, vel compurgatores nullos invenit, qui pro sua innocentia jurare velint pro convicto habetur, ut poena etiam criminis ordinaria a judice ecclesiastico puniri possit.

Purgatio vulgaris definitur quod sit *demonstratio innocentiae, vel criminis, vulgo tantum temere usurpata, et nullo modo approbata*: olim fiebat 1. per monomachiam; 2. per judicium ferri candentis: 3. per aquam ferventem: 4. per aquam frigidam: hodie omnia rejciuntur, ac recte reprobantur istiusmodi purgationis genera.

Licitus est ille purgandi modus, etsi periculosus, qui olim frequenter fuit usitatus per celebrationem missae, et sumptionem ss. eucharistiae.

Digitized by Google

Injuria generaliter accepta dicitur omne id, quod non jure fit; specialiter requirit culpam, et dicitur contumelia alicui dicta, vel facta dolo malo.
Actioni injuriarum obnoxii non sunt 1. infantes, furiosi, mentecapti, dormientes noctambuli : 2. ebrius accidentalis, non habitualis : 3. ludimoderati 4. magistratus si necessitate officii in delinquentem severius aliquid statuerit : 5. astrologi et phisiognonici si sint consulti: 6. qui contra testem in judicium tamquam infamem, et suspectum excipit, si exceptionem suam probet : 7. qui per jocum aut inconsiderantiam injuriosi aliquid dixerunt, aut fecerunt aliis.
Quando praesumitur aliquid dictum, vel factum animo injuriandi alios, hoc, si non aliunde, ex verbis aut factis colligendum.
Injuria solet et potest tribus modis inferri, scilicet verbo, scripto, facto.
Species injuriarum variae sunt 1. alia est injuria directe facta alicui, alia facta indirecte ratione modi, quo fit. 2. ratione circumstantiarum, et obiecti, in quo fit injuria, aliae pertinent ad laesionem corporis; quaedam ad laesionem dignitatis. 3. ratione excessus alia levis, alia atrox : 4. ratione modi, quo fit dividitur in realem, et verbalem.
Injuriam inferre potest omnis, et solus ille, qui doli capax est.
Injuriam pati possunt homines cujuscumque generis, et conditionis, etiam rationis usu destituti.
Injuriarum agere potest quando uni facta, censetur etiam alteri facta 1. pater ob injuriam filio in sua potestate constituto 2. dominus ob injuriam illatam servo, quando iste in illius negotio, aut servitio est occupatus: 4. episcopus ob injuriam illatam ecclesiae suae, vel clerico sibi subjecto; praelatus regularis ob factam monasterio vel monacho, aut religioso.
Injuria novitio illata, etiam ad monasterium vel abbatem jus agendi pertinet.
Ob injuriam illatam uxori agere potest maritus, non ita uxor ob illatam marito.
Nec frater, nec cognatus agere potest ob injuriam illatam fratri aut cognato.
Ex injuria duplex nascitur actio civilis et criminalis ; quarum una instructa, altera expirat.
In actione criminali poena arbitraria est, et de jure civili vel corporalis vel pecuniaria fisco applicanda : de jure canonico pro delicti gravitate etiam censura in reum fertur.
Actio ad palinodiam est personalis, civilis, rei persecutoria, per-

Digitized by Google

petua, qua injuriam verbalem passus agit adversus injuriantem ut dicta, seu dicteria famosa reclamet, atque injuste a se prolata judicialiter fateatur.

Causa actionis ad palinodiam injuria talis esse debet, qua fama et bona existimatio injuriati sit laesa: datur haec actio injuriato, et haeredibus illius adversus injuriantem, non istius haeredes.

Pro libellis famosis, poena infertur capitalis, si tale delictum imputatum sit capitale, alias exilium vel deportatio.

Is qui verum crimen alicui objecit, tenetur actione injuriarum, si ejus manifestatio reipublicae non interest; secus, et in judicio si crimen objiciatur, et legitime probetur, non tenetur; si extra judicium, plerique a poena immunem non esse existimant.

Qui retorsione utitur postquam ab aliquo injuriam passus est, si ad sui defensionem facit impunis est; si injuria inferenti crimen objiciatur, retorquens non excusatur.

Ut recte fiat retorsio tria requiruntur: 1. ut fiat animo se defendendi: 2. ut fiat incontinenti, nisi illata injuria esset absenti etc. 3. ut observetur moderamen justae et inculpatae tutelae.

De injuria conveniri valet, qui alteri convitium dixit, etsi salvo ipsius honoris et reverentia verba protulerit; et hoc procedit sive protestatio praecedat injuriam, sive sequatur.

Actio injuriarum tollitur 1. satisfactione: 2. retorsione, si injuria sit verbalis: 3. remissione vel expressa, vel tacita: 4. praescriptione annua 5. morte tam injuriati, quam injuriantis ante litem contestatam.

Damnum definiri potest *delictum*, *quo patrimonium vel res aliena dolo, vel culpa, sine ullo damnificantis lucro vel emolumento diminuitur.*

Causa efficiens hujus damni est solus homo; nam si a bruto datum sit, appellatur *pauperies*.

Damnum fieri potest dolo, culpa, et casu fortuito.

Damnum non lucrosum dolo, vel culpa datum vindicatur per actionem *legis aquiliae*, qua ad differentiam furti, aut rapinae damnificans honorem non perdit, et simplicem aestimationem restituit: tres casus excipiuntur 1. si quis alterius arbores clam exciderit, et hic in duplum convenitur damnum afferens: 2. si damnum illatum sit dolo, hominibus per vim coactis; quo in quadruplum civiliter: 3. si quis tempore calamitoso dolo malidamnum aliis dederit ut in naufragio, ruina etc., quo in quadruplum intra annum condemnatur.

Legis aquiliae actio triplex est, directa, utilis, et in factum: do

recta, quae provenit ex verbis, et sententia legis Aqu. utilis quae oritur ex mente, et ratione legis: subsidiaria in factum, quae ex sola prudentum interp. ob aequitatem introducta, et recepta fuit.

Actio legis aquiliae conceditur illi solum, cujus interest propter jus in re, non ad rem, damnum non fuisse datum.

Datur contra damnificantem, sive per se ipsum damnum dederit, sive mandato ejus; in ejus haeredes, si defunctus damnum dolo dedit, aut culpa theologica, putatur dari: alias si per culpam tantum juridicam.

Per actionem aquiliam petitur 1. reparatio damni de jure moderno secundum aestimationem in statu praesenti: peti potest damnum emergens, et lucrum cessans: expensae etiam litis, et si quae aliae ob laesionem injustam factae sunt.

Ut competat damnificato actio ex lege Aquilia requiritur 1. ut res alterius deterioretur, aut omnino destruatur: ut res corrupta, vel deteriorata sit dolo, vel culpa, etiam levissima.

Actione legis aquiliae conveniri nequit ille, qui culpa levissima damnum dedit, quem natura contractus a praestatione culpae levissimae eximit.

Restitutione damni dati immunes sunt, in quos dolus, vel culpa ob defectum rationis cadere non potest.

Nemo obligatur ad compensandum damnum casu mere fortuito datum, nisi ita conventum fuerit.

Nemo per se obligatur ad refusionem damni, quando prius omnis diligentia in eo praecavendo adhibita est.

Obligatio non est compensandi damnum, quod in bello justo, vel necessariae defensionis causa adversario infertur, dummodo moderaminis inculpatae tutelae termini non excedantur.

Per se loquendo in foro tam interno, quam externo datur obligatio reparandi damnum, quod dolo, aut culpa lata juridica datum est.

In foro externo reparationem damni per culpam mere juridicam dati imponitur, et hoc extenditur 1. ad eum etiam, qui etsi damnum ipse non dederit, ut hoc daretur tamen mandavit 2. ad eum, qui opem, vel auxilium, ut damnum tale daretur, tulit: ad eum, qui causam dedit propinquam damni: 4. etiam cum per servum alicujus, vel animal est damnum alteri factum.

In praxi prior, et in jure etiam probabilior sententia est obligationem resarciendi damnum ex culpa mere juridica datum non contrahi in foro interno.

Sententia communis est, post sententiam judicis obligationem dari etiam in conscientia ad compensandum damnum eiam datum culpa mere juridica.

Conveniri potest aliquis ex damno sine vera et propria culpa dato: 1. *judex* per errorem, et imprudentiam male judicans, tenetur actione in factum, praestare illi tantum, quantum superiori judici aequum visum fuit.

1.° *Paterf: vel alius habitator* ex cujus aedibus projectum, vel effusum aliquid est, quod transeuntium personis, vestibus, aut rebus damnum intulit conveniri potest actione dejecti, effusi.

Caupo, vel rector navis tenentur, si in navi, caupona, vel stabulo ejusdem per famulos, aut inquilinos vectoribus, et viatoribus per furtum, vel aliud maleficium damnum illatum sit, quamquam conscii, aut participes nullo modo sint, actione in factum conveniuntur, ut praestent duplum ejus, quod actori ex damno ipsi facto abest.

4.° *Dominus*, cujus servus alteri damnum, vel quadrupes pauperiem h. e. nocumentum intulit tenetur actione noxali, si servus damnum intulit; quadrupedaria si animal.

Repressaliae latine *pignorationes* sunt quando una persona vel res ejus pro delicto, aut debito alterius capitur: generaliter sunt illicitae, nec per consuetudinem licitae fieri possunt.

Ut repressaliae fiant licitae requiritur 1. authoritas principis: 2. justa causa concedendi: recta intentio illius, cui conceduntur: 4.° ut non excedant damnum illatum: 5. ut princeps vel respublica adversus quem repressaliae inducuntur, prius moneatur, et post monitionem neglexerit compensationem facere, vel imperare.

Contra ecclesiasticos, vel bona eorum concedi repressaliae nequeunt; similiter contra scholares.

Poena est delictorum sive criminum coercitio, sive vindicta, inducta ad disciplinae publicae emendationem.

Ut justa sit coercitio requiritur 1. honestus finis: 2. authoritas publica 3. proportio, et aequalitas.

Poena vindicativa est, quae ad vindictam publicam, civilis quae ad satisfactionem privatam tendit, et haec triplex est legalis, judicialis, conventionalis.

Si poena conventionalis individua est, solvi integra debebit; etiamsi contractus ex parte sit observatus; si dividua, et contractus sit observatus ex parte notabili, alter qui observavit con-

Digitized by Google

tractum, integrum petere potest dummodo sit moderata: si in minima, aequitas postulat, ut integra poena non exigatur.

Poena vindicativa multiplex est; dividitur 1. in personalem, et realem, 2. in ordinariam, et extraordinariam: 3. in positivam, et negativam: 4. in capitalem, et non capitalem: 5. poenae non capitales aliae afficiunt animum, aliae bona delinquentis.

Subjectum poenae est homo vivens, et delinquens: excipitur 1. si poena sit pecuniaria, quae aliquando ab heredibus delinquentis est praestanda. 2: crimen repetundarum, et perduellionis nam ob ista delinquentium bona etiam post mortem eorum confiscantur: 3. haeretici, excommunicati, et aliorum quorumdam delictorum rei, quibus mortuis, nisi se Deo, et ecclesiae antea reconciliaverint, negatur sepoltura ecclesiastica.

Delinquens toties est puniendus, quoties iterat delictum.

Judex in infligenda poena maxime considerabit circumstantias et 1 qualitatem delicti: 2 tempus, locum, et eventum: 3 qualitatem personae delinquentis: 4 quantitatem damni illati, et deliberationem, qua delictum commissum est: 5 quantitatem certitudinis qua delinquentem paenae obnoxium esse constat: 6. denique suam ipse personam spectare judex in poena inferenda debet.

Judex loco poenae ordinariae extraordinariam decernere, vel omnino remittere ipsam nequit.

Supremus princeps, vel status imperii jus aggratiandi exercere possunt in illis etiam delictis, quibus in lege divina veteris testamenti poena capitalis praefixa est.

A judice inferiore, cui jus aggratiandi non competit, per se loquendo, res convictis de crimine legitime poena ordinaria est infligenda.

Judex poenam augere ob circumstantias gravantes potest, quae sunt 1. locus delicti; 2. tempus; 3. persona contra quem delinquitur: 4. ratio delicti.

Potest judex aliquando poenam lege costitutam minuere, si circumstantiae diminutionem suadeant; tales sunt 1. si delictum ex subitanea rixa, ebrietate, justo dolore etc. commissum est: 2. quando quis delinquit ex instinctu, et jussu alterius magis, quam motu proprio: 3. infirmitas animi: 4. infirmitas corporis: 5. spontanea rei confessio: 6. diuturnitas temporis: 7. prolongatio carceris etc.

In mitigandis, vel aggravandis poenis praecipue considerare judex consuetudinem delinquendi debet.

Inter DD. convenit: qui delictum commisit, cui ipso jure inflicta

est poena excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, statim a communione fidelium, administratione beneficii, vel officii etc. abstinere tenetur.

Convenit 2. ante omnem sententiam observandas esse varias irregularitates, et inhabilitates ad suscipiendos vel exercendos ss. ordines, ad obtinenda beneficia ecclesiastica etc.

Casu quo lex ipso jure imponit publicationem bonorum, reus ante sententiam declaratoriam statim omittit bonorum illorum dominium etsi qui negent non desint: idem dicitur, cum delicto jure ipso imposita est poena privationis beneficii jam obtenti.

Post latam sententiam delinquens si poena sit capitalis, aut mutilatio etc. non obligari potest ad eam sibi ipsi inferendam: si poena sit carcer diuturnus, vel exilium, tenetur reus ad eam condemnatus illam in seipso exequi, si ad illam executionem condemnetur sententia ultima: Si poena sit pecuniaria, ex communi sententia obligatur reus illam solvere, postquam ad hoc per sententiam condemnatus est.

Irregularitas definitur *impedimentum canonicum primo, et per se impediens* ordinis susceptionem, et secundario illius usum

Differt irregularitas ab excommunicatione, suspensione, interdicto, depositione, degradatione.

Irregularitas tripliciter dividi solet 1. in eam, quae provenit ex delicto, et in eam quae provenit ex alio defectu: 2. in totalem, et partialem: 3. in perpetuam, et temporalem.

Solus pontifex irregularitatem infligere potest, et in virum tantum qui sit baptizatus, et subjectus alicujus jurisdictioni.

Ex delicto irregulares sunt 1. iterantes baptismum: 2. suscipientes furtive ordinem: 2. ministrantes in ordine non suscepto etc.

Ex defectu animi irregulares sunt amentes, infantes, phrenetici: 2. ex defectu corporis hermaphroditi, carentes requisita aetate ad ordines 3. ex defectu natalium illegitimi: 4. ex defectu sacramenti bigami; 5. ex defectu libertatis servi: 6. ex defectu lenitatis concurrentes ad supplicium capitis etc.

Delictum ob quod incurritur irregularitas non debet esse commissum solo actu interno: 2. actus externus debet esse consummatus, et perfectus secundum proprietatem verborum canonis irregularitatem inducentis: 3. actus iste debet esse delictum saltem ex objecto, et materia gravis.

In causa dubia, post adhibitam diligentiam debitam, si adhuc quis haereat, an incurrerit irregularitatem, omissis aliis, probabilior sententia est, *in dubio juris*, ita dubitans nullo modo irregularem reputare se debere: si vero *dubium sit facti*,

Digitized by Google

in dubio *facti homicidii*, judicare se irregularem debere non absolute sed quoad effectum abstinendi a celebratione etc. si dubium facti incidat in aliis materiis extra causam homicidii, neminem esse irregularem censendum.

Irregularitatis effectus sunt 1. privatio ordinis suscipiendi liciti: 2. privatio beneficiorum consequendorum; 3. privatio beneficiorum ante irregularitatem acquisitorum.

Irregularitas facit, ne licite suscipi ordo valeat ab irregulari, nam valide potest.

Irregularis non potest licite accipere beneficium, saltem si irregularitas sit absoluta, et totalis.

Probabilis est sententia, validam, et non irritam esse beneficii collationem, quae facta est irregulari absolute, vel tali qui functiones beneficii exercere licite nequeat.

Irregularitas ipso jure non privat beneficiis ante irregularitatem obtentis.

In jure privatio pensionum irregulari inflicta non est, sed decernenda relinquitur arbitrio judicis, spectata delicti qualitate.

Irregularis si munera beneficii sui per se, vel per alium exercuit non privatur beneficii fructibus, nec venit privandus per sententiam.

Jurisdictio fori externi, et aliae functiones, quae irregulari specialiter non prohibentur, ab eodem exerceri possunt.

Ab irregularitate excusatur omnis ille, qui excusatur a peccato mortali.

Probabilius ab irregularitate excusatur, qui ignoravit, quod delictum quod commisit, lege ecclesiastica specialiter sit prohibitum.

Communis sententia est, irregularitatem incurrere, qui quidem sciat delictum suum esse speciali lege ecclesiastica prohibitum, probabiliter tamen ignorat irregularitatem eidem annexam, etsi contraria sententia adhuc probabilis sit.

Professio religiosa relaxat irregularitatem, quae oritur ex defectu natalium, in ordine ad suscipiendos ordines, quae tamen perseverat in ita professo quoad dignitates, et praelaturas.

Dispensando, irregularitas, a summo pontifice relaxari potest.

Episcopus tum solum in irregularitate dispensare potest; quando hoc ipsi concessum est.

Ut episcopus in irregularitate dispensare possit, requiritur: 1. ut irregularitas proveniat ex delicto occulto, et nondum deducto ad forum contentiosum: 2. ut is, quocum in irregularitate di-

spensare vult episcopus, sit ejus subditus: 3. ut episcopus dispenset in sua dioecesi.

Nomine episcopi hoc loco veniunt qui principaliter in subditos ordinariam jurisdictionem habent: capitulum sede vacante: abbates et alii praelati propriam dioecesim habentes: etiam delegati ad hoc ab episcopo, ut dispensent.

Circa relaxationem irregularitatis advertenda sunt: 1. si plures sint irregularitates, de quibus impetranda sit dispensatio, necessarium est mentionem facere illarum, quae sunt ob diversa delicta contractae.

2. Quando in privilegio, vel potestate dispensandi in irregularitatibus, data religionibus, vel episcopis, sit aliqua exceptio, ea stricte est interpretanda.

3. Si episcopus vel praelatus conscius irregularitatis, in qua dispensare potest, admittat irregularem ad ordines, vel beneficium, censendus est cum illo dispensasse, sed pro foro conscientiae tantum.

4. Dispensatus ad ordines etiam a pontifice, non hoc ipso censetur dispensatus ad beneficia curata, dignitates, et praelaturas.

5. Dispensatus ad ordines, si minores nondum habet, censeri debet dispensatus ad istos solos: si vero minoribus susceptis, dispensatio haec superveniat, intelligi debet facta pro majoribus.

Privatio beneficii induci potest ipso jure, et per sententiam condemnatoriam.

Effectus privationis ipso jure inductae, sunt: 1. ipso facto criminis perpetrati amittitur titulus, seu proprietas beneficii: 2. ita privatus tenetur restituere fructus a die comissi criminis, ex beneficio provenientes: 3. beneficium illud permutare, et in favorem alterius resignare nequit si moriatur, impetrare beneficium illius ab alio potest, tamquam vacans ex delicto, non per mortem.

Per sententiam condemnatoriam judicis inducitur solum privatio tituli a tempore latae sententiae.

Poenae privationis beneficii ante crimen obtenti locus est dumtaxat in casibus jure expressis.

Secunda poena inter poenas ecclesiae spirituales est *depositio*, quae alia solemnis, alia simplex est.

Depositio simplex inducit etiam inhabilitatem ad alia beneficia obtinenda, ad differentiam privationis tantum beneficii.

Depositio natura sua perpetua est, ad differentiam suspensionis, quae

etsi aliquando perpetua, a beneficii fructibus, officii, administrationis usu tantum removet.

Depositus retinet privilegia canonis, et fori, nisi horum privilegiorum ademptio in sententiam exprimatur.

Antiquo jure depositionis poena vindicabantur homicidium, furtum perjurium, adulterium, et his majora: nostro tempore haec poena infligi non solet, nisi reis criminum, valdo enormium.

Episcopus cum clericis ob adulterium, et crimina eo non graviora depositis, post peractam poenitentiam dispensare, eosque in pristinum statum restituere valet.

Tertia poena ecclesiastica est *degradatio*, qua clericus ob criminis atrocitatem, vel incorrigibilitatem solemniter, et authentice privatur ordine, beneficio, officio, et statu clericali: alia est *verbalis*, alia *realis*.

Degradatio verbalis discriminat a reali, hac enim clericus privatur privilegio canonis, et fori, secus verbali: a solo episcopo consecrato fieri potest degradatio realis; confirmato etiam solum verbalis per se, vel per alium: actualiter depositus per solum papam restitui potest: verbaliter per episcopum, sed non per alium inferiorem.

Neutra degradatione tollitur clerico potestas ordinis.

Si degradandus sit episcopus vel religiosus exemptus, secluso privilegio, degradatio verbalis fieri potest a solo papa.

Crimina, propter quae infligi degradatio verbalis potest, varia sunt 1. haeresis manifesta, et multo magis apostasia: 2. falsificatio literarum apostolicarum; 3. contumelia gravis, calumnia, crimen insidiarum, et cospirationis in episcopum: 4. assassinium: 5. sodomia frequentata: 6. celebratio missarum, et auditio confessionum sacramentalium temere praesumpta ab eo, qui sacro presbyteratus ordine non est initiatus: 7. fabricatio, et adulteratio monetae, aut ejus adulteratae erogatio, vel expositio in reguis provinciis, et civitatibus Italiae: 8. adulterium, concubinatus perseverans, simonia notoria, stuprum, incestus furtum, perjurium, homicidium, et alia crimina gravia, quae irregularitatem inducunt.

Degradatio fieri debet a proprio episcopo, eoque consecrato; in ecclesia vel alio loco sacro assistentibus aliis episcopis, vel abbatibus, et adhibita solemnitate *in cap. dngradatio* 2. *l. de poenis in pontificali romano* praescripta.

Spectato jure communi, non potest clericus ob crimen quantumcumque grave, nisi in casibus jure expressis, curiae saeculari tradi, quamdiu incorrigibilis declaratus non est.

Digitized by Google

Judex saecularis de justitia condemnationis ad degradationem clerici cognoscere nequit.

In clerico reo criminis mixti fori et degradato, et curiae saeculari tradito, judex saecularis non tenetur stare processu judicis ecclesiastici; secus, si ab hoc, clericus condamnatus sit ob merum crimen ecclesiasticum.

Clericus realiter degradatus a judice saeculari sine ullo excommunicationis periculo torqueri potest.

Inter poenas ecclesiae temporales, quae animum afficit praecipua est infamia, quae definitur *laesio seu diminutio ob publicam sinistramque de persona opinionem ortam ex vitio:* alia est *juris,* alia *facti.*

Infamia juris, quae authoritate legis, vel canonis ob turpe factum decernitur; facti, quae ex ipsa turpitudine manifesta inhonesti operis, vel defectus ab hominum probitate profluit.

Contrahitur infamia juris, ipso jure, sententia judicis, et genere poenae.

Effectus infamiae sive juris sive facti sunt, 1. excluduntur a dignitatibus, et honoribus: 2. removentur ab actibus legitimis, et publicis muneribus: 3. sunt irregulares, ut neque promoveri ad ordines, neque in susceptis ministrare possint.

Infamia solius facti tollitur facto contrario, sive publica, et constanti emendatione, saltem si haec per triennium continuata sit: contra infamia juris durat perpetuo, nisi a principe cujus authoritate imposita est, aboleatur.

Si princeps, vel magistratus saecularis aboleat infamiam, jure civili, etiam a ss. canonibus generaliter recepto, indictam, irregularitas in ea fundata omnino cessat: secus si specialiter infamia sit inducta per jus canonicum, quo opus est dispensatione apostolica.

Infamiam actione injuriarum civiliter conventus declinare potest 1. si authoritate judicis ante sententiam transigat cum injuriam passo 2. si per procuratorem stet in judicio, et in procuratorem feratur sententia: 3. si judex in sententia famam, et honorem reservet.

Secunda poena temporalis in ecclesia usitata, est *multa pecuniaria.*

Etiam poenam pecuniariam, per se loquendo, infligi dicendum a judicibus ecclesiasticis, hancque irrogari posse non clericis tantum, sed etiam laicis, quando crimen est mixti fori.

Mulctae pecuniariae hodie post trid. piis locis tantum, et causis ibi, ubi commissum delictum est existentibus applicari debent,

Digitized by Google

adeo ut ne quidem merces vivarii, aut officialium inde desumi debent.

Tertia poena est *incarceratio*, quae a judicibus ecclesiasticis custodiae causa contra clericos decerni potest, quando de fuga suspecti sunt.

De jure ecclesiastico clericus incarcerari etiam poenae causa potest, et haec poena exasperari inclusis potest pro delicti qualitate.

Tortura subiici clerici, etiam in majoribus ordinibus constituti possunt.

Quinta poena *confiscatio bonorum*.

Bona clericorum fisco addicta vel per sententiam, vel per legem, si ecclesiastica sunt, cedunt ecclesiae a qua receperunt stipendia: si diversis ecclesiis serviunt, inter has dividuntur: si nulli ecclesiae bona illorum perveniunt ad discum ecclesiae, sive episcopi impios usus distribuenda.

Sexta poena erat *detrusio in arctum monasterium*, quae hodie in desuetudinem abiit.

Septima *verberatio* seu *flagellatio*, qua cavendum, ut citra mortis aut mutilationis periculum verbera infligantur, ne in vindictam sanguinis transire videantur.

Octava *exilium*, sive *relegatio*, quam decernere judex ecclesiasticus potest: episcopus extra suam dioecesim, archiepiscopus vero ex tota sua provincia relegare in exilium potest.

Poenae in foro civili aliae sunt *capitales*, ut poena mortis, proscriptio, privatio vitae civilis, quae hodie consistit damnatione ad triremes.

Non capitales aliae sunt corporales, aliae animi, aliae pecuniariae: corporales inustio stigmatum, exoculatio, amputatio manus etc. fustigatio, expositio ad pastellum, relegatio, incarceratio, quarum poenarum in desuetudinem nonnullae abierunt.

Ad poenas animi pertinet infamia, qua fama, et bona existimatio apud homines aufertur.

Poenae pecuniariae hodie prae caeteris usitatae sunt, et huc spectat confiscatio, quae jure novissimo rarior est propter novell. 134. c. 13.

Poenitentia est sacramentum reconciliationis cum Deo post lapsum personalem, institutum per modum judicii: hoc Sacramentum institutum est a Christo.

Minister hujus sacramenti poenitentiae est solus Sacerdos.

Peccati mortalis reus ex praecepto divino ad sacramenti istius usum obligatur saltem in articulo, seu probabili periculo mortis undecumque, etiam judicis imminentis.

Digitized by Google

Confessionis annuae praecepto tenentur fideles omnes etiam pueri, si peccati mortalis sibi sint conscii.

Jure non scripto per consuetudinem perantiquam videtur confessioni annuae determinatum tempus paschale, quo accedendum est ad s. communionem.

Confessionis annuae praecepto non satisfit per confessionem invalidam.

Negligentes confessionem annuam arcentur ab ingressu ecclesiae vivi, et mortui a sepoltura ecclesiastica, sed haec poena est ferendae sententiae.

Potestas approbandi sacerdotes ad excipiendas confessiones poenitentium saecularium de jure competit episcopo, aliisque praelatis jurisdictionem quasi episcopalem exercentibus, capitulo sede vacante, et utriusque vicario generali: ad confessiones regularium excipiendas, sufficit approbatio, et licentia superioris confitentium regularis.

Approbatio episcopalis necessaria est etiam sacerdotibus, qui gradu doctoratus, vel licentiae in Ss. theologia, vel jure canonico insigniti sunt.

Approbatio facienda est ab episcopo, cui subest confessarius exposcens approbationem.

Ab episcopo solet et potest approbatio concedi ad audiendas confessiones tripliciter, 1 actuali collatione beneficii parochialis: 2 authentica declaratione idoneitatis, facto praevio examine. 3. deputatione sacerdotis vel in genere ad sacramentorum, vel in specie ad sacramenti poenitentiae administrrtionem ab episcopo etiam sine praevio examine facta.

Episcopus approbationem, nulla ad examen admissione facta, Sacerdoti serio eam potenti, negare ex justa causa potest; secus nequit.

Approbatio petita, si ab episcopo injuste denegetur, non sufficit, si injustitia denegationis, non sit manifesta: idem dicendum quando idoneitas personae approbationem potentis est manifesta.

Ab episcopo approbatio restringi valet ad certum tempus, locum, vel personas.

Absolutio collata a sacerdote, quem episcopus idoneus judicavit, cum reipsa non esset; valet si poenitenti rite disposito cum debita intentione et adhibita absolutionis forma collata est.

Approbatio semel data ab episcopo, vel ejus successore revocare potest nisi data sit cum beneficio parochiali, vel curato.

Jurisdictio fori conscentiae alia ordinaria, alia delegata est.

In articulo mortis absolvere nequit sacerdos simplex praesente pro-

prio parocho, vel privilegiato, et excommunicatus vitandus praesente non excommunicato.

Reservatio casuum est actus, quo superior alicui inferiori vel non concedit jurisdictionem in aliqua peccata, vel jam antea concessam eidem iterum aufert.

Potestas reservandi peccata competit solis iis, qui potestetem habent conferendi jurisdictionem ordinariam, vel delegatam.

A casibus reservatis in articulo mortis absolvere quivis Sacerdos potest.

In casibus episcopalibus solet ab episcopo potestas solvendi committi vicario ipsius generali, et poenitentiario in Spiritualibus, frequenter etiam decanis ruralibus, et parochis.

Qui in dioecesi habet potestatem absolvendi a reservatis, eam exercere valet in advenas, et peregrinos.

Nomine sigilli sacramentalis venit obligatio non relevandi peccata, quorum notitia habetur, ex sola confessione sacramentali, nisi hoc poenitens ipse concedat.

Notitia peccati in confessione accepta uti non licet in gubernatione, aliisque actibus externis, concernentibus poenitentem.

Poena sacerdotis violantis sigillum est depositio ab omni officio sacerdotali.

Communi jure spectato judex competens in causa fracti sigilli est tantum ecclesiasticus.

Adversus violatorem sacri sigilli procedere judex ecclesiasticus potest etiam sine poenitentis licentia.

Ut procedi possit adversus violatorem sigilli probatio necessaria est ita, ut negante sacerdote confessario, probatio incumbit accusanti, vel denuntianti.

Poenitentia alia est publica, alia privata; publica, alia solemnis, alia non solemnis.

Pro peccatis publicis, et manifestis poenitentia publica est imponenda.

Occisor praesbyteri hodie incurrit ipso facto excommunicationem majorem, et irregularitatem; alias poenas antiquitus, quibus jam derogatum est.

Mulier, quae prolem ex adulterio suscepit, vel aliorum partum sibi supposuit inscio marito non tenetur ad manifestandum cum vitae aut etiam infamiae gravis periculo: sed in nonnullis casibus tenetur, praesertim si corporis periculum, aut vitae evadere queat.

Adultera, vel quae partum supposuit, si bona propria habet ex quibus marito, et aliis ejus liberis, vel haeredibus damnum compensare valet, hoc casu sufficiet si tantum de suo legitimis

haeredibus donet, vel relinquat, quantum spuriae vel suppositiae proli ex bonis mariti accedit; nec tenebatur manifestare suum crimen: si talia bona non habet, et potest proli spuriae; aut suppositiae probare suum crimen, et speret, se ab hac obtenturam fidem, et secretum, et hoc casu tenetur proli spuriae vel suppositiae crimen aperire, et suadere ut haereditati renuntiet vel clericalem, aut religiosum statum suscipiat; si nec bona habet, nec fidem sperare poterit manifestando suum crimen, rectius silebit, et dolebit de peccato, cum proposito satisfaciendi, cum primum poterit.

Si adulter ex assertione adulterae, vel aliis rationabiliter sibi suadeat, aut persuadere debet prolem ex se esse genitam, in coscientia obligatur ex justitia, cum hoc potest, restitutionem in primis facere patri putatitio pro expensis, quas ille fecit ad alendam, vel dotandam prolem non suam, deinde compensare tenetur damnum quod per hoc factum est reliquis ejusdem liberis, aut haeredibus legitimis per intrusi illegitimi successionem.

Si adulter dubitet an proles ex se, an ex marito sit genita variant DD.

Nomine indulgentiae accipitur relaxatio poenae temporalis pro peccatis actualibus remissis debitae, per applicationem meritorum Christi, et sanctorum: alia indulgentia est plenaria, alia partialis, aliae dantur pro *vivis*, aliae pro *defunctis*, denique alia personalis, realis, et localis.

Ex plenitudine potestatis summus pontifex concedere potest indulgentias cujusque generis.

Indulgentias dare nequeunt 1. parochi: 2. capitulum sede vacante: 3. vicarius generalis: 4. praelati saeculares episcopo inferiores 5. praelati, abbates et alii superiores regulares, nisi ut saeculares praelati privilegio a papa concesso muniti sint.

Summus pontifex illimitatas concedere indulgentias potest, sed ex justa causa.

Episcopis, et Archiepiscopis limitata potestas est 1. quoad quantitatem indulgentiae, nam partiales tantum, et ad certum tempus concedere possunt: quoad locum, nam episcopus dare indulgentias solum potest pro sua dioecesi, archiepiscopus per totam suam provinciam.

Facultas concedendi indulgentias obtineri etiam consuetudine tenetur.

Invalida est indulgentiae concessio sine causa facta etiam a papa.

Ad lucrandas indulgentias requiritur 1. ut lucrans sit baptizatus 2.

ut non sit ligatus excommunicatione majori: 3. ut in gratia Deo sit constitutus tempore consecutionis: 4. ut impleatur totum opus indulgentiis lucrandis praescriptum.

Sicut indulgentiarum concessio, et inchoatio, ita et duratio ac cessatio a voluntate concedentis pendet.

Jubilaeum est indulgentia plenaria a summo pontifice concessa visitantibus certas ecclesias, vel certa pia opera peragentibus cum facultate absolvendi a casibus reservatis, et a censuris, vota commutandi etc.

Tempore Jubilaei confessarius a poenitente electus potest absolvere a censuris, et a peccatis omnibus, etiam ordinario et ipsi papae reservatis, nonnullis casibus exceptis; potest commutare vota, etiam juramento roborata cum aliqua exceptione: et opera, quae in jubilaeo praescripta sunt commutare in alia pia opera etc.

Jubilaeum solus pontifex concedere potest.

Pro lucrandis indulgentiis jubilaei sex praescribuntur 1. visitatio ecclesiarum praescriptarum: 2. oratio vocalis et devota ad intentionem papae: 3. confessio: 4. sacra commuuio: 5. jejunium tribus diebus 6. largitio eleemosinae, quo nomine venit praestatio in cujuscumque operis ex septem misericordiae corporalis.

Securius est opera in jubilaeo praescripta peragenda esse omnia in una eademque hebdomada, sed ex rationabili causa dividi possunt.

Securius est omnia opera peragi debere in uno eodemque loco, sed partem operum in alio potest etiam impleri.

Qui in prima hebdomada omnia opera praescripta rite peregit, si in secunda commisit peccatum reservatum, aut votum aliquod edidit, in hac secunda hebdomada ab illo absolvi, et in hoc dispensari potest.

A reservatis absolvi, et in votis dispensari potest ille, qui opera praescripta in jubilaeo nondum peregit, si habeat animum lucrandi indulgentias jubilaei.

Tempore jubilaei suspenduntur tantum indulgentiae plenariae, non partiales: excipiuntur ex plenariis 1. quae concessae sunt ecclesiis, et basilicis urbis romanae, etiam extra illius moenia sitis: 2. indulgentiae s. domus lauretanae: 3. indulgentiae concessae per bullam cruciatae: 4. concessae pro defunctis, saltem quae extra jubilaeum applicari nequeunt vivis 5. concessae in articulo mortis.

Digitized by Google

Tempore jubilaei suspenduntur omnes facultates, et indulta quaecumque, quae causa indulgentiae plenariae quaerendae, concessa sunt.

Indulgentiarum, et facultatum suspensio inchoatur ab ipsa aperitione portae sanctae, et durat usque ad ejus reclusionem.

Censura stricte sumpta definitur *poena spiritualis, seu ecclesiastica, qua potestas ecclesiastica exterior fideles suos delinquentes, et contumaces bonorum quorumdam spiritualium usu privat ad eorum correctionem.*

Censura triplex est; excommunicatio, suspensio, et interdictum; alia dicitur inflicta a jure, alia ab homine, alia latae sententiae, alia ferendae.

Quando dubitatur an censura sit latae, an ferendae sententiae censenda est ferendae.

Potestas ferendi censuras in ecclesia datur.

Potestate ordinaria ferre censuras potest 1. summus pontifex respectu totius ecclesiae: 2. episcopus, et archiepiscopus in sua dioecesi quoad sibi subditos: 3. cardinales in ecclesiis sui tituli 4. legati a latere in provincia suae legationis: 5. capitulum sede episcopali vacante, hujusque, vel episcopi, vel archiepiscopi vicarius generalis si praelati, praepositi etc. 7. abbates, priores, etc.

Potestate delegata censuras ferre possunt omnes illi, quibus potestatem ordinariam habentes illam commiserint, sed varia requiruntur.

Potestas ferendi censuras, saltem de plenitudine potestatis pontificiae delegari probabilius potest foeminae.

Potestas acquiri potest consuetudine vel praescriptione.

Ex parte ferentis censuram, ut ferre eamdem possit, requiritur 1. potestas ordinaria, vel delegata: 2. ut censura imponatur voluntarie, et humano modo: 3. ferens censuram debet existere intra proprium territorium: 4. ut juste, et licite quis ferat censuras, non debet esse ligatus censura: 5. censuram debet praecedere monitio, saltem quoad ligamen.

Monitio, ut licite feratur censura debet esse 1. trina, vel una tribus aequivalens: 2. debet fieri in scriptis, quae continere debent causam, pro qua censura imponitur, et tradi reo, qui de illa testari possint.

Ad censurae legitimam probationem exigitur monitio praevia tunc solum quando infligitur per sententiam specialem, et ut vera censura.

Digitized by Google

Praevia monitione opus non est, quando infligetur ut poena vindicativa; 2. quando censura a iure vel per sententiam generalem pro futuris culpis lata est: 3. quando delictum, et ipsa etiam delinquentis non resipiscentis contumacia publica, et notoria.

Judex potest absque monitione praevia declarare et denuntiare aliquem tamquam ligatum censura, modo delictum publicum, et notorium sit, neque delinquens ejusdem poenituerit.

Censura ferri potest solum in fideles baptizatos rationis, et doli capaces.

Incapaces sunt 1. creaturae irrationales: 2. pagani, et judaei, etsi cathecumeni: 3. infantes, furiosi, et alii usu rationis carentes 4. mortui 5. qui jurisdictioni ordinariae, vel delegatae ferentis censuram subjecti non sunt.

Censurae latae a jure impuberes rationis compotes capaces sunt; directe in impuberes censura ferri ab homine non solet.

Censura excommunicationis communitas ligari nequit, sed tantum illi de communitate qui specialiter sunt culpabiles, nisi omnes et singuli sint rhei, et in contumacia persistant.

Censura suspensionis potest communitas ligari.

Interdictum, si generale sit, obstringit integram communitatem, et etiam in illa innocentes.

Si aliqua prohibitio facta sit per statutum territoriale, censura in delinquentes lata non afficit existentes extra territorium statuentis censuram.

Ob diversas causas potest aliquis diversis censuris ejusdem rationis ligari.

Censura non potest ferri nisi ob culpam, quae censurae proportionata esse debet.

Ob culpam venialem excommunicatio major, suspensio, et interdictum injungi non potest.

Verius est actum pure internum ad censuram incurrendam non sufficere.

Asseritur infligi non posse censuram ob peccatum mere praeteritum, sive quod omnino cessat, et cum inobedientia, vel contumacia praesente non est conjunctum.

Probabilius est, censuram, quae lata est adversus committentem aliquod crimen, non afficere mandantem, vel consulentem, nisi in lege, vel praecepto hoc exprimatur.

Si mandans, vel consulens mandatum, vel consilium suum ad crimen efficaciter revocavit a censura contra eum lata immunis erit; secus si ficte revocavit.

Digitized by Google

Causae quae excusant ab incurrenda censura sunt, 1. si ex parte ferentis censuram ante incursionem deficiat jurisdictio 2. si actus, sive peccatum sub censura prohibitum, in suo genere consummatum, seu completum non sit: 3. si consentiat is in cujus favorem lata censura est: 4. si ignorantiam censurae habeat, modo haec non fuerit crassa, et supina: 5. si rem sub censura prohibitam gravi metu inductus efficit: 6. denique excusatur a culpa, qui vere innocens est.

A censuris specialiter latis ab homine, ille solum absolvere potest, qui tulit illam, et ejus successor, superior, vel delegatus, et nullus alius.

A censura juris si non sit reservata, a quocumque lata sit, possunt absolvere sibi subditos, omnes illi, qui jurisdictionem in foro externo habent.

Defenditur, posse parrochum, et alium sacerdotem proprium absolvere a censura juris non reservata.

Censura semel incursa tolli dumtaxat potest absolutione, non cessat ob mortem authoris; non tollitur plene et perfecte morte censurati; nec sola satisfactione, parti laesae facta, et emendatione delinquentis, si censura absolute sit lata.

Excommunicatio definitur *censura ab ecclesia instituta, separans excommunicatum a communione fidelium:* vel justa, vel injusta est; et haec vel valida, vel invalida esse potest.

Excommunicatio dividitur *in majorem*, quae excommunicatum privat simpliciter omnium bonorum, inter fideles communium, participatione; *in minorem*, quae tantum privat usu sacramentorum passivo.

Nomine anathematis in usu ecclesiae significatur excommunicatio major.

Vox *excommunicatio*, absolute prolata, post Gregorium IX. intelligenda de majori..

Non censurati, si veliut, cum censuratis vitandis communicare non tenentur.

Excommunicati tollerati communioni fidelium se ultro ingerere nequeunt, nisi a fidelibus non excommunicatis requirantur.

Excommunicatio privat excommunicatum 1. communibus ecclesiae suffragiis: 2. sepultura ecclesiastica: 3. usu passivo sacramentorum: 4. usu etiam activo sacramentorum: 5. sacrificio missae: 6. prohibetur excommunicatus vitandus assistere aliis divinis officiis 7. privatur excommunicatus saltem si vitandus sit, facultate concionandi, legendi in theologia, interpretandi jus canonicum publice: 8. prohibetur excomunicatus ab ingressu templi, tempore, quo divina ibidem celebrantur.

Ministri ecclesiae illicite agunt, saltem si in particulari publicas preces pro excomunicato fundant.

Pro excommunicatis vitandis orationes pubblicae, et missae sacrificium etiam in genere, et in communi licite offerri nequeunt: non improbabiliter potest pro excomunicatis non vitandis.

Casu quo excommunicatus ex ignorantia vel oblivione non manifestat censuram, nec sacerdos ab ea absolvat, si nullus in alio sit defectus, probabilius absolutio valet.

In casu extremae necessitatis excomunicatus licite, et valide amministrare sacramenta potest.

Per excommunicationem excommunicatus fit incapax consequendi aliquod beneficium ecclesiasticum, quamvis 1. sit tolleratus: 2. ignarus censurae: 3. incapax cujuscumque officii, muneris, seu dignitatis ecclesiasticae, et regularis.

Acceptatio beneficii collati excommunicato, tempore, quo liber erat ab excomunicatione, si ipsa acceptatio fiat tempore, quo acceptans ligatus fuit excommunicatione, probabilius valet, etsi contraria sententia non sit improbabilis.

Pensio ecclesiastica, quae datur clerico ob aliquod munus spirituale exercendum excommunicato conferri nequit.

Collatio pensionis, quae datur clerico resignanti beneficium, permutanti illud, lite cedenti, sustentationem non habenti, communis sententia pro irrita habet, etsi contrarium non sit improbabile.

Si tempore quo quis excomunicatus est acquirat beneficium, ut ejus irrita est acquisitio, ita nullum jus ad fructus ejusdem acquirit, nisi excuset bona fides.

Si beneficium quis legitime obtinuit, et postea in excommunicationem incidat, verius glossa, et alii negant excommunicatum ipso jure, et ante sententiam privatum esse fructibus et proventibus beneficii rite acquisiti.

Certum est quemlibet excommunicatum privatum esse jurisdictione ecclesiastica, ita ut licite eam exercere nequeat.

Omnes DD. conveniunt excommunicato vitando jurisdictionem ecclesiasticam esse omnino ademptam.

Excommunicato tolerato nullatenus dicendum ademptam esse jurisdictionem, sed illius actus ipsum valide exercere, quandiu a fidelibus contra ipsum non excipitur.

Excommunicatione privatur excommunicatus vitandus omni actu pertinente ad judicium: contra valorem habent quae fiunt ab excommunicato tolerato, etsi contra ea excipi possit.

Digitized by Google

Excommunicatus privatur officiis publicis, sed haud prohibetur officium tutoris, curatoris, hospitalarii, et similia exercere.

Valida est assistentia parochi excommunicati etiamsi non tolerati in contractu matrimoniali.

Valida est licentia a parocho excommunicato data etsi non tolerato ad assistendum matrimonio alteri sacerdoti.

Receptio professionis religiosae facta a praelato excommunicato valida est.

Certum est interdictum excommunicato quemlibet cum fidelibus contractum inire.

Casu, quo contractum init excommunicatus, tempore excommunicationis, cum non excommunicato, melius dicitur valere, et obligationem utriusque inducere, etsi alii alias puteat.

Mortaliter 1. peccat non excommunicatus si cum excommunicato, aut vicissim communicet in rebus divinis, et officio divino saltem publice dicto.

2. Si communicetur cum excommunicato a summo pontifice, tunc communicans, praeter peccatum mortale, incurrit etiam excommunicationem majorem.

3. Si quis cum excommunicato communicet in crimine criminoso.

4. Si communicet aliquis cum excommunicato post latam sententiam contra participantes, extra hos casus solum sub culpa veniali prohibetur communicatio cum excommunicato, et incurrit communicans tantum excommunicationem minorem.

Licita est communicatio cum excommunicato denuntiato 1. quando *utilitas* tam spiritualis, quam corporalis excusat: 2. *lex* matrimonii, seu conjugii excusat: 3. *humilitas* subjectionis quoad filios, servos, subditos. et vicissim: 4. excusat ignorantia sive juris, sive facti, etiam vincibilis; modo non sit affectata. 5. denique excusat necessitas.

Effectus remoti excommunicationis sunt 1. excommunicatus, si per annum perseveret in excommunicatione, specialiter lata ab homine, fit suspectus de haeresi, eo quod praesumatur male sentire de potestate ecclesiae: 2. est probatio delicti, seu causae ob quam excommunicatio lata est: 3. est privatio beneficiorum, si triennio perseverat in excommunicatione indurato animo.

Effectus excommunicationis minoris est privatio dumtaxat passiva sacramentorum: suscepta tamen sacramenta ab excommunicato valida sunt.

Indirectus effectus excommunicationis minoris est privatio electionis

ad beneficia, quod communiter DD. extendunt etiam ad praesentationem, et collationem.

Ab excommunicatione minori in foro externo absolvere potest qui jurisdictionem in eo habet: in foro interno poenitentiae episcopus, vel proprius ipsius excommunicati sacerdos.

Probabilius negatur potestas absolvendi ab excommunicatione minori sacerdoti simplici.

Causae excommunicationis minoris olim plures fuere, hodie unica est propter communionem, cum excommunicato vitando, sive is vivus sit, sive mortuus.

Excommunicationes aliae nulli sunt reservatae, aliae episcopis, aliae pontifici per bullam coenae, aliae eidem extra bullam coenae reservantur.

Reservatae episcopis sunt 1. quae contrahitur ex levi percussione clerici, vel gravi si sit mulier: 2. lata in fratres minores, si admittant in suis ecclesiis ad officia divina fratres tertii ordinis: 3. in procurantes abortum foetus animati, effectu secuto 4. in eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab episcopo: 5. eae omnes, quas ferunt episcopi per statuta propria, et sibi reservant.

Papae reservatae in bulla coenae variae sunt 1. in hanc incurrunt haeretici, et schismatici, illorumque credentes, defensores, etc. 2. surripientes bona naufragorum: 3. falsarii literarum apostolicarum; et plurimi alii.

Papae reservatae extra bullam coenae sunt vel contra clericos, vel contra omnes; priores generis sunt 1. latae in participantes in sacris cum excommunicato a papa: 2. in procurantes alienationem ecclesiarum: 3. in parochos non implentes juramentum de residentia factum: etc. contra omnes latae referuntur viginti, et una.

Excommunicatio canonis introducta est *can. si quis suadente* 29. caus. 17. p. 4.

Quicumque initiati etiam solum prima tonsura clerici dicuntur, et privilegio canonis gaudent, etsi 1. beneficium non habeant; conditiones pro privil. fori a Trid. requisitas non impleant, gestare debent habitum, et tonsuram etc. et si 2. censura aliqua irretiti, irregulares: 3. quamvis sint conjugati, si cum unica, eaque virgine contraxerunt, et deferant habitum, ac tonsuram clericalem.

Privilegio canonis non gaudent 1. clerici realiter degradati; 2. conjugati non deferentes habitum, et tonsuram. etc.

Monachi intelliguntur, et privilegio canonis gaudent quicumque utriusque sexus religiosi, conversi, et novitii.

Digitized by Google

. Excommunicationem pontifici reservatam omnes, et singuli fideles utriusque sexus incurrere possunt, quamvis authoritate fulgentes.

Si vi mandati, consilii, vel favoris ad scelus dati, percussio subsecuta sit, consensientes, mandantes, consulentes etc. excommunicationem incurrunt; secus sunt immunes, ut sunt, si revocatio ab iis facta sit ante patratum dilictum sufficienter nota, et efficax sit.

Probabilius excommunicationem canonis non incurrit clericus, qui seipsum occidit, mutilat, vulnerat, aut qui, ut ab illo occidatur percutiatur, mandat vel consentit:

Ut quis incurrat excommunicationem canonis sequiritur 1. ingestio manuum: 2. ea esse debet violenta: 3. debet fieri suadente diabolo: 4. debet esse facta in clericum, vel monachum.

Ab hac excommunicatione canonis incurrenda excusant causae: 1. *ex circumstantia personae percussae* excusatur, qui percutit clericum realiter degradatum, aut alias exutum privilegio canonis: *ex modo percussionis*, qui ex subita passione, animo non plene advertente, clericum percutit.

2°. Excusatur, qui clericum percutit, etiam si graviter, ignorans probabiliter esse clericum.

3°. Excusatur, si quis volens percutere Titium clericum, aberret ab illo, et casu, sive praeter intentionem percutiat alium clericum pone adstantem.

4.° Excusatur praelatus, qui clericum, vel monachum subditum, et magister, qui discipulum correctionis, aut disciplinae causa percutit, quamvis iste in sacris sit constitutus, sed haec omnia cum modo.

5.° Excusantur, qui in defensionem sui, vel alieni honoris, corporis famae, bonorum fortunae clericum aggressorem detinent, vel percutiunt, si tamen in continenti hoc fiat, et moderamen inculpatae tutelae observetur.

6.° Excusatur ab excomunicatione, qui percutit clericum turpiter inventum cum uxore, matre, sorore, filia percutientis, quam amplexibus, tactibus, osculis, praesertim in loco secreto, aut suspecto tractat.

Ut excommunicatio evitetur percussio facienda est incontinenti.

Qui delinquentem ex industria expectat, et secreto observat, ut venientem percutiat, excomunicationem non incurrit, si absit dolus.

Pater, aut alii propinqui, vel consanguinei ecclesiasticos sibi subditos punire possunt, si in minoribus solum sint constituti, et percussio sit moderata.

Favorabilior dignitati ecclesiasticae ideoque amplectenda est sententia illorum DD. quibus substinetur, non posse filium in sacris constitutum ad correctionem a patre percuti.

Ab excommunicatione contracta ob enormem, seu atrocem percussionem in clericum, seclusis specialibus privilegiis, ac consuetudine solus pontifex absolvere potest; etsi delictum occultum sit, quod tamen relaxavit Trid. sessio. 24. c. 6.

Legatus a latere absolvere potest ab omni percussione in utroque foro, etiam ad suam provinciam non pertinentes.

Nuntii apostolici absolvere possunt, ut legati a latere, sed in sua tantum provincia, et quamdiu in ea existunt.

Legati nati habent eamdem potestatem quoad absolutionem ab excommunicatione, ut reliqui ordinarii.

Ab excomm. contracta ob levem percussionem absolvere possunt episcopi, ceterique ordinis episcopalis.

Si percussio sit gravis, ast occulta, ut ob alia delicta (excepto homicidio voluntario) ita etiam ob percussionem clerici excommunicatos absolvere possunt episcopi vi trid. sess. 24. c. 6. de reform.

Si percussio sit notoria, vel deducta ad forum contentiosum neque episcopus ab hac censura absolvere potest; *excipiuntur* 1. impuberes: 2. moniales, et mulieres aliae cujuscumque aetatis, et conditionis sint: 3. clerici in eadem domo commorantes: 4. janitor principis, praelati, vel alterius potestatis si praetextu officii sui etc. percutiat clericum, modo percussio non sit enormis; 5. servi; 6 quicumque alii, etiam viri, habentes necessitatem aliquam gravem, quae difficilem ipsis reddat recursum ad sedem apostolicam, vel ejus legatum.

Si percussion alicujus religiosi, sit ejusdem monasteri, absolvi potest a superiore suo locali; nisi percussio sit enormis.

Si percussor est religiosus diversi monasterii, vel domus, percussor absolvendus est a suo superiore, sed praesente superiore percussi, ut utriusque consensu satisfactio imponatur.

Si percussus sit a religioso clericus saecularis, et quidem *graviter* non a suo praelato, sed a summo pontifice solum absolvi debet; si *leviter* et percussor religiosus sit *exemptus* ab episcopo absolvi poterit, saltem cum consensu sui praelati regulariigs; si non exemptus, ab episcopo absolvi debebit.

Quod de religiosis dicitur etiam de noviliis intelligendum.

In mortis articulo absolvere potest quivis a quavis, censura.

Extra articulum mortis, praeter legatum, episcopum, vel praelatum

Digitized by Google

religiosum per se loquendo nemo alius absolvere potest, nisi ex speciali privilegio.

Suspensio est *censura ecclesiastica qua minister ecclesiae formaliter impeditur, ne functiones ecclesiasticas exerceat, aliquaque potestate utatur*; ea differt ab aliis censuris.

Suspensio triplex est; a solo officio: a solo beneficio: ab officio simul et beneficio: dividitur 2. in totalem, et partialem: 3 alia est absoluta, alia determinata.

Suspensionem *a jure* latam solus conditor juris fert: *ab homine* is qui potestatem excommunicandi habet, ferre plerumque potest.

Suspensio ab alio, quam clerico ferri nequit.

Verius est suspensionem proprie dictam cadere non posse nisi in clericos.

Qui libet, quacumque dignitate fulgeat suspendi potest excepto summo potifice, adeoque feriri possunt hac censura 1. episcopi: 2. religiosi, si clerici sint, et primam saltem tonsuram habeant: 3. communitas clericalis: 4. semel suspensus iterum suspendi potest.

Suspensio in aliquem ferri solum potest ob gravem culpam.

Suspensio, quae proprie poena est privans jure quaesito proprio nullatenus contrahitur ob culpam alienam, sed propriam tantum.

In tenenda suspensione nulla forma praescripta est verborum, sed ut rite feratur requiritur 1. ut monitio praecedat, si inferatur ad delinquentis correctionem, non ad poenam: 2. debet ferri in scriptis, et exprimi ibi causa, ob quam imponitur.

Effectus suspensionis ab officio, *determinate* ad aliquam materiam factae, extra illam non extenditur: *absolute* factae, ab omni officio, tam ordinis, quam jurisdictionis suspendit.

Suspensio a beneficio, eo non privat, sed tantum illius fructibus.

Nomine fructuum quibus privat suspensio, veniunt etiam distitutiones quotidianae, si extractae sint ex beneficii fructibus.

Ex communi sententia suspensus a beneficio, privatur illius administratione.

Suspensus non privatur potestate conferendi, vel eligendi ad beneficium titulo beneficii competente, a quo suspensus est.

Privatur suspensus etiam fructibus beneficii, qui ad sui et suorum congruam sustentatimem sunt necessarii, si sospensio lata sit in contumaciam; secus si in poenam delicti commissi.

Suspensionem violans plerumque peccatum grave committit: et irregularitatem incurrit, sed hac ob solam violationem suspensionis ab ordine.

Digitized by Google

Praeter irrĕg. actus praestiti a suspenso statutum est, ut nullus et irritus sit.
Lapso tempore, aut impleta conditione qua suspensio imposita est, ipsa suspensio cessat.
Suspensio a jure lata absolute, si ad comprimendam alicujus contumaciam, absolvi potest ab episcopo, vel ejus vicem gerente, dummodo pontifex sibi non reservarit.
Probabilior sententia est ut ab episcopo etiam absolvi possit a suspensione in puram delicti poenam jure imposita.
De jure novo trid. *ses.* 24. *e* 5. *de refort.* possunt episcopi per se vel per suos vicarios a qualibet suspensione a jure vel ab homine generaliter lata absolvere vel dispensare, modo ex delicto occulto proveniat, neque ad forum contentiosum deducta sit.
Regulariter a suspensione lata ab homine ille solus, qui eam tulit vel ejus successor, aut delegatus absolvere potest.
In ferenda absolutione sufficit quomodumque, ut exprimatur suff. absolventis intentio.
Interdictum est censura ecclesiastica, prohibens usum divinorum, quatenus a fidelibus haberi possunt, et est vel *locale*, vel *personale*, vel *mixtum*.
Interdictum locale, et personale subdividitur in generale et speciale.
In interdicto generali locali sequentes regulae sunt tenendae.
1°. Si interdicatur civitas, interdicantur etiam suburbia illius et aedificia continentia.
2.° Interdicta civitate, vel dioecessi, interdicta etiam censetur aecclesia cathedralis.
3.° Interdicta dioecesi, censentur interdictae civitates, et omnia loca dioecesis.
4.° Interdicta aliqua ecclesia, interdictae censentur capellae illius, et coemeterium contiguum.
5.° Quando terrae alicujus domini interdicto locali generali subjiciantur, non comprheunduntur sub illo omnes terrae, in quas dominium absolutum, et plenum habet.
6.° Interdicta terra alicuius domini, interdicta censentur non solum templa, ecclesiae, et oratoria, ibi existentia tempore interdicti, sed etiam ea, quae postmodum fueriut erecta.
7.° Interdictum locale omnes tam saeculares, quam regulares, tam incolae, quam exteri, tam exempti, quam non, opservare tenentur, si speciali privilegio super eo non sint muniti.
8.° Interdictum locale semper secumfert interdictum personale il-

lorum scilicet, qui causam interdicto dederunt, qui neque alibi praesertim participare divina possunt.

Quando interdicto subjicitur populus, collegium, aut alia quaevis universitas, comprehenduntur omnia ipsius membra.

Excipiuntur ab interdicto generali personaliter lato 1. episcopi, nisi de ipsis fiat expressa mentio: 2. infantes doli nondum capaces, et amentes: 3. qui a populo recedunt, alibi domicilium constituti: 4. exteri probabiliter, etsi diu in Populo habitent, ut scholastici, et mercatores: 5. interdicto populo, clerus non censetur interdictus, nec viceversa: 6. interdicto clero alicujus ecclesiae, non hoc ipso talis ecclesia interdicta censetur, et probabilius etiam nomine cleri non continentur religiosi.

Regulariter, qui sententiam excommunicationis, et suspensionis ferre potest, etiam interdicere potest.

Ut quis suspendere valeat, non debet esse suspensus, vel excommunicatus.

Interdicti *localis* subjectum est locus; *personalis* persona vel communitas.

Finis interdicti, est culpae emendatio, seu punitio.

Effectus interdicti sunt quatuor 1. privatio activa, et passiva sacramentorum. 2, privatio activa divinorum officiorum, 3. privatio activa, et passiva ecclesiasticae sepulturae; 4. privatio ab ingressu ecclesiae.

Quocumque tempore interdicti, baptismus concedendus est, etiam solemniter.

Idem dicendum de *confirmatione*

Sacramentum *poenitentiae* jure antiquo solis moribundis, et peregrinis concedebatur: jure recentiore conceditur omnibus, sed perpensis duobus conditionibus.

Interdicti tempore sacramentum *eucharistiae* potest, et debet administrari his, qui constituti sunt in probabili mortis periculo.

Sacramentum *extremae unctionis* ex constanti omnium sententia in nullo interdicto locali, aut personali ministrari potest; excipitur 1. qui privilegium speciale circa hoc sibi concessum habent, ut religiosi mendicantes: 2. infirmus qui nullum aliud sacramentum possit recipere.

Sacramentum *ordinis* in loco interdicto, et personis specialiter interdictis nullo modo conferri potest.

A Sacramento *matrimonii* contrahendo removendi specialiter interdicti, si contumaces existant.

Verius est matrimonium contrahi posse in loco interdicto, et a personis generaliter interdictis.

Digitized by Google

Nomine *officii divini* dum hoc prohibetur tempore interdicti, veniunt quae primo, et per se annexa sunt alicui ordini sacro, et quae a solis clericis ex institutione Christi, vel ecclesiae fieri permittuntur, quod omne secluso privilegio tempore interdicti fieri nequit.

In *cap. alma* facultas concessa est, tempore interdicti missae celebrari singulis diebus, et officia divina peragi, in quibuscumque ecclesiis, et monasteriis; modo observentur conditiones in illo capite praescriptae.

Durante interdicto generali loci sepeliri fideles in ecclesiastica sepoltura prohibentur; exceptis clericis.

Si interdictum sit locale speciale, nemini dubium est ecclesiasticam sepolturam prohiberi, excepto clerico, si illiusmet ecclesiae sit.

Si interdictum sit personale. iterum constat sic interdictum privatum esse sepoltura ecclesiastica.

Nominatim denuntiatus interdictus, si decedat absque absolutione, et nullum poenitentiae signum dederit, aut talis signi ab ipso dati probabilis nulla sit opinio, extra locum sacrum sepeliendus est.

Ut interdictum privet ingressu ecclesiae, requiritur specialis sententia.

Privatus ab ingressu ecclesiae, in coemeterio divina celebrare, et audire, non tamen sepeliri potest.

Interdictus ecclesiam ingredi, et ibi preces fundere potest tempore quo ibi divina non celebrantur.

Interdictus ab ingressu ecclesiae probabilius est non prohiberi a recipiendis in illa sacramentis, etsi contraria sententia sit satis probabilis.

Ut interdictum obliget requiritur 1. ut denuntiatum sit: 2. ut passim observetur interdictum locale ab iis, in quorum gratiam oppositum est.

Clericus, qui violat interdictum locale, vel personale mortaliter peccat.

Etiam laici personaliter interdicti si sacramentum aliquod sibi prohibitum recipiant sine dubio peccant mortaliter; sed et aliis casibus mortaliter peccant.

Laicis violantibus interdictum nulla certa poena ipso jure posita est praeter quatuor casus *ex clem. gravis* relatos n. 392. quibus incurrunt excomm. reservatam pontifici.

Circa clericos violantes statutum est si personaliter, vel generaliter interdicti, vel in loco interdicto celebrant, vel alium actum ordini sacro annexum exerceant, irregularitatem ipso facto incurrere.

2.° Violatores interdicti localis suspendendi sunt ab officio, et beneficio.

3.° Clerici interdicti violatores non gaudent privilegio, vi cujus in loco sacro sepeliri possunt tempore interdicti.

4.° Clericus, religiosus, et etiam monialis violans interdictum locale redditur inhabilis ad electionem tam activam, quam passivam.

5.° Religiosi, qui interdictum generale loci, quod ab ecclesia matrice observetur, in suis ecclesiis non observaverint, ultra poenas aliis indictas excomm. incurrunt.

Qui violant interdictum admittendo aliquem ad sepolturam ecclesiasticam in loco interdicto, vel interdictum in loco non interdicto extra casus jure promissos incurrunt excomm. majorem.

Interdictum ad tempus vel sub conditione positum, cessat hac existente, vel eo elapso.

Si interdictum latum sit absolute, et est *locale*, uti in ecclesiam, illa destructa, cessat; haud est si in locum ecclesiae: si *personale* est in communitatem latum, cessat extincta communitate, quae interdicta est; excipitur, nisi persona, quae sublata communitate subsistit, interdicto causam dederit.

Quodlibet interdictum cessare potest absolutione, vel dispensatione facta ab eo, qui potestatem ad istud habet.

Si interdictum sit personale *speciale* reservatum absolvere ab illo nullus alius potest praeter ipsum, cui est facta reservatio, vel illius superior.

Cessatio a divinis definitur *prohibitio ecclesiastica clericis imposita abstinendi ab officiis divinis in aliquo loco.*

Cessatio a divinis non est censura; non a jure, sed semper ab homine imponitur; qui eam violat irregularitatem non incurrit, ut violator interdicti.

Cessationis a divinis triplex effectus, privatio divinorum officiorum, sacramentorum, et ecclesiasticae sepolturae, et solus pontifex eorum aliquem limitare potest.

Privilegium concessum in *cap. alma tit. de sententia etc.* ad cessationem a divinis non extenditur.

Possunt tempore cessationis celebrari divina 1. in festivitatibus natalis Domini, paschae, pentecostes etc.

Tempore cessationis clerici horas dicere bini, et bini in ecclesia possunt.

Cessationis tempore ex benignitate ecclesiae, et DD. authoritate, ea sacramenta ministrari ac recipi possunt, quae tempore interdicti possunt.

Cessatio a divinis si interdictum non supponit ecclesiastica sepultura non privat.

Cessatio a divinis indici potest ab eo solo qui habet jurisdictionem in foro externo, ut pontifex, episcopus; et alii jurisdictionem quasi episcopalem habentes; capitulum sede vacante.

Ut cessatio ferri possit requiritur 1. delictum ejus qualitatis ut adaequet damna ex cessatione provenientia: 2. delictum notorium, manifestum notorietate facti: 3. causa propter quam imponitur, exprimi debet instrumento publico etc: 4. debet prius delinquens moneri, an satisfactionem, et emendationem praestare velit.

Ex defectu cujuscumque conditionis ex enumeratis invalida est cessationis indictio.

Obligatio cessationis obstringit ad peccatum mortale.

Religiosi exempti tenentur servare, et publicare in suis conventibus cessationem impositam ab episcopo, vel capitulo, et observatam ab ecclesia matrice.

Poena laicis violantibus cessationem statuenda arbitrio judicis clericis religiosis tam exemptis, quam non exemptis imposita est excommunicatio ipso facto: si vero cessatio sit generalis.

Cessationem relaxare potest ille solus, qui eam imposuit, vel ejus superior, aut aequalis, vel qui ab imponente potestatem acceperit.

Aliquando cessat cessatio sine relaxatione expressa.

1.° Verba accipienda sunt secundum mentem, et intentionem proferentis.

2.° Nisi aliud de mente disponentis constet, verba cujusque dispositionis accipienda sunt in sensu proprio, et secundum communem hominum usum.

3.° Verba dispositionis interpretationem plerumque accipiunt ex ratione et causa eidem addita.

4.° Verba simpliciter prolata in dubio intelligenda sunt simpliciter, et non tantum secundum quid.

5.° Si verba dispositionis habere possint sensum civilem, et naturalem civili praeferendus est naturalis.

6.° Verba intelligenda sunt secundum sensum communem, et modernum loquendi usum, adeo, ut propterea aliquando recedendum sit a significatione propria, et primaeva.

7.° Verba dubia contra proferentem sunt interpretanda, utpote in cujus potestate sunt mentem suam apertius declarare: obtinet haec regula praecipue in contractibus; in probationibus: haud est in sententiis judicum, et aliis actibus judicialibus.

8.° Verba intelligenda sunt cum effectu, et ita, ut aliquid operentur nec sint superflua.

9.° Verba ambigua a jure interpretationem recipiunt, ita ut ex variis interpretationibus, illa censenda sit aptior, quae a communibus regulis juris minime recedit.

10.° Verba ambigua semper intelligenda sunt secundum subjectam materiam, et naturam actus, vel contractus, de quo actum est, secundum qualitatem personae ad quam sunt relata.

11.° Quando dubius est verborum sensus, ita ut in bonam, vel malum partem possint accipi, is praeferendus est qui excludit delictum, adeo, ut potius interpretatio, et significatio verborum impropria admittatur, quam delictum.

12.° In dubio illa significatio est praeferenda, quae non derogat juri tertii jam quaesito.

13. Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea praehabenda est, quae rei gerendae est aptior.

14.° In omni dispositione verba sunt concilianda verbis, ideoque explicanda, ut eorum correctio, et contradictio excludatur.

15.° In omni dispositione is verborum intellectus capiendus est, ut potius illa valeat, quam pereat.

16.° Verba sive oratio affirmativa, aut negativa non ex phrasi, et ex conceptione externa, sed ex vi, et effectu aestimantur.

17.° Affermativa oratio magis digna est, quam negativa, negativa autem potentior est, quam affirmativa.

18.° Verba negativa in eadem oratione geminata inducunt affirmationem; sed sunt nonnullae exceptiones.

19.° Verba generalia generaliter intelligenda sunt, nisi generalitatem verborum coarctari suaderet subjecta materia.

20.° Verba specialia plus operantur, quam generalia.

21.° Verba indefinita aequipollent, et vim obtinent locutionis generalis, nonnullis casibus exceptis.

22.° Verba enuntiativa, seu narrativa per se dispositionem non inducunt, nec probant.

23.° Verba geminata plus, quam simplicia operantur.

24.° Verba praecedentia declarantur per subsequentia.

Regula est, quae rem quae est breviter enarrat.

Regulae duplicis generis sunt, *generales*, quae nullo certo loco comprehensae per universum jus diffunduntur, *particulares*, quae certo loco, vel materiae adaptantur.

Regulae aliae dicuntur *authenticae* quae authoritate apostolica, vel imperiali juri canonico vel civili insertae sunt; aliae *doctri-*

nales, seu *brocardicae*, quae a jctis, vel aliis DD. ex variis textibus, et juris dispositionibus sunt depromptae, per modum axiomatum, quae tamen jus non faciunt.

Etiam authenticae jus non inducunt, sed supponunt.

Regularum utilitas pro decisione causarum magna est, nam semper pronuntiandam pro eo, pro quo stat regula.





Digitized by Google

INDEX III.

RERUM

Ordine Alphabetico dispositarum



MONITUM

Volumina etsi in editione distincta in partes, hoc indice tamen ad difficultatem vitandam et in meliorem omnium comodum, indicabuntur notis I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Num divisio in partes afficit substantim operis, et index est ad comodum et sese ad volumina refert quae sunt vere XI.

Digitized by Google

INDEX

A

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

E

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

F

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G

H

Digitized by Google

Digitized by Google

I

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

L

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

M

Digitized by Google

Digitized by Google

104 *

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

N

Digitized by Google

Digitized by Google

O

Digitized by Google

Digitized by Google

P

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Q

R

Raptus

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

S

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

T

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

U

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

V

FINIS



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





